BORELLUS

CENTURIAE IV

1676

14.635/1A

C667


Experientia
Petri Borelli
Hiſtoriarum et
Obſervationum
Medicophyſica-
rum Centuriæ IV.
Baſis Medicinæ
Apud

PETRI BORELLI,
Medici Regii Caſtrenſis,

HISTORIARUM
ET
OBSERVATIONUM
Medicophyſicarum
Centuriæ IV.
Qvibus ipſe qvidem ſubjunxit
ISAACI CATTIERI
Doctoris Monſpelienſis & Medici
Regii,
Obſervationes Medicinales raras
ſecum communicatas,
Renatiqve Carteſii Vitam
à ſe perſcriptam;
Nunc autem aliunde ob argumenti ſimilitudinem accedunt
Joh. Rhodii Obſervationes,
Arnoldi Bootii de Affectibus omiſſis
Tractatus
&
Petri Matthæi Roſſii Conſultationes
& Obſervationes ſelectæ.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ
Laur. Sigiſm. Cörnerum, Biblopol. Lipſ.
ANNO M. DC. LXXVI.

43.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO
Nobiliſſimo atqve Clariſſimo,

DN. FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO,

Polyhiſtori,

Fautori & Patrono ſuo plurimum honorando.

QVas nunc Tibi offero, variorum Auctorum Obſervationes Medico-phyſicas varias, Vir longè Clariſſime, omnes nondum congeſtæ in hoc volumen erant à Typographo, cum eas Tibi dedicare in animum induxi meum. Primùm enim ipſæ Literæ tuis id Studiis jam longo tempore qvaſi debere videbantur, ut, qvibus ex varia tuâ inq; pulcherrimæ Bibliothecæ modum diu excreſcente præſtantiſſimorum librorum ſupellectile magis ac magis augendis teneris qvotidiè, iiſdem gratè agnoſcendis qvoqve locum

aliqvem & in tali præſertim libro ſubinde uſurparent, qvi juvare Polyhiſtoras qvodammodo poſſet. Tum verò mihi literarum commercium in mentem veniebat, qvod cum haut paucis eruditiſſimis Viris habes freqventiſſimum. Unde me arbitrabar Obſervationum iſtarum novæ huic editioni, qvo magis illi Te colunt amantqve, hoc majorem dignitatem allaturum fore; ſi ampliſſimum tuum Nomen eidem præfigerem. Deinde favorem mecum reputabam, qvo Tibi me hactenus ita devinxiſti, ut ſi gratum meum animum hâc Tibi ratione non teſtificarer, qvâ impoſterum me complecti poſſes tuâ benevolentia viderer indignus. Sed tamen cum finis eſſet Volumini imponendus, incipiebam vereri, ne temerarium ex parte iſtud meum inſtitutum à Doctis judicaretur. Qvi licet fortè meam in Te obſervantiam improbaturi non eſſent, eos tamen ſentiebam valdè miraturos, me qvippe illiteratum agere Bonarum Literarum interpretem & apud Te qvidem velle, qvi

pro

pro meritis laudari niſi á doctiſſimis neqveas. Addo, qvod dicturos ſimiliter conjiciebam, libros à me rectius venumdari poſſe, qvàm ſic ornari. Et feciſſent hæc fateor, ut propoſito abſtitiſſem, niſi omnem mihi metum ſæpè mihi perſpecta tua humanitas, tuaq; ſingularis dexteritas excuſſiſſent, qvâ piè facta vertere in bonum ſoles. Qvâ igitur ſummâ Tui fiduciâ poſſum, á te peto, Vir nobiliſſime, velis hoc rariorum Obſervationum volumen in recognitionem plenioris mei erga Te obſeqvii à me ſic accipere, ut ſimul partem gratiarum, qvarum ingentem cumulum Tibi Literæ debent, hoc eſt, laudum tuarum à me accipias, iſtudqve ſub Nominis tui æſtimatiſſimi umbone prodire permittas. De cetero ſic habe, qvicqvid cum Borellianis & Cattierianis ante hos ſex annos meis ſumtibus ſeorſim exſcriptis, nunc ſimul apparet, id illis ex ſemel impreſſis codicibus annectendum mihi omne ab Excellentiſſimo & Experientiſſimo Viro Dn. D. Michaele Ettmüllero, optimo

tuo Cive & Patrono meo multum honorando liberaliſſimè præbitum. Vale decus Lipſiæ, mihiq; qvod facis, favere perge. Dab. Lip. d. 5. Martii Anno 1676.

Tuæ Nobiliſſimæ
Claritatis

Obſervantiſſimus

LAURENTIUS SIGISM. CÖRNERUS,
Bibliopola Lipſienſis.

NOBILISSIMO AC CLARISSIMO VIRO
DOMINO, DOMINO,

GUILLELMO BOREEL;
EQVITI, BARONI, VRENOVÆ, D' VYNBEGUÆ, STEELANDT, &c.

Domino, ac Belgii uniti apud Gallos Legato Digniſſimo.

CUm tuis planè cumulatus fuerim beneficiis, (LEGATE AMPLISSIME,) amplius gratitudo mea ferre neqvivit, qvin tibi munuſculum qvoddam offerrem, cumqve adhuc operi nulli notando finem imponere valuerim, hoc tanqvam majoris præcurſorem benignè excipe, tanqvam à viro tibi addictiſſimo, virtutisqve tuæ ac ingenii & doctrinæ ſuſpiciendæ admiratore promanante: ô utinam tibi ſimiles forent Tantali illi, qvi divititiis cumulati & in iis mento tenus immerſi, gloriæ & laudis perpetui candidati ſunt, nec tamen literatos, à qvibus gloriam illam

aucupantur, ullis officiis vel beneficiis obſtringere valent, tu è contra non reqviſitus multis amicos excipere beneficiis delectaris, tu habes etiam ſcientiæ rivulos perennes, qvibus eorum animos potare ſoles, tu omnibus modis eos tibi devinctos reddis, ſeruosqve facis voluntarios, tu Loto Homerico ſimilis es, qvi enim te ſemel deguſtarunt, Patriæ immemores, à te non amplius recedere poſſunt. Tu ſyrena exiſtis, qvæ vocis tuæ ſuavitate auditores tuos cathenis aureis inſtar Herculis Gallici vincire ſoles; Non hic Nobilem & antiqviſſimam proſapiam memorare opus eſt, tu ſolus ſatis ſuperq́; propriis undiqve fulges virtutibus, vale Vir præſtantiſſime, meqve ſemper amore tuo dignare.

EXCELLENTIÆ TUÆ

Addictiſſimus & obſeqventiſſimus ſervus,

P. BOREL.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

CUm rarioribus Naturæ ſpeculationibus (Lector benevole) diu operam cum maximis laboribus & vigiliis dederim, non ſolum animalium, mineralium & plantarum hiſtoriæ, ſed etiam artibus ferè omnibus & ſcientiis curioſis, præſertim Hermeticis & Galenicis diſciplinis, de qvibus omnibus ingentia volumina, maxima cum ſedulitate collegi, qvæqve tibi à longo tempore denovi, ab utiliori nempe ab obſervationibus meis Medicis incipere placuit, Medicos enim naturâ prudentes intereſt, in exemplis ex Zacuto-Luſitano exercitari; in meis autem multa utilia, ſimulqve rara & inaudita invenies, qvæ initium librorum meorum erunt, ſi tibi placuerint, ut & finis eorum, ſi tibi diſplicuerint.

Video qvidem multos de hiſce obſervationibus dubitaturos, ſed videant Hollerium, de puella ſine oſſibus duris nata, videant Marcelli Donati, Schenkii & S. Goulartii hiſtorias prodigioſas, ut & Lycoſthenem de oſtentis, & de hiſce poſtea non dubitabunt. Zoilos autem ad Epiſtolam ſuperiorem, & ad perorationem meam mitto, in qvibus, qvæ ipſos attinent, reperturi ſunt. Vale.

In Obſervationum ſtupendarum, ac inauditarum P. Borelli Centurias.

Cui juveni tantam dedit experientia lucem
Tale ut promat opus: qvam dabit illa ſeni?

RAIMUNDUS GACHEUS,
P. Eccl. Carent.

ΠΡΟ'Σ ΤΑ' ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΑ'; ΚΑΙ' Ι'Ατρικὰ συγγράμματα τῆς εἰδήσεως πειρατάθοις, ἀνδρὸς πολυμύστου, καὶ Ἰατρῶν τοῦ πάνυ κυρίου τοῦ Π. Βορέλλου.

ΑΝΔΡΕΟΥ ΚΑΝΔΟΜΕΡΚΟΥ.
Τετράστιχον

ΜΟΥΣΙΚΑ πάντα μαθὼν, φύσεως θαυμαστὰ ματεύων
ΒΟΡΕΛΛΟΣ, μύσταις ταῦτ' ἀνέθηκε γράφων·
Καὶ ὡς πᾶσιν ἄκους Φυσικοῦ πειρατῶδε; ἔδειξεν
Εἶδος οἱ ἔνδοξεν καὶ συνέταξεν ἔδος.

In

In Prodigioſas Phyſicæ & Medicæ artis Obſervationes D. Petri Borelli, non vulgaris ac proletariæ eruditionis Viri, ſed reconditioris ac penitioris literaturæ, & apud Caſſeronenſes doctrina ceu uſu ſpectatiſſimi Medici,

ANDREÆ CAMPDOMERCI,
Judicis majoris Carmanienſis.,

TETRASTICHON.

Edidit has celebri Borellus Pallade chartas,
Unde qveant uſu Pharmaca mira legi:
Et veluti calamo cedris digniſſima pingit,
Panget eis ceris nomen ubiq; memor.

IN DOMINI
P. BORELLI, MEDICI REGII,
Obſervationes Medicophyſicas,

Valde obſervaſti Magni documenta Draconis,
Qvi vult, ut ſegnes otia morte luant:
Nam diuturna tuæ promis monumenta ſophiæ,
Hinc fit, qvod volitas docta per ora virûm.
Perge, Borelle, tuis claris palleſcere chartis,
Funereum ſuperat garrula fama rogum.

Jacobus Conrart.

Cette Epigramme a eſté enuoyée à l'Imprimeur, comme il alloit faire la cloſture de ce Liure, par Monſieur Boné, Aduocat en la Chambre de l'Edict, ſeante à Caſtres, & Subſtitut de Monſieur le Procureur General en icelle.

A MONSIEUR BOREL, Medecin de Caſtres.

EPIGRAMME.

BOREL quoy que des doctes ſœurs,
Pour moy les ſources ſoient taries,
L'implore encore leurs faueurs,
En l'honneur de tes Centuries,
Ce bel ouurage nous fait part,
Des plus hauts ſecrets de ton Art,
Sans les cacher d'un ſoin auare:
Mais dans ce curieux écrit
La merueille de ton eſprit,
Eſt ce que ie voy de plus rare.

In Prodigioſas PETRI BORELLI, Medici Regii Obſervationes, qvarum cauſas exponit.

TETRASTICHON.

SI nil mirari faciat nos eſſe beatos,
Muſa velut pulchrè nos Venuſina docet.
Tu nos Naturæ pandens effecta beatos
Eſſe facis, mirum qvos nihil eſſe doces.

AD

AD EUNDEM.

MIranda exponit Naturæ effecta Borellus,
Non mirum eſt, miro cum ſit is ingenio.

Addictiſſimus

IO. ALEGRIUS,
I. D. E. I. C. E. C. A.

In laudem Eruditiſſimi viri, P. Borelli Medici, ejusq; Obſervationes Medico-phyſicas.

FRendeat ira minax, exanguis livor, & ignes
Durabit tuus hic, docte Borelle, liber.
Utilis eſt etenim nimium mortalibus ægris,
Ut tenebris illum mors properata tegat:
Es brevis & clarus, nullaq; ambage relicta,
Admiranda refert pagina docta tua.
Hic nudo vultu, velis natura remotis
Se præbet curis ingenioſa tuis.
Exanguesq; doces torqvẽtes corpora morbos
Pellendi methodum. Nec via difficilis.
Ergo diù poſſis doctos depromere libros,
Venturis profis ſemper ut arte tua.
Incipe Naturæ portas reſerare profundas,
Democritusq; tuus prodeat in medium.
Tandẽ ut ſis notus cunctis, fulcrumq; laboris,
Mæcenas adſit, qvi velit eſſe tui.

G. S. C.

In Doctiſſimas PETRI BORELLI Medici Centurias Medicophyſicas.

Centuriis falſis (rerum dum fata reqvirit,)
Grandia tentavit dicere, noſtra, damus;
Aſt veram video famam portendere poſſe,
Centurias doctas qvas habet iſte liber.

Joh. Laurentius Rubricampius, D. Medicus.

In ejuſdem PETRI BORELLI Obſervationes Medicophyſicas.

Qvi Patriæ voluit primo celebrare libello
Laudes, nunc Medicis utile condit opus.
Non melior Civis, Medicus non doctior alter,
Borellus Partes implet utraſq; meus.

P. Galutus SS. Theologiæ Candidatus.

Δ. Π. ΒΩΡΕΛΛΩ ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΩ ΧΑΙΡΕΙΝ.

Πάγκρυφα τῆς φύτεος κλύεις, ΒΩΡΕΛΛΕ φιλητής,
Εὔφυος ἀνδράσιν φάρμακα γεῖα φύεις.
Θαύματα τῆς γαίας παρὰ πᾶν μᾶς χάλεπα βάλλειν.
Ὄμματα τῶν τε Θεῶν δεῦσι σέ, τῶν τ' ἀνερῶν.

Κ. Δ. Β. Α. ΒΕΛΛΑΚ, δοῦλος τοῦ Θεοῦ.

IN

IN OBSERVATIONUM
Medicophyſicarum Petri Borelli Centurias, Præfatio.

QVemadmodum Architecti dirutas domos arte ſua reparant, ſic etiam Medicinæ ars cœlitus ad nos demiſſa, corpora infirmiora auxiliis ſuis ad priſtinam ſanitatem revocare poteſt, qvod & qvotidiana teſtatur experientia, & innumera langventium ægrorum ad ſanitatem revocatorum caterva, acclamatione freqventi, plauſuqve ſuo qvotidiè comprobat. Et profectò qvid magis rationi conſentaneum eſt, qvàm Divinæ huic arti, qvam Reges, qvam Heroës, qvam Prophetæ, qvam Chriſtus ipſe profeſſi ſunt, debita reddere elogia.

Εἷς ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Qvid etiam absqve ſanitate divitiæ, hõores, aliaq; omnia vitæ humanæ ſolatia prodeſſe poſſunt, ſi morbi cruciatibus crudeliſſimis interea dives æger diſtorqveatur, *qvid ſibi divitiæ, ſi non conceditur uſus*, qvô igitur nomine, absqve

Medi-

Medicina, vita noſtra inſigniri debet? nil profectò niſi carcer perpetuus, ſepulchrum ambulans, & ærumnarum phalanx vocari poſſet. A corpore enim noſtro tanqvam ex eqvo Trojano, morborum Illis indeſinenter erumpit. Ad Medicinam igitur tanqvam ad unicum ſalutis portum nobis recurrendum eſt, cum in illa dolorum omnium levamen, & ſolatium reperiamus, & per illam amiſſæ ſanitatis reſtaurationem comparare valeamus.

Cumqve unicuiqve Medico glorioſum ſit, aliqvem attuliſſe lapidem ad hoc ὑγιείας palatium conſtruendum, inter tot gemmas & marmora pretioſa à Medicis Græcis, Arabibus, Latinis, Gallicis, Germanis, Hiſpanis, Italis & Anglis collata, lapillos etiam qvosdam afferre volui, ut ſaltem aliqvid me voluiſſe, in eo qvod valui, pateat.

PETRI

PETRI BORELLI, MEDICI REGII CASTRENSIS, HISTORIARUM, ET OBSERVATIONUM RARIORUM Medicophyſicarum, Centuria.

De planta Aloe, caulem molis ingentis cum ſtrepitu emittente.

OBSERVATIO I.

MIRANDUM profectò valdè, qvod miraculum miraculorum Naturæ ab omnibus authoribus Botanicis derelictum, & ſilentio obrutum fuerit. Aloë planta omnibus nota, in regionibus calidis freqvens, cum ſine caule remaneat per longum tempus (qvod ad centum annos qvidam protrahunt) tandem erumpit cum fragore, & ſtrepitu, impetuqve facto tota in truncum convertitur,

titur, & coram mirantibus hominibus incrementum tantum ſuſcipit, ut etiam qvercum mediocrem æqvet, id eſt, triginta circiter palmorum altitudinem, & femoris craſſitiem, floribusqve in ſummitate decoratur. Qvodqve magis mirandum, intra paucos dies, utpote qvatuor, vel qvinqve, hanc molem attingit, adeo ut incrementum ejus etiam oculis percipi poſſit. Tale qvid viſum nuper apud Monſpelienſes, & alias urbes ejusdem Provinciæ, utqve in Catalaunia; viderunt populi integri, viderunt amici mei, vidi ipſe, anno 1647. & adhuc videri poteſt in horto D. Perier, Pharmacopœi Monſpelienſis: qvod miraculum non parvum ei lucrum attulit. Planta hæc tandem marceſcit nimio illo conatu, nec tamdiu latuerat, niſi ut collectis viribus illud ageret ſpiritus ejus architectonicus. Iisdem uti poſſem rationibus in hac obſervatione, qvibus uſus ſum in obſervatione, de puero ſubitò ad ingentem molem auctô, tamen licet de hac re tractatum integrum conficere decreverim, qvædam breviter attingam, ſi prius dixero, antea idem contigiſſe in urbe Piſcenenſi, in eadem provincia, & in conſpectu Regis noſtri, & Cardinalis Richelii, multorumqve magnatum, ubi intra 36. horas ad 28. palmos excrevit, & ejus figuram delineandam curavit à pictore eximio Rex illuſtriſſimus Ludovicus XIII.

hanc

hanc rem ſtupendam, ſilentio tamen prætereunt, Gualtherus Riff, Mathiolus, Dodoneus, Fuchſius, Dalecampius, Lobel, imò & Cluſius qvi ait, ſe nunqvam ejus caulem vidiſſe. Sic centeſimo anno naſcitur lachryma cervi, palmaqve arbor & elephas fructum centeſimo tantum anno proferunt. Certum enim tempus reqviritur ad calorem, & vires acqvirendas, qvibus partes qvædam animalium, ut cornua, barba, &c. protrudantur: utqve morbi qvidam (utpote canis rabidi venenum) 40. etiam annis in nobis latitant, & tandem dum materia coacervata eſt, unica die erumpunt, idem prorſus de Aloë dici poteſt; ſic etiam aſſeveratur, prudentiæ ſymbolum, morum ſeriùs folia cæteris arboribus emittere, qvæ tamen unicâ fere nocte, & cum ſonitu & fragore qvodam educit. Sunt etiam Nuces juglandes, qvæ unicâ nocte, circa feſtum divi Joannis, & folia & fructus producunt, qvarum aqvam potam curare Epilepſiam multi aſſeverant.

Simili ergo pacto, viſcoſa hæc, & craſſa Aloës planta, longum tempus inſumit ad collectionem materiæ ſibi neceſſariæ, qva collectâ, facili poſtea negotio à natura foras ejicitur, ſpiritu ejus intrinſeco materiam digeſtam, magnâ copiâ inveniente. Rem hanc memoratu digniſſimam tum ob effectum prodigioſum

poſte-

poſteritati conſecrandam eſſe non dubitavi. Hanc à nemine notatam unqvam fuiſſe credideram, obſervationem, nec multum errabam cum in ſolis curis poſterioribus Cluſii hiſtoriam ſimilem repererim, qvæ circa eandem regionem ferè accidit nempe Avenioni, ſic enim loqvitur. Avenioni in hortis D. donis Aloë poſt centum annos caulem emiſit anno 1599. & intra 45. dies (credo legendum eſſe 4. aut 5. dies) excrevit ad 32. palmos 29. emittens ſurculos è caulis medio ut Moſis candelabrum referrent, & in faſtigio Haſtulæ Regiæ Valgis Valgos, non abſimiles fecit croceos in ſuprema parte ut in roſis, undiqve accurrerunt homines ad hoc videndum. Dioſcorides ei Flores albos tribuit, & Plinius, lib. 27. cumqve ſit ſpecies ſempervivi, vocatur enim ſempervivum marinum, obſervandum erit, an ſubito vulgare ſempervivum etiam excreſcat. Alter Botanicus peritiſſimus mihi nuper aſſeveravit, hæc non ſolum vera eſſe, ſed etiam terræ motum facere naſcendo, & ultimo D. Le Fevre trecenſis Medicus mihi ore proprio confirmavit ſe Romæ vidiſſe aloem intra qvatuor dies caulem emittentem, in horto Farneſio.

Qvo-

Qvomodo dentes, fuſo, & digitis, ab Empyricis extrahantur.

OBSERVATIO II.

MULTI qvotidie mirantur qvorundam nebulonum dexteritatem in avellendis dentibus, & ipſe olim miratus ſum, dum unum eorum eqvo inſidentem eos fuſo, enſe, ac digitis avellentem vidiſſem, ſed cùm nuper ab uno ipſorum didicerim, qvo pacto illud peragatur, breviter illud dicam, qvosdam homines pecuniâ corrumpunt, qvibus dentes qvidam deficiunt, iis alios avulſos dentes appropriant, poſtea cum theatra conſcenderunt, dum dentium dolore afflictos accerſunt, accedunt iſti; ſicqve facilè avelluntur eorum dentes, horum tamen gingivas parum exulcerant, ut res meliùs ſanguine effuſo tegatur. Hoc exemplo reliqvi accedunt, qvibus non pari negotio dentes avelluntur, ſed cum ferro ceſſario abſconſo, & cum ingenti dolore, at multis frivolis rationibus excuſantur aliæ, adhucq; majores fallaciæ qvæ in medicina qvotidie patrantur, ut cum calculos ſupponunt, dum temerè qvosdam ſecarunt eos calculo detentos eſſe cum falsò aſſeveraſſent.

Caro

Caro nocte lucens.

OBSERVATIO III.

VIDERUNT innumeri apud Monſpelienſes, vidiqve ipſe, dum Medicinæ operam darem anno 1640. carnem vervecinam, nocte inſtar multarum lampyridarum lucentem de qva etiam in Academia Medica diſputatum fuit, ſed cum nihil in publicum de hac re editum fuerit, fuerimqve fruſtuli illius carnis lucentis poſſeſſor, de hac re inaudita obſervationem facere volui. Qvidam putabant, id à peculiari planta à vervece comeſta provenire, reperiuntur enim plantæ noctu lucentes, ut fungus ſtellatus, & Baaras; alii à qvadam putredine, ut in lignis putridis, nocte lucentibus, unde peſtem nuntiabant futuram, alii à magica qvadam virtute. Sed ego exiſtimo qvod ex membranis qvibusdam viſcidis lucem ſolis, (ut lapis Bononiæ dictus, qvi ſoli expoſitus deinde in tenebris lucet) aliqvandiu captivam retinentibus, illud fieri potuit, ſic oculi multorum lucem ſolis aliqvandiú retinent, adeo ut poſt ſolis aſpectum, in parietibus ſolis figuras à ſpeciebus ejus reſervatis cernant, vel in tenebris, ut Tiberius, videant, ſic etiam lucent noctu lampyridarum ventres, lingva milvi marini, ſqvamæ qvorundam piſcium, eqvorum ſudores, ſaccharum cultro tritum, &c. Vel cum

tri-

triplex ſit ignis lucens & utrens ut culinarius, urens & non lucens, ut cauſtica, & lucens non urens, qvalis fatuus & lambens dictus, huic ultimo ſimilis eſſe potuit iſte de qvo agimus. Nam ut ignis ille lambens, adipoſa loca, cæmeteria & cloacas pro matrice habet, ſic adeps, vel alia materia apropriata vervecis noſtri potuerunt accendi ab eo, idem viſum etiam in qvibuſdam piſcibus fruſtulatim ſectis, noctu enim lucem fudiſſe mihi aſſertum fuit.

Autumarem etiam, igneum calorem partis lucentis, aeris partes denſiores inflammare, unde lux ad parvam emitti potuit peripheriam, lumen autem illud eſt tantum aer accenſus, transmutantur enim viciſſim elementa, hæc eſt etiam admirandi D. Peireſcii, Doctorum Mæcenatis incomparabilis opinio, ut ex ejus vita, à doctiſſimo & curioſiſſimo D. Gaſſendo edita patet. Sic enim aer â ſole qvotidie accenditur unde lux diem faciens, ortum ducit, multo ſubtilior, qvàm qvæ ex aqva vitæ accenſa, qvæ urit qvidem, ſed ſine manuum læſione, in aere autem eſt qvædam ſubſtantia qvinta, aqvæ vitæ ſummè rectificatæ, cœliqve naturam retinens, qvæ ſic à ſole, ſine individuorum læſione accenditur, optimum ſpirituum noſtrorum pabulum, & occultus vitæ cibus, ut cum heroe Coſmopolitano loqvar; qvod autem lux à certis qvibuſdam rebus re-

tineatur per aliqvod tempus patet in oculis felium, luporum, &c. Et qvandoqve in noſtris, ut qvibuſdam mihi notis accidit, qvi nocte expergefacti media omnia clarè, luna non fulgente, cernebant. Hujus obſervationis teſtis fuit clariſſimus Bartholinus ut libro ſuo de luce retulit, ego vero bis Lutetiæ idem abhinc vidi, & ſemper hyeme, qvare exiſtimo, id à membranarum qvadam congelatione provenisse.

Hydrocele, ſeu hernia aqvoſa inſtar capitis, breviter curata, item lapis in cyſtide fellis, ulcereqve tibiæ, ut & os cruciforme in liene.

OBSERVATIO IV.

D. Luqves peritus Chirurgus Albigenſis, qvo operante inſignem curavi in nobili domino, cujus nomen taceo, hydrocelem, mihi raras qvaſdam obſervationes communicare dignatus eſt, ſed anteqvam ad illas accedam, breviter accipe, qvæ in teſticuli illius hydrope facta fuerunt. Primò, Conſilio D. Ferrandi peritiſſimi Medici Caſtrinovidarienſis, & meo Jalapio purgatus fuit, poſtea fotus emollientes & diſcutientes admoti, & tandem lanceola perforatus, in parte decliviori ſcroti, vitando teſti-

teſticulum, & lineam, interſtitium inter teſticulos facientem, ictus autem transverſi digiti profunditatem attigit, anteqvam aqva exiverit, qvæ iteratis vicibus extracta fuit, clara & non fœtida, eaqve ad libras duas, cura hæc ſatis rara fuit cum paucis poſt diebus ad negotia iverit.

Ille idem Chirurgus mihi retulit, ſe ab ulcere antiqvo lapidem tophaceum, nigrum duriſſimumqve extraxiſſe, & poſtea ulcus, antea incurabile, facilè curaſſe. Item lapidem amygdalæ magnitudinis è fellea cyſtide ictero laborantis detraxiſſe, bilis autem, loco ſuo à lapide occupato, per totum corpus regurgitarat. Idem, in liene alterius os cruciforme invenit, qvod tamen exiſtimo fuiſſe vaſorum orificia durefacta, qvæ obcalluerant, ut in corde boum & eqvorum ſæpe accidit, taleqve eſt, os de corde cervi dictum, qvo in Medicina utinur adverſus venena.

Lapis in veſica bovis inſolitæ figuræ.

OBSERVATIO V.

NOTANDUS lapis, qvi mihi à D. Gabriele Ducros Medico collega meo, oſtenſus fuit, è qvo bos ejus occubuit, eſt durus & qvaſi metallicus, in tres partes qvaſi diviſus ac ſi globuli tres conjuncti profundè fuiſſent, in

meatu urinario repertus, talesq; ajunt ruſtici, ejuſdemq; figuræ in bobus repertos fuiſſe. Ut autem de hoc qvædam dicamus, ſciendum eſt, lapides, ut vermes, in omnibus animalibus, inqve eorum omnibus partibus generari, ut exemplis confirmare poſſem. Lapis iſte bovinus notus fuit Arabibus, & vocatus ab iis Alcheron Haratzim, ex Anſelmo Boethio, lib. de Lapidibus, valetqve ad calculum, ad epilepſiam, ad venena, & ad viſum acuendum.

In aliis boum partibus reperiuntur etiam lapides, ut in capite & matrice vaccarum ex Plinio, & in felle ac pulmone boum ex Cardano & Bodino. Non autem miror, qvod gignantur hi lapides, cum qvotidie talia cernantur, cumqve veſica etiam fere integra cujuſdam nobilis mihi noti fuerit lapidefacta, & cum fœtus integer in utero materno aliàs lapidefactus in Gallia viſus fuerit, de qvo liber doctiſſimus, de Lithopædio, extat; ſed miror, qvod adeo parvo lapillo tantæ molis animal corruerit. Generatus fuit lapis iſte calore, generantur tamen qvandoqve frigore, ſed ut plurimum feſtucam vel aliqvid aliud pro baſi, ut Grando, & Bezoar habent. circa qvam materia cuticulas efficit ex urinæ ſedimentis, & ſic ut cæpe lapis cuticulatim accreſcit, qvandoq; etiam & ut plurimum ægri facultas qvædam lithopoietice humores tartareos coacervans illud

illud præſtat; ſunt enim ſpiritus qvidam lapidifici, qvi è cavernis erumpentes, qvandoqve obvia qvæqve in lapides vertunt, ut videre eſt apud Uvitflietum, & Aventinum in hiſt. Bavariæ, in qva ait 40. paſtores cum vaccis lapidefactos fuiſſe. Sunt & aqvæ talem habentes virtutem, nam

Flumen habens Cicones, qvod potum ſaxea reddit
Viſcera, qvod totis inducit marmora rebus.

Fontes tales in Diœceſi noſtra duos habemus, à me primo vulgatos, de qvibus alias multa dixi in libro meo Antiqvitatum Caſtrenſium.

Febres malignæ, auro ſoluto curatæ.

OBSERVATIO VI.

MUltis exantlatis laboribus & vigiliis in arcanis naturæ perqvirendis, ſecretum auri ſolvendi tandem nactus ſum, id eſt menſtruum benignum amicè aurum intra paucas horas ſolvens, & ſine fumo, imò ſine igne, qvod diſſolutum poteſt ad ſalis naturam, & olei reduci, cujus grana, tria, qvatuor, vel ſex, juxta ætates varias propinata, intra qvatuor horas circiter, ſudoribus copioſis febres malignas purpuratas, epidemicas & pertinaces curarunt, hujus effectus miraculoſi vires qvater, admiratus eſt oculis propriis Jacobus Broſſo-

nius Pharmacopola Monſpelienſis, qvi ipſe expertus eſt, accepto olim à me illo ſecreto non mediocri, ne autem ab invidis mordear, aliisq; ſimilis fiam, qvi res proponunt, non edocent, ſciant lectores, qvi hermeticæ ſcientiæ rivulos perſcrutantur, è roris ſpiritu illud factum fuiſſe, juxta Sendivogii doctrinam, at dicent rurſus multi, cur non ejus copiam mihi comparo? ſed ſciant expenſas lucrum ſuperare.

Notandum eſt collectores auri fluvii Gard in Occitania inferiori juxta urbem Vigan aſſerere, roris guttas unicuiq; auri Paleæ adhærere mane in arena, eâqve nutriri.

Rorem illum coctione longa abhinc nigrum, albiſſimum & citrinum reddidi, ſed ſine projectione fuit. Cum linteis baculis alligatis è pratis & ſegetibus, procul à fluviis & tempore ſereno colligitur, ea in vaſis torqvendo, deinde filtratur & coqvitur, donec evaporaverit tota aqva, & tandem aeri & radiis exponitur aſtrorum, & è cryſtallis in eo generatis elicitur ſpiritus.

Claudii duo ſponte facti à natura, anno eodem, qvo pater caſu claudus factus fuerat.

OBSERVATIO VII.

INter admiranda recenſeri poteſt caſus ſeqvens in ſuburbio qvodam prope Tholoſam, villi-

villici cujuſdam genu, anno 15. ætatis ſuæ ictu luxatum fuit, unde per totam vitam claudus factus eſt, poſt illum ictum uxorem duxit, & duos ab illa ſuſcepit pueros rectos, & probè conformatos, usqve ad annum decimum, qvintum, ſed qvindecimo elapſo, ſponte ſuâ, genuum eorum oſſa luxata ſunt, vitio patris in iis hereditariè expergefacto, & eodem anno in iis erumpente, qvo ipſe luxatus fuerat. Qvod certè rarum & admirandum ſimulqve veriſſimum accidens, volumini integro materiam præbere poſſet, ſed ſufficiet mihi ſi dixero, ſemen eſſe puriorem totius ſangvinis ſubſtantiam, & ab omnibus corporis noſtri partibus defluere, unde ideam & formam earum, ſimulqve vitia, & morbos parentum ad filios transfert. Non autem hæc ſtatim ab ortu apparere ſolita ſunt, qvia matris ſemine vitia illa qvodammodo corriguntur & retunduntur, ſed tandem poſt variorum annorum pugnam, ſemen virile muliebri prædominatur, vel ê contra, indeq; , ut loqvuntur Paracelſus, & doctiſſimus Severinus Danus, id ad qvod prædeſtinatum eſt, accidit, & ſic non mirum, ſi ſedem ſuam pravam capiens, luxatio naturalis ſubſeqvatur.

D. le Faucheur Paſtor Eccleſiæ Carentonienſis, novit virum rectum, qvi tres duxit uxores rectas etiam, & tamen omnes ejus filii

Claudi fuerunt. Id ergo fiebat à vitio hæreditario avorum in iis reſurgente, hinc enim fit, ut filii vultu ut plurimum avum vel atavum referant & non parentes.

Tumor vento plenus.

OBSERVATIO VIII.

D. Petrus Duncanus Montalbanenſis ſeqventem mihi communicare obſervationem dignatus eſt. D. de Salinis nobilis Benearnenſis morbo chronico diu detentus tandem inflammationem gutturis, & ſpinæ dorſi tumorem paſſus eſt, qvibus periit. Diſſecto cadavere, omnia viſcera ſana reperta ſunt, & tumor ille diſſectus nil niſi ventum emiſit. Neceſſe eſt igitur, venenatam qvandam in hoc vento incluſo latitaſſe auram, ut loqvitur Zacutus Luſitanus, vel aërem ibì à calore debili generatum & corruptum medullam infeſtaſſe ſpinalem, cujus affectus periculoſiſſimi ſunt, qvia ſubſtantia eâdem qva cerebrum conſtat, eſt enim cerebrum oblongatum & ejus appendix.

Piſcis vivus vomitu rejectus.

OBSERVATIO IX.

IDEM amicus rariorem hanc hiſtoriam mihi communicavit. Uxor Domini de Paraſols

ſols nobilis Aqvitani, diuturno ſtomachi dolore detenta, nullis remediis unqvam levari potuit, tandem vomitu provocato piſcem vivum ſex digitos longum evomuit. Res autem hæc certiſſima eſt, & à multis aliis Medicis mihi confirmata, cujus caſus non aliam cauſam agnoſco niſi qvod parvulus piſcis cum aqva, horis nocturnis, deglutitus fuit, & ſic in ſtomacho incrementum accepit, ſic enim in poculo dum bibere vellem, piſciculos aliqvando deprehendere mihi contigit, ſicqve in nobis ſerpentes, ranæ, &c. generantur, ſemine ovisqve eorum vel iis parvis cum aqvis deglutitis.

Salmuth majora narrat in Obſervationibus ſuis, cum aſſerat, embrionem humanum ab irrumatione natum in ſtomacho mulieris fuiſſe, & vomitu ejectum fuiſſe, qvi homunciones Paracelſi fieri poſſe confirmare videntur in vaſculis ad ignem mediocrem qvæ ſemen humanum contineant, vel ſub gallina inter ova ſi reponantur, aut ſub axilla, ut qvidam Chimici faciunt, ut ignem ſine expenſis habeant. Reperta ſunt ova, ut videre eſt apud Aldrovandum, in qvibus erant tanqvam capita humana, qvæ creduntur ſic facta ex ſpermate viri à gallina vorato.

Sericeum filum in ſupercilio mulieris vegetans, & aliæ inſitiones admirandæ de puella hirſuta.

OBSERVATIO X.

MIrabilius adhuc, & huc usqve inauditum eſt ſeqvens accidens ab eodem amico mihi etiam communicatum. Domina N. urbis Toninenſis in Aqvitania, vulnus in ſupercilio paſſa eſt, qvod à Chirurgô filo ſerico crudo conſutum, admovendis admotis, ad curam deductum fuit, tamen filum illud ſericum parvo poſt curam tempore, foras emergere viſum eſt, qvod cum ad nimiam accederet longitudinem, reſectum fuit, ſed ſemper creſcens ſic per longiſſimum tempus multoties reſectum fuit. De re adeo admiranda Petrus Duncanus, Medicus Montalbanenſis libellum compoſuerat, ſed in lucem non editus fuit, qvo autem pacto hæc admiranda ſubſtantiæ humanæ in ſericum metamorphorſis fieri potuerit, id, ut opinor, fieri neqvit, niſi rerum diverſarum inſitione facultas vegetans jungatur, cibumqve per eas tranſeuntem ſua qvalitate permutet, ut in arborum inſitione videre eſt, in qvibus totius arboris alimentum in virgulti inſiti naturam pertranſit & ejus fructus afferre ſolitus eſt. Hæc vocari poſſunt tranſplantationes, qvæ in nobis fieri poſſunt, non ſolum morborum, ut

ut voluit Severinus Danus, ſed etiam plantarum & animalium. Viſus enim eſt in Hiſpania paſtor ætate noſtra, qvi rubum floribus coronatum in abdomine ſuo natum oſtendebat, qvod irridebunt oſores mei ignari, ſed infra ejus rei optimum afferam teſtimonium. Hoc qvidem valdè rarum, ſed non ſine exemplo eſt, refert enim Ariſtoteles, ſe hederam naturâ cornibus cervi hærentem vidiſſe: ſæpiſſimè etiam piſa & alia legumina, in aures caſu delapſa radices egiſſe reperta ſunt. De moro & ceraſo etiam in auribus natis reperiuntur hiſtoriæ: ſed cum viderim in patria urbe puellam Germanam, Barbam dictam, toto corpore hirſutam, adeò ut in fronte, genis, naſo, &c. pilos ſubtiles & molles copioſos oſtenderet, barbamqve longam albicantem inſtar venerandæ canitiei ſeni 80. annorum, imo ab aurium cavitatibus longæ comæ erumperent, non poſſum non dicere, me credere id arte factum fuiſſe. Exiſtimo enim monſtra arte parari poſſe, ut in magia mea naturali exactiùs olim oſtendam: potuit enim excoriari corpus epipaſtico qvodam remedio & poſtea ſerico, cannabi, vel lino crudis regi, imo fortaſſe lana recenter avulſâ, ubi crevit in poſterum, ſicqve poſſet fieri transplantatio ſerici in qvadrupedibus, adeo ut ſericum verũ in cute varia animalia ferrent, multa enim jacent naturæ & artis arcana incogni-

ta ob hominum contemptum, ut videre eſt apud Baconem, lib. de progreſſu ſcientiarum.

Sic gallorum calcaria in capitibus eorum inciſis poſita, creſcunt & magna evadunt, ſicqve poſſent etiam ulceratione vel vulnere facto, jungi duo corpora, imo cornua recenter avulſa in variis animalium partibus, nuperqve vaccam cornua multa in pede habentem vidi, & de capra idem legitur, qvæ forſan ſic peracta fuerant: ſic etiam nunc novi dentes admoventur, qvi vitam contrahunt, ſi à vivo avellantur animali, qvod caſu detectum fuit, cum enim qvidam dentes duos amiſiſſet ictu, idqve ægrè valdè ferret ob deformitatem, eos ſubitò repoſuit joci gratia, & tamen radices egerunt & firmitatem priſtinam ſibi compararunt. Qvi Taliacotium de chirurgia curtorum, & hiſtorias Sennerti & Goulartii de naſorum, labiorum & aurium inſitione legent, hæc non abſurda invenient.

Sic ergo ſericeum filum de mulieris ſupercilio agglutinavit, ut uvis & aliis fructibus agglutinatur cuſcuta, qvod Lycoſthenes ignorans inter prodigia retulit, aliiqve poſt illum, uvas barbaras viſas fuiſſe ſcribentes, qvod ſanè lucri gratiâ cuſcutæ admotione tantùm peractum fuerat, ſic enim in amplam meſſem in uvis ſola appoſitione creſcit. Sed ut ad rem revertar, ſimilem adhuc referam hiſtoriam qvæ extat

extat apud Maſſacum libro de Limphis Pugiacis, ſic autem loqvitur.

Naſcitur in plantis alieno ſemine planta,
Humano mirum viguere in corpore plantæ,
Et gemmæ teretes,atqve auri pura metalla.
Nam vidi, & ſervo ſtupas, ex ore puellæ,
Aure,& nare,oculoq; ſimul,ſimul atq; pudendo,
Nuper decerptas, ima radice tenebant.
Donec maturis reparabat cornua phæbe,
Atq; renaſcendo renovabant menſtrua fibras.
Et turba obſtupuere ſimul numeroſa videntũ,
Candorē niveum, benè olentem&iris odorem.
Monſtratur vulſo defixus & unio denti,
Qviqve duo fuerant alter ſervatur apud me.

Sic adhuc animalia in nobis naſcuntur & metalla. Aurum enim repertum legimus apud Albertum magnum in cranio hominis mortui: nolo autem ſermonem facere de dente aureo pueri Sileſii, cum impoſtura ab aurifabro germano detecta fuerit, licet Rulandus & Ingolſtetterus de eo ex profeſſo ſcripſerint.

Hic debet etiam adjungi mira obſervatio, dum curioſitatis gratia apum labores contemplarer, (in hoc Ariſtomacho felicior, cum unicâ horâ, naturæ qvodam favore viderim, qvod ei intra 48. annorum contemplationem apum, videre non licuit.) unam vidi qvaſi ſerto floſculorum coronatam, adeo ut ejus oculi, & os, ſerto illo flavo tegerentur, & neſciret

qvo

qvo tenderet, hanc accepi & vidi, (multisqve illud oſtendi) herbulam qvaſi ſempervivum minus, cum duodecim caudiculis è cranio apis ortum duxiſſe: hanc adhuc ſervo, ut increduli convincantur, id forſan factum fuit, qvod ſemper floribus nutriantur.

Utqve melius res credatur, & pateat, me non nugas in publicum edere. Hiſtoria paſtoris Tarraconenſis ſupra memorari in vita D. de Peireſc. Doctorum ac curioſorum Mæcenatis, his verbis legitur.

Prunulus in regione Thoracis medii, ſeu ad ſternum fruteſcebat, qvoniam paſtor in prunulum incidit, & ſpina per biennium ad eam partem implantata ſic radices egit, ut poſt reſectos ſurculos varios, aliqvi tandem prodierint, in qvibus flores & fructus viſi, & ipſe Peirescius, vir maximi momenti, de cujus dictis dubitare non licet, dono tales ſurculos accepit. Circa gallinæ cujusdam collum idem in Thuſcia viſum eſt, ideo non dubitavit, qvin cornua hædi cornibus agnorum inſeri poſſent, qvod ſi exeqvatur, mira profecto videbunt nepotes noſtri.

Ego vero meliori jure non dubito, viſcum qvernum inſitione ſurculorum ejus in variis qvercubus, adeo multiplicari poſſe, ut non amplius inter rara annumeretur.

Hic adhuc adjungam obſervationem D. Joh.

Joh. Solegrii peritiſſimi botanici, vidit ille veterem Carpionem, è cujus cute capitis muſcus ſine terra ulla prodibat copiosè, ſatisqve longus; ſic memoror me legiſſe, dracones muſcoſos etiam viſos, balenasqꝫ dorſo viridi & herbis decorato, adeo ut qvandoqve anchoras in eas navigantes projecerint, & in earum dorſis tabernacula poſuerint, ignemqve accenderint, (mole enim ſua inſulam ſatis magnam æmulabantur,) ſed tandem calore penetrante recedebant, illos attonitos relinqventes. vid. obſ. 27. qvæ qvandam cum hac conformitatem habet. D. La Mothe le Vayer, narrat etiam in opuſculis hominem Sylveſtrem Muſcoſum extitiſſe.

Ex Euſebio Nierembergenſi in Hiſtoria Peregrina naturali legitur ſpicam farris Aretii in naſo mulieris excreviſſe ex Gualteri Chronico, & ex Plutarcho culmus hordei in veſica cujusdam dyſuriâ laborantis excrevit.

Idem Euſebius refert etiam, virum fuiſſe, in cujus ore, naſo ac auribus floſculi nati ſunt, citatqve Conradum Rubeaqvenſem, & Vincentii ſpeculum.

De ape etiam notandum, qvod ceram externè ſupra fœmora fert, & qvod mel in ſtomacho affert, qvòd parumper alteratum, & tanqvam chylum ut pipiones evomit, cumqve pauci ſciant, an illud, & qvomodo gerat, hanc nolui experientiam tacere, ſi enim apes ſepares in

duas

duas partes ſubito in iis invenies inſtar grani milii mellis veſiculam, qvam ſi ſugas, dulcis erit.

Pali albi in pene adoleſcentis.

OBSERVATIO XI.

OBſervavi pilos albos in adoleſcentis pene repertos ſterilitatem denotaſſe,talem enim vidi, albi autem fiunt à nimia frigiditate partiũ generationi dicatarum, ut in ſenibus ob pituitam prædominantem, qvorum tamen pili in hiſce partibus ultimi albeſcunt.Calor enim ultimus in iis partibus minuitur.

Obſtructio magna,cum ingvinum tumoribus.

OBSERVATIO XII.

ANtonius Donadille, & Antonius Lafon lanifici,eodem morbo detenti fuerunt, nimirum obſtructionibus magnis cum tumore ac duritie totius abdominis, urinæ difficultate, & tumoribus utrinqve ad ingvina, longis & duris inſtar cotis, tamen ad priſtinam revocati fuerunt ſanitatem ſeqventibus remediis.

Acc.fol.malvæ,bismalvæ,plantag.& abſynthii ana manip. 1. florum Chamæmeli & melil. ana manip. ſemis, ſem. fænu græci, lini, & cumini ana ſcrup. 1. coqve in vini albi. ſ. q. usqve ad conſumptionem duarum partium, fiat fo-

tus

tus bis in die reiterandus, & poſt fotum ſeqventi inungatur linimento.

Acc. olei amygd. dulc. viol. lil. roſar. chamæm. & nardini ana unc. ſemiſ. adipis anſeris unc. 1. ceræ ſ. q. fiat linimentum, in qvo diſſolve parum empl. de baccis lauri.

Ad dyſenteriam remedia.

OBSERVATIO XIII.

DYſenterias magnas & diuturnas ſæpe ad curam perfectam ſeqventium remediorum uſu deduxi.

Acc. fabarum cum cortice pulveratarum drag. VI. cariophyll. exſiccat. igne, numero, 8. miſce, fiat pulvis, poſtea cape lentium integrarum unc. VII. & cum aqvæ amphoris 2. bulliant, tandem chalybeetur hæc aqva XII. vicibus, & cum pulvere ſupra dicto ſumatur in tres doſes matutinas.

Vel acc. olei olivarum & ſacchari ana unc. 2. liqveſcat ſaccharum in vaſe terreo, addendo vitell. ovorum numero 3. & tribus diebus manè ſumatur.

Pro arcano etiam habeo à viro illuſtriſſimo, argenteæ folium plantis pedum admotum omnes dyſenterias intra 24. horas ſiſtere. Tandem notavi aeris mutationem mire ad dyſenteriæ curam conferre, vidi enim D. Solierium

um mercatorem Nemauſenſem dyſenteria fe rè morientem eiqve qvædam præſcripſi remedia, ſed curari nunqvam potuit, niſi aeris Caſtrenſis cum ſuâ immutatione, poſt qvam ſtatim curatus fuit, pinguisqve evaſit, licet antea tabe confectus eſſet.

Sic iberis planta pedum plantis ſuppoſita ex Fluddo febres tollit, & ſi deinde à qvodam tangatur morbum contrahet, qvod Severin Dani, & Tenzelii doctrinam de mumiæ, & ſeminum morborum transplantatione, ineptè ſagis tributam, confirmat, cum res ſit naturalis.

Cornu in facie.

OBSERVATIO XIV.

D. Deſtanove Monſpelienſis Chirurgus inter rara qvædam, qvæ curiosè aſſervabat, cornu trium digitorum longitudinis cujus baſis duorum digitorum craſſitiem æqvabat, incurvum & ſubfuſcum mihi oſtendit, qvod è gena cujusdam mulieris extirpavit, ſub qvo cancer repertus fuit.

Talia exempla plura reperiuntur apud authores, Cabrolius autem aliud refert ejusdem urbis in obſervationibus ſuis anatomicis, ad verrucarum cancroſarum genera hæc referri debere exiſtimo, videntur etiam ſæpiſſimè penſiles verrucæ & cornuũ inſtar incurvæ & duræ

mihi

mihi etiam aſſertum à monacho, ſe vidiſſe fratrem ordinis prædicatorum, cui cornu tale juxta oculum exivit.

Ganglium in fronte, ejusqve cura.
OBSERVATIO XV.

MULIER qvædam ictum frontis paſſa eſt, qvem tumor nullus ſubſeqvutus eſt, niſi decima-qvinta die, qva tumor obortus eſt magnitudinis nucis juglandis, ſed mobilis, nuncqve dolebat, nunc molleſcebat, nunc minuebatur, nunc augebatur, & ſic per longum tempus cum maximo incommodo permanſit: curatus tandem fuit aqvæ vitæ cum rutæ ſucco mixtæ admotione, linteisqve arctè fronti appoſitis.

Vulnera, & ulcera magna curata.
OBSERVATIO XVI.

ULCERA multa & maxima, in multis corporis humani partibus ſeqventi emplaſtro ad curam perfectam deducta ſæpiſſimè vidi acc. maſtiches. unc. 1. therebint. Venetæ unc. 3. ceræ flavæ unc. 4. liqveſcant in olla terrea, primo cera cum therebinthina, poſtea removeantur, & in aqva tepida diu laventur & malaxentur, dumqve malaxantur pulvis maſtiches cum iis incorporetur & in magdaleones redigantur. Seqventia emplaſtra miros etiã produxerunt

effectus. acc. betonicæ, agrimoniæ, verbenæ & pimpinellæ, ana manip. I. ceræ, thereb. reſinæ ana lib. I. maſtiches ſcrup. I. vini albi opt. lib. III coqve ad conſumt. tertiæ partis, & cola, coqves autem herbas ſolas, & poſt conſumptionem tertiæ partis reliqva addes, rurſusqve parum ea coqves. Deinde empl. à vino ſeparabis. Nicotianæ decoctione etiam ſola in oleo cum ceræ ſ. q. fit optimum emplaſtrum ad idem.

Vomitus clyſteris, & puris mictus in peripnevmonia.

OBSERVATIO XVII.

FILIUM Auſſenaci textoris Caſtrenſis, ſex annos natum, peripnevmonia detentum vidi, eumq; cum ingenti ſpirandi difficultate & ferè moribundum prima die, qva vocatus fui, inveni, tanta autem erat ſpirandi difficultas, ut una qvaq; expiratione cavitas ingens in ſtomacho fieret, multumqve temporis inter ſyſtolem, & diaſtolem conſumeretur, fuit tamen remediis meis ad priſtinam revocatus ſanitatem.

Sed in ejus cura duo ſatis inſolentia accidentia notanda ſeſe obtulerunt, qvorum primum fuit clyſteris vomitus, colore enim & odore id manifeſtiſſimè agnovi, ſecundū vero fuit puris perfectè cocti & albi mictus copioſus, qvæ res profectò inſolita eſt, mirorq;, qvomodo natura ſibi

ſibi vias adeò occultas & diſſitas qværat. Hæc cùm cuidam medico communicaſſem, negabat vomitu poſſe clyſteres rejici, & contrarium non ſolum affirmabat, ſed pro re ridicula id aliis enarrabat, donec apud Sennertum ei oſtendi non ſolum clyſteres, ſed etiam ſuppoſitoria filis alligata, imò & fragmenta candelarum vomitu rejecta fuiſſe. Qvod qvidem fieri poteſt valvulis inteſtini cœci à Natura debilitata laxatis, aliter enim (utpote integra ſanitate fruentibus) clyſteres ad os pervenire non poſſent.

Pleuriticos etiam Davidem, & Jeremiam Tornerios ejusmodi mictu puris curatos vidit D. Iſaac Riverius, Medicus peritiſſimus Mazametenſis prope Caſtra.

Remedium Epilepſiam minuens.

OBSERVATIO XVIII.

PUlvere ſeminis ſaponariæ ante paroxiſmos ſumpto, ſemel in menſe per tria novilunia ad drag. 1. obſervavi paroxiſmos valde minui, tum numero, tum violentia. Idqve in filia 25. annos nata tentavi, cum felici ſucceſſu.

Nota etiam hanc herbam ſignaturam hujus proprietatis habere, ſpumam enim, ſi in aqva fricetur, ſaponis inſtar emittit (unde ei nomen inditum) ſicqve ſpumantibus Epilepticis confert.

Rutæ manip. 1. in vini amphora infuſum, & per tres dies mane ſumptum idem præſtat.

Vermes in capite verbis curati.

OBSERVATIO XIX.

PAuper qvidam vir, loci, *d Orban*, apud Albigenſes, multis ſcatens pediculis in capite tandem ulcera ſubſeqvuta ſunt, in qvibus vermes multi nati ſunt, qvi ſub cute latitantes, neſcio qvibus viis per aurem egrediebantur, cum maximo fætore & ægri incommodo (idem tamen apud Arnaldum de Villanova reperitur,) multis fruſtra tentatis remediis, tandem à ruſtico unicâ nocte Curatus fuit, eo procul ab illo diſtante, & qvaſi pulvere ſympathetico, idqve modo ſeqventi peregit, ivit juxta Ebuli plantam, ante ſolis ortum, qvam inclinavit, ſubqve lapide poſuit, dicens vernacule. *Incarcero te, herba bona, donec vermes cadere feceris, qvos N. habet in capite, vel aure,* & ſtatim omnes ſponte exiverunt, licet milliaribus duobus ab illo diſtarent operante. Eodem modo ſi vermes ſint in qvodam animalis cujuscunqve ulcere, illud nominando & deſcribendo, locumqve ulceris dicendo, ſtatim etiam cadebant. Sic alter ruſticus, D. de Bonne, D. de Gouriade villi-

villicus verbis eqvorum tormina è longinqvo ſanabat ſubitò. Et adhuc alter villæ Carthuſianorum propè Caſtra, anno 1648. cum erucæ innumeræ omnia devaſtarent, verbis eas à villa ſua & nemore fugavit adeo, ut catervatim ad alium locum migraverint. Hæc mihi alia multa in memoriam revocant ſimili pacto verbis curata, ſed cum in verbis vim naturalem agnoſcere non poſſim, ea brevitatis cauſa tacebo: Latet, ut opinor, aliqvid Diabolici in his curis, ſeu pacti impliciti cum dæmone, ut ferè ab omnibus Medicis notatum fuit, talia exempla refert Fernelius, lib. de Abditis rerum cauſis, & Marcellus in lib. ſecretorum, ad qvos harum hiſt. & carminum curioſos mitto, de hac re vide Avicennam lib. 3. fen. 4. cap. 22.

Ulcera pediculoſa.

OBSERVATIO XX.

JOhannes Viguer ſatelles Regiomontanus prope Caſtra, poſt morbum chronicum convaleſcens, veſicis per totum corpus ſcatuit, qvaſi admoto veſicante remedio univerſali, qvibus apertis, parui pediculi innumeri ab iis exire viſi ſunt, non ſine magna adſtantium admiratione. Humores enim

noſtri, talem qvandoqve qvalitatem acqvirunt, ut in pediculos convertantur, velut in phthiriaſi, ſeu morbo pediculari, qvo multi principes perierunt. Poſſunt enim ſine copulatione à putridis calidisqve humoribus in nobis inſecta generari.

Peſtis cum nube cadens.

OBSERVATIO XXI.

ANno 1626. qvo peſtis maxima urbem Caſtrenſem adeò populata eſt ut 6000. hominum è medio ſuſtulerit, obſervatum eſt, nubes ſubfuſcas veſpertinis & matutinis horis urbi inſediſſe, qvod qvidem teſtatur peſtis cauſam non ſemper divinam eſſe, & hominum malitiâ allici; ſed ut plurimum naturalem, nubes etiam illa non mane vel ſerò cadebat ad peſtem inferendam dæmonum ope, ſed fuit vapor venenatus à propria urbe, ſolis radiis elevatus, qvi ſuſpenſus ſemper ei inſidebat, ſed ſole accedente evaneſcere videbatur, at in crepuſculis rurſus apparebat inſtar cometarum, qvi diurno tempore non apparent.

Idem olim obſervatum fuit à Daubigneo Franciæ Hiſtoriographo cap. 2. tomi 3. vidit enim globum nubium, manè & ſerò urbi Bellovacenſi incumbentem, nubes hæc autem

peſtis

peſtis erat, qvæ urbem illam maximè devaſtavit. Hæc ergo teſtãtur, peſtis cauſam ferè ſemper naturalem eſſe. Non nego tamen, qvandoqve divinitus, & ex profeſſo ob hominum peccata trasmitti, ut Davidis Regis tempore accidiſſe nobis ſacri codices teſtantur.

Peſtem autem è nube naturaliter deſcendere poſſe exiſtimat etiam D. Gaſſendus inſignis Philoſophus & Mathematicus, tomo 2. Philoſophiæ Epicureæ, qvare tanti viri ſententia fultus id affirmare non dubitavi.

Adverſus peſtem remedia.

Observatio XXII.

PEſte, anno 1629. in meis tractibus graſſante, A. S. proximus meus multos ſeqve ipſum curavit applicatione fruſtuli cornu Monocerotis, ejusqve infuſione in aqva communi pro potu ordinario, hancqve præcautionis gratia propinabat, qvi enim tali aqvâ utebantur, peſte non inficiebantur. Alii prunellâ herbâ contuſa & bubonibus admota curati ſunt, alii alliariâ, alii epoto cæpe enucleatæ ſucco, poſtqvam cum Theriaca cocta fuiſſet.

Innumeri vero curati fuerunt admotione

cucurbitularum emunctoriis, imò tumoribus ipſis, theriacaqve ſumpta: bubones autem maturabantur optimè, cataplaſmate ex radicibus liliorum, foliis plantaginis & violarum ad putrilaginem coctis, qvibus apertis, ſolo ung. Baſilic. ad curam perfectam deducebantur. Hæc facilia remedia & naturæ amica præſtare exiſtimo remediis, qvæ natura renuit, è buſonum ſanie comparatis, qvæ Van Helmontius lib. de peſte edocet, & Petrus Johannes Faber Medicus Caſtrinovidarienſis in ſuo Gallico de peſte libello tranſcripſit.

Serpens à puero per anum ejectus.
OBSERVATIO XXIII.

PUer qvidam Monſpelienſis valde alvi cruciatibus diſtortus, tandem parvum ſerpentem ejecit minimi digiti craſſitei, & decem pollices longum, qvem adhuc D. Gilibertus Monſpelienſis Pharmacopola vitro incluſum, & aqva imperiali conditum aſſervat curioſis. Alii mihi affirmarunt, ſerpentes lacte admoto, ab ægris, in qvos irrepſerant per ſomnum, eductos fuiſſe. Potuit autem ſerpens prædictus, vel ſic in corpus irrepere (dormiente puero) lactis ſugendi gratiâ, vel in corpore generari, ut viſum olim in ſepulchro caroli Martelli Regis Gallorum, & aliorum, ex qvorum ſubſtantia ſerpentes generati ſunt. Vidi

Vidi præterea capillos innumeros muliebres animatos & formam ſerpentum optimè referentes, ſicqve in corpore deglutitis pilis transformari poſſent. Tandem notandum eſt, ancillam caſtrenſem ægrotantem, ante obitum duo animalcula ſalamandras referentia evomuiſſe, Medicus autem ejus fuit D. Vigierius, Medicus Caſtrenſis.

Hæmoptois ab hirudine inſciè deglutita.

OBSERVATIO XXIV.

VIr de re Medica benè meritus, D. Joanneus, Medicus Caſtrenſis, mihi rem notatu digniſſimam communicavit. Paucis abhinc annis dum in Marii agro propè Monſpelienſes, Medicinam faceret, propoſitus fuit illi æger curandus, hæmoptoide magna, à ſatis longo tempore detentus, ſine dolore ullo tamen capitis, vel pectoris, qvi morbus nullis unqvam remediis levari potuit, conqverebatur autem æger tantummodo de fruſtulo qvaſi carneo gutturi hærente. Tandem morbus ille pertinaciſſimus ſubitò & mirè curatus fuit, nam cum æger iter facturus eqvum ferocem conſcendiſſet, tuſſi tanta correptus fuit, ut ejus violentia hirudinem vivam foras ejecerit. Unde ſubitò levamen accepit nec amplius hæmoptoidem paſſus eſt.

Sæpe

Sæpe ab hinc hirudines ſub eqvorum lingvis obſervavit, dum ſangvinem per os effunderent. Debent ergo Medici hac obſervatione moniti perpendere, an hirudines in locis, in qvibus medicinam faciunt, reperiantur, talia enim ibi ſæpè occurrere poſſunt ſymptomata, qvæ pro aliis facilè, his ignotis habebuntur. Caſus iſte rariſſimus licet, à magno noſtro tamen Hipocrate agnitus fuit, libro enim ſecundo prædictionum circa medium ſic loqvitur. Si cuipiam fauces implentur ſangvine, ſæpe, ſingulis diebus ac noctibus, cui neqve caput anteá doluit, & qvi neqve tuſſim habuit, neqve vomuit, neqve febre correptus fuit, neqve dolorem habuit, nec pectoris nec dorſi, hujus conſiderandæ ſunt nares, & fauces, an ulcus aliqvod habere compareat in hoc loco, aut hirudinem. Sic videmus pauca eſſe, qvæ intacta vir ille maximus reliqverit.

Qvo autem pacto in guttur irrepſerit hirudo? non dubito, qvin nocturno aqvæ potu, urgente ſiti, cum aqva deglutita fuerit & ibi ſangvinis ſugendi gratia remanſerit. De hac re vide etiam Avicennam lib. 3. fen. 9. cap. 5.

San-

Sangvis albus inſtar lactis.

OBSERVATIO XXV.

ANno 1648. virum vidi febre maligna detentum, cujus ſangvis ſtatim à phlebotomia albedinem lactis retulit, qvod rariſſimum exiſtimo, & à læſa facultate ſangvifica chylum immutatum relinqvente factum fuiſſe. D. Iſaac Riverius Medicus Mazametenſis idem tamen vidit in ſcabioſo. Sed qvod adhuc magis mirandum, extat cerdo Caſtris, Jacobus Pradeſius vocatus, qvi ab omnibus venis, qvæ vulgò ſecari ſolent phlebotomatus, à D. Joan. & Iſaac Tirefortiis Chirurgis Caſtrenſibus ſemper ſangvinem album etiam emiſit.

Canities ſubita.

OBSERVATIO XXVI.

NObilis D. de Sancto Serenio Monſpelienſis, cùm Lutetiæ incarceratus fuiſſet, (metu forſan mortis) adeo refrigeratus fuit, ut ſubitò canus unicâ nocte effectus fuerit; ſed cum tandem à carcere liberatus fuiſſet, priſtinum colorem capilli ejus recuperarunt. Talia multa exempla apud Donatum, Scaligerum, Petrum Meſſiam & alios invenies, idqve Oſotio hiſtorico accidiſſe certum eſt. Hæc

autem

autem ex Hippocrate fiunt, refrigerato corpore, & à frigido alimentò, ut in ſenibus, in qvibus caneſcunt, qvod frigidiſſimi ſint, at timor magnus adeò corpus refrigerare poteſt, ut brevi tempore ad ſenum temperamentum deducatur.

Sic metu nimio duæ mulieres mihi notiſſimæ pueros manuum ac pedum articulationibus itarſorum & carporum ſe junctis & contortis pepererunt. Alius Epilepticus ob terrorem qvendam factus eſt.

Ictus ſerpentis facilè curatus.

OBSERVATIO XXVII.

CUm ruſticus qvidam ad ſegetum meſſes exiviſſet, ſpicasqve colligeret, à ſerpente in ſtomacho ei vulnus inflictum fuit, ſed verbaſci foliis contritis, & admotis brevi tempore curatus fuit. Notanda ergo eſt illius plantæ vis, & credibile eſt, qvod de muſtela fertur, qvæ à ſerpente vulnerata, ad hanc herbam accurrens, curatur, indeqve forſan illud arcanum homines didicerunt.

Piſcis in digito genitus.

OBSERVATIO XXVIII.

CAſus hic admirandus mihi à multis fidei digniſſimis viris enarratus fuit. Piſca-

tor

tor qvidam circa urbem Monſpelienſem, à piſce *Raſcaſſe* vocato, cujus effigies & deſcriptio apud Rondeletium libro de piſcibus reperitur, vulneratus in digito ejus ſpinâ, ſeu aculeo adeo fuit, ut digiti maximus dolor & tumor ſubſeqvutus fuerit, qvi nullis remediis levamen capiens, tandem à Chirurgo apertus fuit, repertusqve fuit in medio tumoris digiti piſciculus probè efformatus, formam illius, à qvo vulnus inflictum fuerat, referens. Talis hiſtoria adeo inſolens eſt & notatu digna, ut niſi brevitati ſtuderem, amplam mereretur ſpeculationem, dicam tamen qvædam. In qvibusdam animalibus ſemen non in teſticulis tantum continetur, ſed qvandoqve ad caput, vel alias partes redundat, ut in qvodam ſerpentum genere, qvi ore coëunt, îmo etiam per totum corpus qvandoqve ſperma diſpergitur: tunc enim ſemen ideam totius corporis referens ad univerſam cutem redundans, ſi in locum matrici analogum incidat, ſibi corpus prædeſtinatum & ſolitum effingit, ſicqve in digito ſupradicto facere potuit. Semen autem piſcium, maximè omnium ſeminum prolificum eſt, cùm frictione ſola, eaqve qvaſi imperceptibili coëant. Sic in urinis demorſorum a canibus rabidis effigies canum percipiuntur ob ſeminis æſtuantis portionem qvandam, per canis ſpumam morſu communicatam,

qvæ

qvæ etiam cerebrum inficiens eos in canun naturas mutat, latrant enim & mordent ut ca nes. Vide Obſ. 9. in qva multas tales inveni es transplantationes & inſitiones. Hoc, mi randum licet & ſtupendum, non ſemel tamen accidit, ſimilis enim extat hiſtoria in vita ſupr memorati D. de Peireſc. à D. Gaſſendo mir arte concinnata, refert autem Frontiniaci i Occitania inferiori in digitum piſcatoris, cùr implantata fuiſſet ſpinula ſcorpionis marini rem eò deveniſſe, ut Chirurgus exinde tres pi ſciculos ejusdem generis ſcorpionum extraxe rit. Sic legitur apud Linſcottum, vermes lon giſſimos in ſuris tibiarum Indorum qvorun dam generari, qvos dracones vocant. Eju remedium ſunt lactes, qvi in ejus piſcis ventr reperiuntur.

Ad fertilitatem comparandum.

Observatio XXIX.

Mihi pro ſecreto ſæpius probato revelatur fuit, mulieres concepturas licet ſterile exiſtimentur, modo à vitio conformationi non pendeat ſterilitas, ſi, anteqvam virum ac cedant, placentulam mentaſtri vulvæ impo nant coronæ inſtar effigiatam, idqve ſub fin menſtruarum purgationum fieri debet.

He

Herbæ clandeſtinæ potentia ad ſterilitatem arcendam.

OBSERVATIO XXX.

HErba qvædam occulta, & ſub terra deliteſcens, qvaſi naturæ invidiâ, verno tempo-e reperitur, qvæ Clandeſtina, Madronna, oc-ulta, & aliis variis nominibus inſignitur, rara nventu, & paucis ab hinc ſeculis cognita, ulti-na in Dalecampii libro plantarum deſcripta. At duplex apud nos reperitur, qvod ille igno-avit, purpuream tantum deſcribens, flore e-im albo etiam reperiri ſed rarò, certò aſſeve-are poſſum. Flores ejus glomeratim ſupra erram prominent, & paucis diebus (ut ophio-loſſum, & lunaria racemoſa) folia vero latent, lba, craſſa, & inſtar nucis pineæ glomerata, lanta hæc ſignaturas virtutis ſuæ referre, ſi va unqvam dici poteſt, nam folio, tum ſili-va & flore, vulvæ figuram æmulatur. Si jus radix & folia contuſa, & cum ovis frixa, el cruda cum ſale, oleo, & aceto comedantur, ertatem inducent, aliisqve uteri affectibus nedebuntur, menſtruaqve irritabunt. Idem dhuc, meliusqve faciet ſal, vel extractum il-us.

Ad Ophthalmiam remedium.

OBSERVATIO XXXI.

MUltis fruſtra tentatis remediis in patre

meo, ophthalmia detento, ſeqventi applic tione curatus fuit. Acc. albumen ovi. & cu aluminis fruſtulo tandiu agitetur, donec pu tis conſiſtentiam acqvirat, poſtea linteo ſu tili involvantur, & oculo clauſo palpebræ in ponatur, ſæpe renovando.

Febrifuga.

OBSERVATIO XXII.

DOminus A. S. Affinis meus, gratis inn meros febricitantes febre qvotidiana, tertiana detentos, pericarpio ſeqventi, qvo utilitati publicæ libenter voveo, curavit, qvo dam prima vice, alios ſecunda, pertinaces te tia, remedium tale eſt. Novem pentaphy folia radicitus colligit, gallicè dicendo Ap ſtolorum ſymbolum, confeſſionemqve (qvibus tamen ego, ut neqve à numero foli rum curam pendere non exiſtimo) poſt incipiente paroxiſmo, arteriæ brachii dext tria folia cum ſale, ſuperqve his tria alia fol cum ſale, rurſusqve deſuper alia reliqva tr folia cum ſalis pugillo, in medio foliorum in ponit, & ſic mille ad minus febre detentos cu ravit. Multiqve etiam qvartana detenti, qv tuor folia eodem pacto imponendo, cura ſunt. Pentaphylli autem vires apud Wecke antidotarium ſi legas, ad febres pro remed ſpecifico admirando commendari reperies.

Mu

Multi qvoqve curati fuerunt potione aqvæ vitæ ad drag. 3. in qvibus lapis Hiſpanus cruciger infuſus fuerit, ſumi autem debet hora paroxiſmi per tres vices, ſicqve qvartanam curatam etiam ſæpe vidi.

Ictus venenati inſecti.

OBSERVATIO XXXIII.

IO. Guitberta Caſtr. habitu pingvi prædita nocte media à ſomno expergefacta, dolorem morſu qvodam in fronte percepit, ibiqve manu ſubitò admotâ, inſectum qvoddam ſubturum invenit, qvod procul projiciens cicadæ adentis ſonum imitatum eſt, craſtina verò die reperiri nullibi potuit, ſed caput mulieris adeo ob ictum illum intumuit, ut viſum etiam miſerit, pravaqve multa ſymptomata & tandem mors, intra paucos dies ſubſeqvuta fuerit. Qvale autem fuerit inſectum illud, qvidve agendum fuiſſet, nunc videamus. Ego exiſtimo, talem ictum inflictum fuiſſe à ſcorpione, nam licet apud nos, non reperiri exiſtimentur, tamen aliqvi, ſi res exactè perqvireretur, reperirentur, non enim adeò à locis, in qvibus copioſiſſimi ſunt, diſtamus, & prætera poſſunt ab officinis pharmacopolarum, qvum ad oleum ſcorpionum conficiendum ponuntur, clanculum effugere, & ad vicinos ir-

repere. Qvare debebant remedia ſcorpionu vulneribus appropriata adhiberi.

Fungi per totum corpus erumpentes.

OBSERVATIO XXXIV.

POſt morbillorum curam, reliqviæ eoru admirandum & inauditum morbum pep rerunt, puer urbis Mazametenſis D. Iſaa Riverio Medico curandus propoſitus fuit, c jus corpus univerſum poſtqvam Variolis c ratus fuiſſet, fungis nucis magnitudinis te centis circiter cauliculis totidem inhærentib ſcatebat, circaqve uniuscujusqve fungi ra ces, duo vel tria ulcuſcula erumpebant, fun vero nigri erant & intus ſangvinolenti, æg tamẽ optimè ab illo curatus fuit. Tanta aute in illo fuit morbillorum malignitas, vel tanta ab utero materno illuviem in corpore ſuo d liteſcentem (ut Arabum utar doctrinâ,) co ſervaverat, ut cutem qvaſi Elephanticam, p ſtulas rugoſas, nigrasqve, roborisqve cor cem imitantes contraxiſſet. Cum ergo nat ra, hæc extra pellere tanqvam inutile & on roſum conaretur, ab hac indicatione prude Medicus auxilia deſumens potum præſcrip ex decocto ſcorzoneræ, tormentillæ, card benedicti, angelicæ, ſcabioſæ, & aliorum c diacorum, & ſudorificorum, qvorum freqve

uſu æger curatus fuit, cutisqve ejus cum
ıngis, omninò inſtar ſuberis, vel ſenectæ ſer-
entis, cute tenellulâ ejus loco exortâ cecidit.
Iuper ferè idem vidi in puella mercatoris Ca-
trenſis.

Sudorificum facillimum.

OBSERVATIO XXXV.

ALni foliis ſi ſacci impleantur, Soliqve expo-
nantur, & poſtea iis vel totum corpus, vel
ars qvam ſudare cupis, tegatur; ſudores co-
iosè & ſine mora provocabuntur.

)yſenteria Epidemica, cum ani dolo-
ribus maximis, curatæ.

OBSERVATIO XXXVI.

DUm vir nobilis, D. de Carrere Caſtra ſe-
qveretur, dyſenteria malignâ & epidemi-
â correptus fuit, cum maximis torminibus,
ni cruciatibus horrendis, & ſangvinis puri
opioſa & freqventi ejectione. Innumeris
erperam admotis remediis, unicum auxili-
m fuit, lac caprinum, cujus uſu tum in clyſte-
bus, tum in foribus ani, tum ejus hauſtu
ım ſaccharo perfectam ſanitatem recupe-
avit.

Hypochondriaci curati.

OBSERVATIO XXXVII.

D. C. præceptor, in melancholiam hypochondriacam tantam incidit, ut ſe ſanctum eſſe ſpiritum affirmaverit, imò & illud ſacris paginis comprobare conatus ſit. Phlebotomia tamen pedis & brachii celebrata, & purgatione melanagoga propinata curatus pro multis annis remanſit. Audivi tamen illum rurſus in eundem morbum incidiſſe.

Iisdem remediis mulierem curatam vidi, ſe à dæmone obſeſſam eſſe affirmantem, & multa abſurda de hac enarrantem, qvæ vera qvibusdam eſſe videbantur, licet hæc à ſolô humore melancholico procederent.

Dolor verticis fixus diuturnus, ab hydrocephalo interno.

OBSERVATIO XXXVIII.

MAria Cueillere, puella duodecim annos nata, temperamento pituitoſo & pingui habitu prædita, anno 1648. menſe Majo, maximo dolore fixo verticis laboravit per 4. menſes, vocatus fui ad ejus curam, eam ferè ſine febre inveni, ſed omnia alimenta rejicientem, aqvâ autem ſola cum ſaccharo permultos dies vitam traduxit, de nulla enim alia re, præter de dolore ſuturæ coronalis conqverebatur.

ur. Remedia omnia qvæ utiliora mihi viſa uerunt admovenda curavi, phlebotomia brachii celebrata fuit, inunctiones & fotus par-is dolentis, &c. Sed omnia ſine ullo levami-ne, nullus tamen aderat tumor vel rubor, tandem ad remedia efficaciora deveni, & veſicantia præſidia ponè aures & occipitio admota uerunt, qvibus cum non levaretur ipſi parti dolenti, etiam potens veſicans applicandum eſſe cenſui, qvod cum pari ſucceſſu peractum uit, tandem cucurbitula cum ſarificatu, & ul-imò cauſticum potentiale regioni dolenti applicata, nihil profuerunt. Mens adhuc & ſententia mea erat, crucialem celebrare inciſionem, imo & trepano uti, ſed mors finem miſeriis & doloribus ejus, anteqvam hæc remedia celebrarentur, impoſuit. Tandem morte hac auditâ, cauſamqve ejus agnoſcere cupiens, ut poſteritati res adeò admiranda transferri poſſet, parentes renuentes exoravi, eorumqve amicos, dicens caput puellæ aperiendum eſſe non ſolum ad morbi cognitionem, ſed etiam ut cæteris familiæ, ſi eodem morbo qvandoq; detinerentur, utile foret. Apertum ergo fuit caput puellæ, me præſcribente, omniaqve optimè conformata & ſine corruptione, (præter ſpem tamen) reperta ſunt, exiſtimaveram enim pus copioſum intus latere, præcipuè qvoniam paulò ante obitum per oculum dextrum

purulentum aliqvid emiſiſſet, ſed cum de cauſa agnoſcenda deſperaremus, dum curioſitatis gratiâ, rete mirabile & alias partes Chirurgus diſcipulis ſuis demonſtrare voluiſſet, digitis abſceſſum rupit, natibus & infundibulo cerebri inhærentem, è qvo ſtatim aqva clariſſima, cum impetu & ad libras duas exivit, qvaſi è fonte ſcaturiens & in altum proſiliens. Tunc causâ morbi cognita, parentes errorem nullum amplius habuerunt, nec circa remedia, nec qvod a muliere ſagâ exiſtimata qvæ illius capiti manum impoſuerat morbus ille inductus fuiſſet. Qvo autem pacto contractus fuerit abſceſſus ille, vel ſpecies hydrocephalos, facillimum eſt dicere, pituitaria enim glandula, pituitam tanqvam ſpongia aqvam alliciens & coacervans, temperamento juncta pituitoſo puellæ, caloriqve debili, aqvas cumulavit. Serum verò è venis diapedeſi tranſcolari potuit, & ibi coacervari, ut in puella cujus caput intumuit, & omnes ventriculi aqva referti reperti ſunt, ut refert Epiphanius Ferdin. hiſt. med. 21. præterea, ut ait Hippocrates, epiſtola ad Regem Demetrium, caput eſt humanorum morborum radix, qvia ori velut cucurbitula incumbit, & omnium eorum qvæ ingeruntur ſuperfluitates, præcipuè tenues humores attrahit. Non parum etiam potuit ad hunc morbum cumulandum conferre qvod

à D.

à D. Eleazaro de Campdomerc peritiſſimo Medicinæ Decano noſtro annotatum fuit, ſcilicet qvod qvinqve vel ſex ante morbum menſibus ſcabiem capitis paſſa erat puella noſtra, & malè à monachis qvibusdam curata repellentibus remediis, & ungventis frigidis fuerat, unde caput refrigeratum, & ſeroſitates in eo cumulatæ fuerunt. cauſaqve morbifica, qvam ſapiens natura extra centrum emittere conabatur, facta Palindromia intus repulſa eſt, calorqve naturalis ab illa materia extinctus fuit de hac re vide Avicennam l. 3. fen. 1. cap. 10.

Alii dolores verticis fixi.
OBSERVATIO XXXIX.

PLures deinceps vidi à doloribus verticis fixis cruciatas mulieres, qvas phlebotomia venæ rectæ frontis vel ranularum, cucurbitulis ſcarificatis, apophlegmatiſmis, errhinis & cephalicis, hydroticiſqve purgationibus levavi, vidiqve uxorem advocati, qvæ ex dolore diſtorta ſemperqve hoc pro matricis ſimptomate, à Medico ordinario accepto tandem obiit qvam tamen exiſtimo hiſce remediis curari potuiſſe.

Semper tamen ab hoc fonte dolor ille non ortum ducit. mulierem enim vidi, qvæ de ingenti capitis dolore fixo & in minima circumferen-

ferentia conqveſta, nec phlebotomia, nec veſicantibus remediis aliisqve ullis levari potuit, qvæ tandem multis veſiculis ſponte obortis curata fuit, aliamqve qvæ tumore in fronte nato, apertoqve, maximam puris copiam effudit ſicqve curata remanſit. In alia nihil ex his profuit, ſed inciſione cruciali celebrata, vermes latentes reperti ſunt, à qvibus procedebat dolor, qvibus detractis, curata fuit.

Vermes ex umbilico.

OBSERVATIO XL.

ÆGrum maximis doloribus ventris detentum vidi, ad cujus curam multis fruſtra adhibitis remediis, vermes tandem copioſi per umbilicum erumpere viſi ſunt cum fætore maximo, & tandem optimè curatus fuit: credo vermes ſibi hanc qvæſiviſſe viam lactis ſugendi gratia, cataplaſmata enim de mica panis ſæpè umbilicali regioni admota fuerunt.

D. Dalaret, Medicus Milhauenſis mihi etiam aſſeveravit, Dominam d' Hugla Milhauenſem ſæpe vermes longos ſic ab umbilico eduxiſſe, qvod etiam notavit D. David Puechmeia in Suſanna Bardina.

De Syrupo Abſynthii.
OBSERVATIO XLI.

CIvis qvidam Monſpelienſis ſibi famam, comparavit ſyrupo qvodam abſynthii mediocriter purgante, vermes necante, appetitum revocante, & ſtomachum refrigeratum corroborante, qvod ſecretum nemini voluit unqvam communicare. Ego tamen illud te gratis doceo. Certum eſt enim, ut à domeſtico didici, non aliter illum ab eo officinarum differre, niſi additione parva Rhei electi pulverati, & abſynthii collectione, menſe Majo, ante ſolis ortum, cumqve rore ſuo.

Puer gigas.
OBSERVATIO XLII.

PRope Manſum de Verdun, in villa D. de Magis, puer natus eſt à patre & matre mediocris ſtaturæ, qvi tamen intra octodecim menſes hominis perfecti magnitudinem attigit, fuitq; lucri gratia per Galliam totam ductus à parentibus. Medicis autem Pariſienſibus circa inſolitæ hujus magnitudinis prognoſin interrogatis, reſponſum dederunt, puerum hunc 7. annos tantum victurum eſſe, qvibus completis, juxta eorum prognoſticum, fato functus eſt, ſed hac ætate gigas fuit. Non difficilè autem erat, parvam vitam illi por-

portendere, cum immodicis brevis ſit ætas & rara ſenectus, & cum in pueris primo climacterico mors ſubſeqvi ſoleat, dum aliqvid præter ætatem in iis deprehenditur. Sic arbores, qvæ ſubito creſcunt, cito occidunt, & aloe, de qva egimus in prima obſervatione, cum intra 4 dies creſcat in magnam molem, etiam ſtatim areſcit.

Qvod vero ad tantæ magnitudinis cauſam attinet, exiſtimo id fieri potuiſſe à qvadam aſtrorum vi peculiari, vel à nimis frigido corporis illius temperamento, cum nimia nutritione in utero materno à ſangvine menſtruo. Non autem mirum eſt, gigantes poſſe apud nos naſci, cum homunculi contrarias ob cauſas qvotidiè ibidem oriantur.

Venenati Lacerti morſus.
OBSERVATIO XLIII.

CUm qvidam ludentes lacertum laceſſerent, unius genu morſu lacertus petiit adeo venenato, ut nunqvam curari potuerit. Qvod teſtatur, iratorum animalium morſus ſemper metuendos eſſe, irata enim animalia omnia venenum qvoddam in ore acqvirunt, bile ad externa educta. Sic morſus hominis irati, imo felis, muris, &c. prava inducunt ſymptomata, ideoqve capita & caudæ ſerpentum amputantur, poſtqvam irâ flagris inductâ ferbue-

buerunt: qvod autem venenum coacervetur ad extrema, viſum eſt Monſpelii caput viperæ amputatum & ad humum projectum, qvod ancillæ calcem feriens, ei brevi mortem induxit, ſic ſerpentis aliqvid cum retineat lacertus, vulnus inſolitum efficere potuit, qvod non accidiſſet, ſi ſubitò cucurbitulâ venenum ejus extractum fuiſſet.

De morbis tibiarum.

OBSERVATIO XLIV.

Tibiarum morbi in hac urbe Caſtrenſi maligniſſimi & curatu difficillimi ſunt, ut à longo obſervatum eſt tempore, præcipuè tumores & ulcera, neſcio an ab humiditate nimia, ob pluvias diuturnas, vel à flatu auſtri freqventi, vel à peculiari loci proprietate, vel à cœleſti influxu illud pendeat. Sic Lutetiæ capitis morbi & alvi fluxus pernitioſi ſunt, & non tibiarum ictus, è contra vero apud nos facilè alvi fluor & capitis vulnera ad curam deducuntur. Qvare conſulerem, ut qvi Lutetiæ hiſce morbis capitis, vel alvi fluxu detinentur, (eſt enim Lutetiæ lethalis,) & qvi apud nos tbiiarum ulceribus & tumoribus crucientur, locum mutuò mutent, ut commodiùs, malignis vitatis influentis curari poſſint, ſic olim Romani tabidos ab Tabios montes mittebant.

San-

Sangvineæ maculæ in facie puerorum mortuorum.

OBSERVATIO XLV.

SÆpè obſervatum eſt, pueros ſubitò nocte mortuos fuiſſe, cum clamore & ejulatu, ſine ullo morbò præcedente, gutta autem ſangvinis in gena, vel alibi reperiebatur; unde hæc mors ſubita, & gutta ſangvinis oriatur, credo me percepiſſe: exiſtimo autem vel à venenato qvodam inſecto vulneratos eſſe, vel acu longa à ſagis transfixos, ut apud authores, qvi de iis ſcripſerunt, legere eſt. Inter qvos Strozzi Cigogna Vincentius, libro ſuo DE GLI INCANTI. Id à ſagis fieri, & confiteri aſſeverat, qvare conſulerem, ne lumen tota nocte in cubiculo, in qvo dormiunt pueri, extingueretur, donec baptiſmi lavacro ſaltem mundati fuiſſent, vel adhuc exactiùs juxta puerorum dignitatem ſerventur, qvia à ſagis ante baptiſmum expetuntur, lucemq; refugiunt hæ tenebrarum principis ancillæ.

Maculæ ſangvineæ in linteis, licet in arca reconditis.

OBSERVATIO XLVI.

MUlieres veraces & non è fece populi mihi ſæpe narraverunt, ſe pluries in linteis in arca reconditis, & in cubilis ornamentis

imo,

imò eadem die, qva mundata fuerant magnas maculas ſangvineas deprehendiſſe, qvod à mago fieri exiſtimabant. Rem hanc aliqvandiu ſpeculatus, difficillimum inveni, cauſam ejus rei naturalem detegere, recordor tamen me legiſſe apud Danielem Sennertum, qvendam virum extitiſſe, qvi qvotannis naturali phlebotomia in ſanitate perfecta fovebatur, porus enim aperiebatur circa epatis regionem, è qvo ſangvis ejaculabatur ad libram unam circiter, & poſtea ſponte ſine ullo foraminis veſtigio ſiſtebatur. Legi etiam alibi, pluviæ cujuſdam prodigioſæ guttas, ſangvineas maculas effeciſſe, aſt hic accuſari neqvit cauſa ultima, prima etiam difficilè, qvia paucæ non adeò in altum ejaculatæ fuiſſent, nec in arca. Sed tandem veram novi cauſam, nullo modo enim in dubium revoco id à muſcilionibus, & culicibus ſangviſugis factum fuiſſe, qvi poſtqvam ſangvine repleti ſunt, mundiora eligunt lintea ad ſangvinem illum eructandum, ut ſæpe obſervavi. Sic animalia qvædam qvadrupeda odoratu ad excrementa ſua deponenda lapides mundiores & nitidiores eligunt.

Ingens

Ingens vulnus facilè curatum.
OBSERVATIO XLVII.

QVidam magno fuſtis ictu, dimidiæ partis cutis capitis uſqve ad aurem excoriationem paſſus eſt, & conſuta cute ad curam perfectam deductus fuit ſola panis albi aſſi, & vino imbuti, admotione. Alterius vero ſimile vulnus melle ſolo admoto curatum fuit.

Mammæ ingentes.
OBSERVATIO XLVIII.

MUlier Regiimontis propè Caſtra, annos 20. nata in mammarum tumorem ingentem incidit, imò adeo prodigioſum, ut ad 30. librarum pondus accedere potuiſſent, tandem enim coacta fuit faſciis magnis has ingentes mammas involutas, cum maximis laboribus collo alligatas ferre. Ad me acceſſit, ut ei remedia præſcriberem. Præſcripſi autem qvædam, qvibus menſtrua retenta inferius moveri poſſent, nempe malleoli ſectionem, cucurbitulas pro partibus inferioribus, uſum thermarum & aqvarum medicatarum aperientium, & fotus exſiccantes pro mammis, agnoſcebam enim miram ſympathiam menſtruorum cum mammis, unò enim retento ad aliud vergit materia ex Hippocratis ſententia, qvi mammis cucurbitulas admovet ad menſtrua ſiſtenda,

da. Hiſce remediis adhibitis menſtrua erumpere cæperunt, mammæqve detumuerunt. Hæc cura inter miras & notatu digniſſimas reponi poteſt, erat enim tumor ille, res adeò horrenda, & ad tantam devenerat magnitudinem, ut ad Chirurgum acceſſiſſet, ut mammarum amputatio inſtitueretur.

Papillæ duæ in unica mamma, tres mammæ, item ad papillam reconditam remedium.

OBSERVATIO LXIX.

NOn abs re erit, cum de mammis egerimus in ſuperiori obſervatione, 4. alias de mammis enarrare hiſtorias. Rachel Raye mulier caſtrenſis tres habet mammas, nempe duas in locis ſolitis, & tertiam ſub ſiniſtra, ſed cæteris minorem, ab illa tamen lac etiam effundit, ſed non æqvè ac cæteris. Aliam vidi mulierem etiam in eadem urbe, Gabriëlam Gleiſes nuncupatam, binas papillas in eadem mamma habentem, & non multum inter ſe diſtantes. Utqve hæc obſervatio non ſine documento qvodam remaneat, vidi mulierum papillas in mammis ſepultas, facillime cucurbitularum admotione foràs attractas, ſimulqve lac, licet difficilè antea manaſſet. Virum etiam agnoſco, qvi lac è mammis coram me effudit.

Joannes Faber Lynceus, in Nardi comment. 4. Mammas lacte fœcundas in Romana vidit muliere.

Ad Ambuſta.

OBSERVATIO L.

MUltos pulvere pyrio & aliis modis uſtos, tam in facie, qvam reliqvis corporis partibus, intra novem dies unguento ex oleo nucum puro & recenti, (& non cum ſeminum qvorundam vel piſcium oleo alterato,) & ovorum luteis mixtis æqvis partibus, ambuſto loco admoveri debet renovando bis in die, absq; amotione prioris, donec cruſta unguenti ſponte cadat inſtar larvæ. Ut vero ungventum non frictione linteorum decidat, ſi uſtio ſit in fæmore vel tibia poterit chartaceo involucro vel ligneo retineri.

Optimum etiam remedium eſt unguentum ex cortice mediano ſambuci, adipe renum vervecis, oleo olivarum, & ſucco ſempervivi minoris conflatum cum pauca cera. Cœpa etiam cruda diſſecta, vel cum oleo trita, & admota non inutilia ſunt.

Ægra Dæmones cernere aſſeverans, curata.

OBSERVATIO LI.

ANcillam Caſtrenſem vidi temperamento melan-

melancholico, bili admixto præditam, qvæ cum in morbum incidiſſet, ſymptoma valde inſolitum habuit. Vocatus autem fui cum D. Eleazaro de Campdomerc optimæ notæ Medico. Illam febre detentam maximâ invenimus, diabolum ſe percipere perpetuo, eumqve alloqvi, & multa alia horrenda dicentem, hæc tamen ſectâ vena malleoli, aliisqve remediis tum purgantibus, tum bilis ferociam retundentibus, frictionibus, & cucurbitulis; noſtro conſilio curata optimè fuit. Hæc autem omnia à menſtruorum retentione nimia, juncta atræ bili exundanti procedebant, à qvibus ſæpè mulieres dæmoniacæ fieri videntur. Avicenna etiam dæmonia multos morbos præcipuè maniam vocat, forſan qvod talia produxiſſe perceperit ſymptomata.

Lethargus ingens curatus. Et vir vitrivorax.

OBSERVATIO LII.

COqvus Caſtrenſis, Arnaldus Mirapicius vocatus, 55. annos natus, & temperamenti melancholici, nivis frigora paſſus in itinere in lethargum incidit tantum, ut per plures dies inſtar mortui & cum metu ſuffocationis non mediocri fuerit, tandem cum nullam ſalutis ſpem videret pharmacopola, (de more ſolito,

medicos enim niſi cum res deſperata eſt, non vocant,) me vocandum curavit. Multa ergo præſcripſi remedia optima, utpote. Veſicantia præſidia ponè aures & occipitio, cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis, aliud veſicans interſcapulio. ſternutatoria & tandem remedium à multis decantatum Medicis ex Caſtorei ſcrup. 2. & ſcamonii ſcrup. 1. cum Oxymelite in duas doſes, ſicqve optimè curatus fuit. Tandem illum purgavi phlegmagogo cathartico. Cum autem doſis hæc ſcamonii & Caſtorei inſolita eſſet, mordebar ab oſoribus & invidis meis qvi propalabant, me triplicem doſim remediorum uſurpare ob ignorantiam meam, neſcientes tale remedium reqviri in tanto morbo, eoqve deſperato, (magnis enim morbis optimè magna remedia ex Hipocrate adhibentur) & ab autoribus optimæ notæ, imo patribus Medicinæ præſcribi, nempè ab Alexandro Tralliano, Ruffo Epheſio, & Oribaſio.

Hujus viri à lethargo curati mira proprietas non reticenda eſt. Eſt enim vitrivorax, ut ille de qvo agit Columbus. Nam vitrum, etſi ſatis ſpiſſum, avidiſſimè vorat in conviviis, vinum ſuper bibendo; ſangvis autem ab illius ore fluit, dum hæc peragit. Id tamen ſæpiſſimè & innoxie fecit coram me.

Vomi-

Vomitus ciborum per totam vitam.
OBSERVATIO LIII.

D. Joanneus civis Caſtrenſis qvadam ventriculi imbecillitate vel obſtructione, eaqve tanta laboravit, ut cibos (alteratos tantum,) vomitu per 20. annorum ſpatium vomuerit, ſicqve innumeris remediis fruſtra, & perperam tentatis usqve ſexageſimum annum miſere vixerit. Cadaver apertum non fuit. Forſan id à qvodam ſtomachi tuberculo, ut alias legi, accidiſſe ortum ducebat.

Abſceſſus in ventriculo.
OBSERVATIO LIV.

D. Maſſé aurifaber Caſtrenſis, multos annos cum facie valde macilenta tranſegit, vox ejus rauca, dolor circa ſtomachi regionem, tuſſis freqvens & febris lenta aderant; tandem anno circiter 50 obiit. Vidi cadaveris diſſectionem à Medico clinico imperatam, & obſervavi in ejus ventriculo materiam nigram lutulentam, ſangvinis corrupti colorem æmulantem, copiosè cumulatam, qvæ certè cauſa & morbi & ſymptomatum ejus fuit, erat enim abſceſſus in ventriculo: abſceſſum autem materiæ, nunc mel, nunc lutum, nunc ova, nunc alia innumera referunt. Sic qvidam ab hydrocele mortuus, ſcrotum qvaſi ſepo plenum, & alius in femoris ulcere qvaſi caſeum habuerunt.

 Febris

Febris maligna purpurata epidemica, cum convulſione, tremore, aliisqve pravis ſymptomatibus, curata.

OBSERVATIO LV.

D. R. Mercator, annos natus 35. temperamento melancholico præditus, habitu corporis macilento & qvaſi ad phthyſim vergente, menſe Junio anni 1648. in febrem malignam epidemicam incidit, maximis & pravis ſtipatam ſymptomatibus, ſudor enim à prima die uſqve ad 14. ſemper ab illius manavit corpore, pulſus convulſivus ſemper etiam fuit, vigiliæ adfuerunt ferè perpetuæ, qvia in delirio ſemper ſagas earumqve choreas & nocturnos conventus, ut & dæmones eum vexantes, &c. horrenda videbat, qvibus adeo debilitatus fuit, ut mors proxima fuerit. Convulſione etiam & tremore totius corporis per qvinqve dies maximè diſtortus fuit, adeo ut & lingva valdè vulnerata, & maximus dentium ſtridor ſupervenerit, alvus pigra erat, dolores univerſi præcipuè circa epatis regionem aderant, pulſus parvus & ſine ordine, omniaq; ſemper in pejus vergebant: qvare tres fuimus convocati medici conſilioqve ſæpe inito, ſeqventia remedia adhibita fuerunt. Primo vena brachii ſecta, ac ſanguis optimus apparuit, cumqve bis rurſus cæteri phlebotomiam ſuaderent,

rent, renui, qvare non amplius celebrata fuit, cum ſangvis corruptus non fuiſſet, nec vires adeſſent. Et qvoniam ſangvinis miſſionem huic morbo magis obeſſe qvam prodeſſe notaveram, ad tantum venenum extrahentibus remediis, & ſudorificis cardiacisqve utendum, potiſſimum theriaca. Qva methodo triginta tunc ægros non mediocriter morbo illo populari detentos cum Dei benedictione curavi. Nimiâ enim venæ ſectione venenum radices profundiores, debilitatâ naturâ, & theſauro ſuo, nempe ſangvine imminuto, agebat. Multi pipiones igitur capiti & cordi admoti fuerunt, toſtæ panis cum pulveribus cardiacis orificio ventriculi & uſus opiatæ Salomonis & Theriacæ, ut & inunctiones olei de ſcorpionibus ad vires conſervandas, & veneno obſiſtendum, potiones ex aqva papaveris rheados cum ſyrupo violaceo ad ſomnum conciliandum, pulvis de gutteta ad convulſionem propinatus; pipione verò cerebro admoto miteſcebat convulſio, & tremor ille perpetuus, qvibus affligebatur.

Clyſteres ex vino & jure injecti fuerunt, uſus eſt in juſculis confect. de hyacintho, cucurbitulæ ſcarificatæ, ut & ſine ſcarificatu admotæ fuerunt, tandem decima qvarta die, puſtulæ qvædam ſeu ecphimata per totum corpus apparuerunt, ægerqve ſenſim levamen

accipiens tandem ad perfectam ſanitatem deductus fuit, contra omnium ſpem. Notandum eſt, rigorem & tremorem illum qvem paſſus eſt, inter bona malignarum febrium ſymptomata annumerari, qvia teſtantur febris diſceſſum, & ejus loco, aeris inſinuationem. Præterea notandum eſt, qvod ægri fere omnes, qvi hoc morbo detenti fuerunt, delirarunt, & multa ridicula crediderunt, noſter autem, de qvo ſermonem facimus, ajebat, ſe ora tria habere & pedes manusqve amiſiſſe, alii ſe cor amiſiſſe; morbusqve hic qvaſi ludens, qvandoqꝫ tantùm ſenes, poſtea juvenes, nunc viros, nunc mulieres, nunc pueros, de medio tollebat.

A Clyſtere inebriatio.

OBSERVATIO LVI.

QVia in ſuperiori obſ. dictum eſt, clyſteres vini utiliter injectos fuiſſe, notandum eſt, in abſtemiis poſſe qvandoqve falſam phrenitidem æmulari, qvod ſciendum, ne timor adſtantes invadat. Obſervavi enim mulierem abſtemiam Caſtrenſem clyſtere ſimili injecto inebriatam fuiſſe, qvod ignorantes proximi, errorem qvendam à Pharmacopola, vel Medico commiſſum fuiſſe opinabantur.

Ad dyſenteriam arcanum.

OBSERVATIO LVII.

D. S. vidi, qvem dyſenteria longiſſima ad tabem tantam deduxerat, ut ei lac ſugendum muliebre Medici præſcripſiſſent. Sed miraculô qvaſi curatus optimè & breviter fuit, uſu aqvæ pro potu ordinario, in qva ſuber bulliebat, uſus eſt etiam utiliter ſyrupo corallorum, & conſerva cynorrhod. Sed aqva ſuberata præcipuum ejus curæ fuit inſtrumentum.

Puer, hyrſutâ mentulâ, ab ortu.

OBSERVATIO LVIII.

OBſtetrix Caſtrenſis mihi ſæpius aſſeveravit, ſe filium peperiſſe, qvi ab ortu hirſutus fuit in obſcœnis partibus, qvod fieri non potuit niſi à magno calore humiditati juncto, vel ab imaginatione matris, ut apud Boaiſtuum legitur de matre, qvæ viſa imagine Joannis Baptiſtæ hirſutis pellibus induti, nempè camelino indumento, puerum ſic hirſutum peperit.

Ambulandi impotentiæ prognoſticum.

OBSERVATIO LIX.

JOhanna d' Orliac, me ad puerum ſuum inviſendum anno 1648. annos qvatuor vel cir-

citer natum vocavit, qvem cum obſtructione abdominis, & crurum fæmorumqve tanta imbecillitate inveni, ut nusqvam plantis inſiſtere potuerit: mortem proximam prædixi, & paucis ab hinc diebus mortuus eſt, hæc enim impotentia naturalis naturam parum vividam & primo climacterico lapſuram denotabat.

Veſicatoriorum effectus & cucurbitularum.

OBSERVATIO LX.

EOdem anno, febres malignæ Epidemicæ, & purpuratæ graſſatæ ſunt, cum maxima clade; in qvibus cucurbitularum ſiccarum admotionem freqventem eis valdè profuiſſe, ut & veſicantium præſidiorum mediis artubus & ponè aures obſervavi ſæpiſſimè, etiam in deſperatis, & letargiâ, vel phrenitide detentis. At ſi nimius calor & impetus ſangvinis adeſſet, à cucurbiculis abſtinendum ſcarificatis erat, mortales enim fuerunt, ſed cardiacorum uſus valde fuit utilis.

Hemicrania curata.

OBSERVATIO LXI.

PAter meus, à multis annis hemicraniâ valdè cruciatus, curatus fuit frontali ſeqventi, acc. albumina tria ovorum, diu agitentur cum

cum croci momento, & tandem cum linteo fronti admoveantur hora paroxiſmi. Coqvum etiam D. de Caſtrios, ab hemicrania & vertigine curavi, aliosqve plures venâ rectâ frontis apertâ. Proximius enim hæc phlebotomia ſangvinem à capite derivat, ejusqve ardorem mitigat, nullum autem eſt remediũ, qvod æqvè ac venæ ſectio refrigeret, & ſangvinis impetus retundat.

Ructus diuturni.

OBSERVATIO LXII.

D. De Cros, civis Monſpeſſulanus ructibus adeo infeſtatur, ut toto ferè vitæ curriculo, ubiqve, & coram omnibus eos edere coactus fuerit, adeoqve freqventer, ut inter duo etiam vocabula ructum reddiderit. Qvod à morbo ei relictum fuerat, qvi ſine dubio ventriculum ejus imbecillem reddiderat. Cum nemo adhuc tale ſymptoma obſervaverit in re Medica, illud ſilentio prætetire nolui.

Ad hæmorrhoides remedia.

OBSERVATIO LXIII.

AD hæmorrhoides dolentes & tumentes, tam internas, qvam externas, expertus ſum ſæpius, ſeqvens oleum, frigidè admotum, ſæpè in die, valdè contuliſſe. Accipe in-

ſecta

ſecta qvæ in locis humidis & cellis vinariis, ſub ligni, & lapidibus, reperiuntur, gallicè *Claportes* dicta, leucophæa, convexæqve figuræ, multa collige, utpote ad uncias 4. Ut & radices porri ſeu barbam, ad unciam unam cum ſemiſſe, olei olivarum uncias. 6. Minutim incidantur inſecta & radices, & cum oleo per horam bulliant, cola, & utere. Si autem ſint internæ intus infundatur oleum.

Utilis eſt & hirudo, ſi oleum iſtud in promptu non ſit, ſed cavendum ne intus irrepat, ut qvandoqꝫ accidit.

Butyrum recens aqvâ roſaceâ lotum, deinde cum ovi albumine agitatum & admotum, aut cum oleo lini mixtum, optimum etiam erit remedium ad earum dolores & tumores leniendos & auferendos. Porrorum barba pulverata in patella ferrea calida, ſiccata prius, & cum vino albo epota ad idem valent.

De variolarum notis.

OBSERVATIO LXIV.

NObilis mulier Urbis Caſtrenſis, eaqꝫ formoſa, à variolis valdè deformis reddita fuit, qvare voluit qvibusdam uti remediis, qvibus earum notæ deleri poſſent. Admotum ergo fuit à Medico qvodam cataplaſma aliqvod frigidum, ſed immaturo judicio, reliqviæ enim morbi intus repulſæ fuerunt, & ce-

rebrum

rebrum adeo refrigeratum remanſit, ut mors pulchritudinis optatæ locum acceperit Qvare hac obſervatione moniti, caveant Medici à repellentibus circa partes nobiles.

Mania à philtro.

OBSERVATIO LXV.

D. V. Theologus, propè Urbem Caſtrenſem, à Philtro menſtruorum muliebrium cum leporis ſangvine in condimento ſumpto, in maniam tantam incidit, ut patrem propri-m occiderit. Sæpe autem à puellis tale phil-rum propinatum fuit, cum eodem ſucceſſu, nania enim vel dementia ſeqvuta eſt. Qva-e ab iis cavendum? Veneni illius remedium, ant margaritæ præparatæ.

Ulcus in ventriculo.

OBSERVATIO LXVI.

MEndicus qvidam per eandem urbem tranſiens, oſtendebat ulcus in ſtomacho qvod irunda obturabat, à qvo chylum cum liberet nittebat. Hæc res mira qvidem eſt, partes e-m membranoſæ difficilè ulcera patiuntur, odqve magis ſtupendum à longo tempore tulerat & tamen ſatis ſanus videbatur. Tale id tamen apud Sennertum peritiſſimum dicum, imo omnium ſuæ ætatis mea ſen-tia Coryphæum, legi poteſt.

Lapi-

Lapides multi tuſſi rejecti.

OBSERVATIO LXVII.

MUlier Bruguerienſis prope Caſtra, per longum tempus calculos parvos multos-qve tuſſi rejecit, qvi affectus, grando, me judice vocari debet, variæ figuræ erant, duri ad modum, & ſic per longum tempus vitam tranſegit. Hæc teſtantur, in omnibus partibus corporis, lapides generari poſſe, ut voluit noſter Sennertus. Idem etiam Monſpelii nobili Joannæ de Montagnes nuper accidit.

Icterus mirus argentum colorans.

OBSERVATIO LXVII.

MIra mihi puellæ Caſtrenſis hiſtoria à Medico ejus ordinario narrata fuit, qvam præterire nec poſſum, nec debeo.

Puella hæc tanto ictero invaſa fuit, ut non ſolum corpus totum, ungves, & album oculi citrina evaſerint, ſed & ſudor, linteaqve ejus omnia. & qvod valdè mirum, argentum i[...] pera citrino colore tinctum fuerit, qvod ultimum D. Vigierius Medicus Caſtrenſis mihi aſſeveravit cuidam nobili Pariſienſi, *D. Favereau*, vocato, accidiſſe.

Ca

Calculi deglutiti.

OBSERVATIO LXIX.

ADoleſcentem 14. annos natum vidi, dum Medicinæ operam darem apud Monſpelienſes, qvi lances integras calculis pollicis craſſitei refertas è cochleari deglutiebat, vinum deſuper bibendo, idqve ſæpius in die, hac enim arte ſibi lucrum comparabat. Ajebant au-:em ejus ductores, eam nihil aliud comedere ɔræter calculos, credo tamen contrarium, :umqve, evemetum fuiſſe, calculosqve, qvos 'oraverat, poſtea clam evomuiſſe, & pane vi-:tum ſibi comparaſſe. Sic enim apud Gou-artium aliud tale exemplum reperies de pue-o, nuces integras multas deglutiente pro mi-ımo pretio, rurſusqve clam eas evomente.)e hoc libellum nuper vidi ſub titulo, *il man-ıaſaſſi.*

Hydrops aſcites notandus.

OBSERVATIO LXX.

NOn ſecus ac triplices ſunt facultates animæ noſtræ ancillantes, qvarum beneficio nitas in corpore noſtro foveri ſolet, ſic etiam ɔſtes corporis humani morbi nimirum, tri-ici viâ, facultates illas laceſſere non deſi-ınt, imminuuntur enim, depravantur, vel ab-entur facultates noſtræ. Imminutæ autem

&

& depravatæ naturalis facultatis exemplum in ægro noſtro memoria dignum reperies.

D. Delom Procurator, annos 63. natus, temperamento pituitoſo, & corpore obeoſo præditus fuit, in qvo facultas naturalis probè officia ſua non exeqvens, illum nimio hepatis refrigerio, ad hydropem aſcitem deduxit, hepar enim facultatis ſangvificæ officina, pro ſangvine, ſecundâ coctione depravatâ, ſerum tantummodo generavit, unde cum tertia coctio ſecundam non emendet, chylus non in chymum, nec chymus in ſangvinem, ſed in ſerum tantum transmutatus fuit, ſicqve, inſignis humorum ſeroſorum collectio in abdominis capacitate coacervata eſt: qvod autem aſcite detentus fuerit, patuit per ſignorum ſyndromen, adfuit enim abdominis diſtenſio maxima, partim ab aqvis, partim à ventis, adeo ut inſtar utris tenſum fuerit, unde nomen ſuum accepit aſcites, tandem ſcrotum, femora, tibiæ, & pedes, eundem tumorem paſſa ſunt, freqventes autem hæmorrhagiæ, qvas præterita hyeme paſſus erat, cauſæ illius morbi fuerunt, ſolent enim nimiæ ſangvinis profuſiones hydropes poſt ſe comites deducere, qvibus jungi poſſunt etiam ſerotinæ æſtate præterita potiones aqvæ frigidæ, qvibus freqventer uti ſolebat, qvæ omnia temperamento frigido conjuncta, hunc morbum accerſere potuerunt.

Modo

Morbo igitur per ſigna & cauſas cognito, ad curam veni, hic triplex autem fuit ſemper mihi ob oculos indicatio, nempe aqvarum evacuatio, cauſæ ablatio, & virium hepatisqve corroboratio.

Aqvas evacuandas curavi purgantibus, primò mitibus, poſteà mediocribus, & tandem fortibus aliqvomodò, nempe uſu jalapii in vino albo ad dragm. unam, cum Criſtallo tartari ad drag. ſemis, hypocauſtis, thermis ptiſanis extrahentibus, emplaſtris, catapl. frictionibus exſiccantibus Rhabarbaro ptiſanis cum rheo bruſco, &c. ſex etiam rerum non naturalium probus uſus ad exſiccationem vergens inſtitutus fuit, ſed morbo pertinaci parum profuerunt remedia, bona licet, præcipuè morbo confirmato, qvoniam ægri Medicus non fui ab initio, ſed morbo omninò confirmato, id eſt poſt Domini Fregevillani deceſſum, tamen aliqvo pacto ſe melius habebat æger, ſed curæ impatiens, omnia mulíercularum & agyrtarũ remedia tentare voluit, qvibus fuit adeo cruciatus nimiis purgationibus, &c. ut non amplius alia optima remedia ferre potuerit, eſulam enim qvidam ei ſæpe propinavit, qva valdè cruciatus & evacuatus fuit, ſed ſine fructu, tandem natura ſagax individui conſervationem tentans veſicas in tibia expulſa eſt, è qvibus ingens aqvarum copia exivit, ut & ab aliis

veſi-

ſicis, per accidens, in alia tibia excitatis, nempe nimia calefactione, (ob frigus, qvod percipiebat,) & tibialiorum uſtione. Sed hæc ulcuſcula in parva degenerarunt ulcera, adeo ut non mediocris de gangrena timor fuerit, qvæ tamen expulſa fuit carnis nigræ amotione uſu ungventi diapompholigos & aurei mixtis, & vini cum ſale lotionibus, imo carnis exſectione. Tandem remota qvidem fuit ope D. de Perroy Chirurgi, ſed ulcera nunqvam claudi potuerunt, ob nimiam humorum copiam, qvibus irrorabantur. Toties enim tantum curantur ulcera, authore Hippocrate qvoties exſiccantur. Poſtea in fæmoribus & pedibus, imo in ſcroto ulcuſcula, veſicæqve enatæ ſunt, è qvibus ingens aqvarum copia fluxit, cum inani omnium gaudio, nulla enim ſeqvuta eſt ventris imminutio, tandem aqvæ, pectus & partes vitales laceſſere cœperunt, & tuſſis ſeqvuta eſt, difficultasqve ſpirandi à diaphragmatis compreſſione ob aqvarum molem.

Qvid autem tunc agendum erat, cum res hæc in præcipiti adeo verſaretur, adeoq; parva ſalutis ſpes ſupereſſet. Non cum prognoſtico triſti relinqvendum eſſe ægrum exiſtimabam, ſed extremo remedio utendum eſſe. Ait enim Hipocrates, extremis morbis extrema remedia aptè adhiberi, & alibi, præſtare an-

anceps experiri remedium qvam nullum. Et adhuc alibi, morbos qvi remediis vulgaribus non cedunt, ferro, & qvæ ferro non cedunt, igne curari.

Remedium igitur magnum & ultimum propoſui, nempe paracenteſim ſeu umbilici vel abdominis punctionem. Sed cupiebam, ut cum omni cautione celebraretur. Hipocrates autem, lib. ſecundo περὶ παθῶν, & 6. Epidemiorum ait, hanc operationem celebrari poſſe, cum æger non alvi fluxu, febre, vel pulmonis ulcere detinetur, hæc autem aberant. Modum vero docet Albucaſis, lib. 2. cap. 54. nſtitutionum Chirurgicarum, nempe ut locus tramento notetur, & ibi fiat punctura in umilici prominentia, vel à latere, lineam albam itando: ſed Avicenna vult, fiat in ſiniſtro pous, qvam dextro latere, ſi in umbilico fieri eqveat, qvia magis ab hepate derivabit. Sed laterus & Fabricius ajunt, debere in umbili- ſemper fieri, & naturam nos id docuiſſe, um ſæpe & tumor, & apertura ſpontanea in fieri ſoleat; qvod ſi natura debilis id non oliatur, tumorem hunc, magnæ cucurbitu- admotione freqventi, excitare poſſuis, qvod ſi fieri non poſſit in latere ſiniſtro, atuor digitis pone umbilicum celebrabi-.

In ejus autem operatione perpendenda

ſunt inſtrumenta, artifex, & modus evacuationis: inſtrumentum autem erit ſcalpellum myrtiforme linteo obvolutum usqve ad diſtantiam, qva ferrum demergi debet. Canulaqve argentea ſit in promptu, cum retinaculo tota immergi poſſit; qvæqve claudatur & aperiatur ad libitum, operator ſit Chirurgus optimus, & ſi fieri poſſit, qvi alias hanc fecerit operationem; aqvæ vero, non ſubitò, ſed per ἐπίκρασιν evacuentur, ne cum aqvis animam etiam efflet æger, in omni enim magna evacuatione ingens ſit virium deperditio. Evacuetur ergo ad unc. 8. vel 10. unaqvaqve vice. Qvantitas autem pulſu menſurabitur; cum enim imminui incipiet, ſufficiet pro una vice evacuatio. Dum hæc agerentur, cupiebam, ut opiatâ Salomonis, nucibus conditis vino Hipocratico, corroboraretur æger, ſed licet hæc mea fuerit ſententia, maluit æger vitam ſine remedio breviter cum morte commutare: cadaver etiam, renuentibus parentibus, apertum non fuit. Volui hic methodum paracenteſeωs ponere, licet facta non fuerit, ut inde qvidam eam petere poſſint.

De ſeptimeſtris partus notis.

OBSERVATIO LXXI.

CUm in ſeptimeſtri partu cognoſcendo multi imò ferè omnes errent, & ſic impudicæ mulieres peccata ſua ſæpiſſime tegant, optimè me facturum eſſe exiſtimavi, ſi hiſtorias ſeqventes publici juris facerem. D. Soultz Lumberienſis, puerum habuit, qvi ſtatim ab ortu digitis pedum caruit, digiti vero manuum, longi qvidem, ſed graciles fuere, pro digitis autem pedum parva tubercula qvinqve cum ungviculis habebat, qvæ naturæ miraculo paulatim oblongata ſponte ſua juſtam & ſolitam magnitudinem in noni menſis fine attigerunt, vixit tamen 27. annos. Sic catulorum aliorumqve animalium oculi nono tantum poſt ortum die perficiuntur.

Aliam obſervationem circa idem ſubjectum mihi obſtetrix communicavit; nempe pueros ſeptimeſtres habere auriculas & labia qvodammodo imperfecta, rubra enim ſunt valdè, & ſangvinea, imo & ſangvinem qvandoqve reſudaſſe certum eſſe aſſeveravit.

Magd. de Duranc. Monſpel. 7. menſe nata, multas habuit in corpore imperfectiones & digitos etiam imperfectos. Hæc tamen omnia 9. menſe perfecta fuerunt.

Mizaldi Cent. 3. Obſ. 33. menſe 7. genitis, ait, narium & aurium foramina defuiſſe.

De puris abſceſſuum evacuatione.

OBSERVATIO LXXII.

CIvis Caſtrenſis empyemate detentus diu fuit. Tandem natura ſagax puri exitum qværens, tumorem in latere produxit, qvô perceptô, Medicus ordinarius ejus aperturam juſſit, qvô aperto nihil manavit ab illo contra omnium ſpem, qvare æger relictus, ut vires ejus repararentur, ſupra latus ægrum (qvoniam in ſano qvieſcere non poſſunt, ob puris copiam mediaſtinum gravantis) dormivit, at in ſomno pus maxima copia exivit, imo omne, contra Medicorum omnium juſſum, qvi volunt, ut iteratis vicibus emittatur ob perditionem nimiam ſpirituum, qvæ in omni nimia evacuatione fieri ſolet, & cum ſe curatum eſſe teſtaretur æger, qvia levabatur ejus reſpiratio, ſubitò mortuus eſt. Hac obſervatione Chirurgos nec non Medicos rogo, ut nunqvam ſine turunda abſceſſus apertos relinqvant, qvoniam licet nihil ab illis erumpat in operatione, tamen qvoniam materiam non attinguntpus ſibi vias qværens, foramen proximum invenit, & ſic defectu turundæ, exit totum, & mors ſubſeqvitur ſubita.

Pus

Pus per os, nares, aures, & oculos ſimul ejectum.

OBSERVATIO LXXIII.

ÆGrum habui, qvi poſt capitis dolorem inſignam, cui irritè remedia adhibita fuerunt, tandem ſubitò curatus fuit ruptione vomicæ cerebri, & pure emiſſo per os, nares, aures, & oculos. Idem vidi apud Monſpelienſes. Et D. Eleazaro de Campdomerc idem videre ſemel in vita contigit, qvod remedio cathartico ante præſcripto imputat. Natura enim irritata abſceſſum rumpit, & vias multas ſibi ad ejus expulſionem eligit, qvod ab illius nimia qvantitate gravetur. Hæc cura rara & notanda eſt, & aphoriſmum Hipocratis confirmat, qvi ſectione 6 aphoriſmo 10. ſic loqvitur: Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥινὰς, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα.

De canum rabidorum morſu.

OBSERVATIO LXXIV.

NUlla exempla abſtruſioris indagationis in tota Medicina reperiri poſſunt, qvàm qvæ qvotidiè in demorſis à canibus rabidis nobis occurrunt, in hiſce enim præterqvam qvod inſitione qvadam veneni & naturæ ca-

ninæ, homines in canes transmutari videntur, (qvod & ululatus & morſus eorum involuntarii ſatis ſuperqve teſtantur,) latet in eis etiam venenum non ſolum per 40. dies, ut in peſte & aliis morbis contagioſis fieri ſolet, ſed etiam per multos annos, ut ſeqventibus hiſtoriis patebit.

D. Lautier Vabrenſis demorſus à cane rabido, obiit 7. abhinc annis ab illius morſus veneno, ratione tamen ſervata usqve ad mortem, dum autem ſanus omnibus haberetur, imo ſibimet, ſubito ei latrandi cupiditas maxima ſupervenit, imò tanta, ut ſociorum amicorum conſortium dimitteret, ut averſo ab iis vultu, latrare poſſet, ſed poſtea paulatim reſipiſcens, percepit mentem ſuam qvodam veneno laborare, & qvædam remedia ſibi admoveri juſſit, ſed fruſtra. Qvare paulo poſt in hydrophobiam incidit & in horrorem aeris motus, adeo ut vultum tegeret, dum qvis ad illum accederet; qvod certè aliunde procedere neqvit, niſi à facili ſpirituum ad commotionem propenſione, cum jam ferè in motu ſint à veneno laceſſiti.

Alter Biterrenſis, ut mihi à D. Gabriele Ducros collega meo relatum fuit, demorſus in digito auriculari à cane rabido, curatus fuit cura palliativa, ſed triginta ab hinc annis, hydrophobus factus, & inſigni dolore ejusdem

dem digiti correptus, vitam cum morte commutavit.

Tertiò, qvidam Montalbanenſis in crure morſus & curatus, longo poſt tempore tamen, ſimili die, & in eodem loco, in qvo morſus fuerat, dolore magno in parte demorſa correptus fuit, qvaſi veneno in hoc loco urbis per annum integrum conſervato, unde eo tranſeunte, ad magnetem veneni in vulnere ejus latitantem transvolavit. Hiſce hiſtoriis maniſeſtiſſimum eſt, venenum canum rabidorum in nobis, vel etiam extra diu latere poſſe, ut de peſte non dubitatur. Fernelius illud concedit & doctiſſimus Severinus Danus in idea ſua Medicinæ, nam in corpore calido venenum frigidum retundi poteſt aliqvandiu, ſed tandem mutatâ corporis illius qvalitate, venenum rurſus emergit. Sic etiam extra latens venenum morbi epidemici â corporis conſtitutione contraria obtunditur & rurſus ab alia vires ſumit. Sicqve in veſtibus per multos annos fomes peſtis ſæpe latitavit, imo locum ejus, odore qvodam fætido, calceorum uſtorum fætorem æmulante, Eremita Toloſanus olim percipiebat, dixit enim ſæpe, in hoc curru, in hoc angulo, in hac arca peſtis latitat, & adhuc venenum illud peſtis juxta aeris temperiem calidiorem vel frigidiorem parum vel multum graſſatur.

Ergo cum aliqvis à cane rabido morſus eſt non ſolum vulnus curandum eſt, ſed & venenum extrahendum tum cucurbitulis, tum ſcarificatione, imò & carnis extirpatione, theriaca etiam ſumenda, mare adeundum, qvod qvadam mira proprietate, & ſpecifica, ad id valeat, & alia remedia ſolita facienda. Nec vulnus, parvum licet, negligendum erit, ne poſtea ſucceſſu annorum, corporis temperamento mutato, venenum rurſus ſerpere incipiat, eſt enim ibi ut inimicus inſidioſus, occaſionis capillos arripiens, cum ei arridet.

Sed mirari qvis poterit, qvo pacto occulta hæc ſeminaria morborum in nobis tamdiu latere poſſint. At mirari deſinet, ſi Severini ſupra laudati doctrinam optimam, ſine præoccupatione audiat. Ait autem ille, morbos ſemina ſua, plantarum & animalium inſtar, ſuo modo habere, Deumqve malorum, ut & rerum bonarum ſemina poſt peccatum Adami creaſſe ad hominum pœnas, ſeminum autem illorum morbificorum terra neceſſaria corpora noſtra ſunt, hîc ſeruntur per cibum & potum, per contagium, reſpiratione & vento, tuncqꝫ juxta prædeſtinationem ſuam in nobis effectus ſuos nempè morbos certos producunt, qvorum unusqvisqꝫ ſimilia habet ſymptomata, ut unaqvæqve planta ſimiles fibras & eandem figuram habet, morbi vero complicati, monſtra morborum dici poſſunt.

De

De rabie à lupi morſu & de aliis animalibus rabidis.

OBSERVATIO LXXV.

Paucis abhinc annis duo ruſtici villæ Carthuſianorum prope Caſtra à lupi morſu rabidi facti mortui ſunt, qvod ſatis teſtatur, non ſolum canes, ſed etiam lupos rabie corripi; reperiuntur exempla de camelis, urſis, porcis, felibus, &c. Qvare ab omnibus animalibus caniculæ tempore furentibus cautè cavendum eſt, tunc enim, vel dentium dolore, vel amoris œſtro percita, in cætera animalia irruunt.

Præterea pro certo mihi relatum, porcum à cane rabido demorſum fuiſſe, omnesqve, qvi ejus carnem deguſtarant, rabidos effectos fuiſſe, maxime igitur cavendum eſt ab eſu animalium demorſorum.

Licet parvi momenti hæ obſervationes videantur, tamen non rejiciendæ ſunt, multi enim ob morſum canis, nollent carnes animalium projicere, ſed è contra eas vendi poſſe, non dubitarent. Qvare hiſce hiſtoriis ſapientiores facti, hi ab earum emptione, iſti vero ab earum venundatione abſtinebunt.

Ad ambuſta oleum mirum.

OBSERVATIO LXXVI.

ADeps porci bulliens guttatim ſuper lauri folia projiciatur, & hoc oleo ambuſtum locum

cum inunge, & intra tres dies curabitur qvaſ qvodam incantamento, licet pars ambuſta maximè fuerit, qvovisqve modo.

Pueri imperforato podice nati.

OBSERVATIO LXXVII.

D. Tirefort ſenior, CaſtrenſisChirurgus pue rum curaſſe mihi retulit, qvi podice imper forato natus erat, idqve ſcalpello & ruption membranæ craſſæ, qva obtegebatur. Alte mihi nuper etiam dixit, ſe idem in puero mer catoris feciſſe, cujus nomen tacere voluit. Vo catus ipſe etiam fui ad videndum puerum vil læ de Gouriade anno 1648. qvi ſic podice im perforato natus erat, ſed cum tarde foramini illius defectus animadverſus fuiſſet, anteqvan operatio celebrari poſſet, puer è vita diſceſſit Sennertus talem vidit clauſuram in puero, q dies 17. vixit, ano licet clauſo, fæcem autem cum urina reddebat.

Hiſce hiſtoriis patet, puerum in ventre ma terno, nulla primæ coctionis excrementa red dere, qvoniam ſangvine materno, in qvo tali non ſunt excrementa, per venam umbilicale nutritur. Sic etiam naſcuntur pueri gland imperforatâ, de qvibus vide Sennertum & Æ ginetam, ſicqve reperiuntur virgines imper foratæ, de qvibus in ſeqventi obſervatione a gemus.

Tobias de Rocairols, Chirurgus Caſtrenſi

pu

puerum ano imperforato natum in hac urbe, curavit, membranam ſcalpello aperiens, adhucqve puer vita fruitur.

De virgine imperforata.
OBSERVATIO LXXVIII.

NUper mulier qvædam matrimonii ſolutionem petiit, qvod eſſet imperforata; res hæc notanda qvidem & rara eſt, ſed non ſine exemplis. Nam Cabrolius ſimilem refert hiſtoriam in ſuis obſervationibus Medicis de puella 17. annos nata, qvæ cũ arcta nimis eſſet, à menſtruis retentis, tumefacta & qvaſi prægnans reddita fuit, & non ſine vitæ periculo, qvoniam rem detegere noluerat. Tamen ab illo feliciter ſcalpello curata fuit, urinam vero per umbilicum reddebat. Alias ſimiles narrant hiſtorias Benivenius, Fabricius, Horſtius, Platetus, & alii. Hæ atretæ vocantur, talesqve ſunt vel ab ortu, vel ab ulcere, ut prima cujus hiſtoriam retuli, vel aliis de cauſis. Si ab ortu & membranæ obductu, facilè curantur operatione manuali, ſi aliter vero, uſu peſſariorum & aliis remediis. qvæ brevitatis cauſa prætermitto curioſos ad cap. 3. ſect. 1. part. 1. lib. 4. Danielis Sennerti practicæ Medicinæ mittens. De hac membrana, qvam Avicenna clauſulam vocat, Albucaſis, alraticam, græci *phimoſin* & *phimon*. vide diſſertationes forenſes Rovillardi, ut & Ætium tetrabibl. 4. ſerm. 4. cap. 96. Paulum Ægi-

Æginetam lib. 6. cap. 73. Corn. Celſum lib. 7. cap. 28. & Albucaſim lib. 2. &c.

Ad carunculam pudendi optimum remedium.

OBSERVATIO LXXIX.

MUltos vidi qvi poſt innumera aſſumpta remedia miſeramqve vitam agentes, ob carunculam pudendi, tandem magnis ſumptibus à Chirurgo curabantur Frontiniacenſi. Qvare ſedulo apud me perpēdens, & candelas & aqvam, qvibus utebatur, & diætam iis præſcriptam, concludi, non ſine ratione, Chirurgum hunc hoc non inveniſſe remedium propria indagatione, nec me mea fefellit ſentētia. Rem enim de verbo ad verbum apud Danielem Sennertum, capite de caruncula, inveni, & remediis collatis eadem planè eſſe percepi, & tandem in morbis ſimilibus adhibita, idem effectus ſeqvutus eſt. Errant ergo qvi remedia tantum manuſcripta magni faciunt, vulgata libris rejicientes. Ego vero licet mihi utile fuiſſet, remedia mea ſilentio obruere, ea tamen detegere malo, ut proximis meis prodeſſe poſſim. Hoc remedium autem tale eſt, qvod hic tranſcribo pro iis, qvi Sennerti opera in promptu non habebunt. At dicet Oſor qvidam, nil novi proponis, cum id è libro accipias? Reſpondeo, ſufficere ut ejus præſtantiam, & veritatem

atem indicem, remedia enim, qvæ in libris exant, non pro bonis ab omnibus excipiuntur.

Acc. virid. æris, auripigm. vitrioli, aluminis ochæ ana unc. 2. omnia hæc aceto acerrimo erfuſa inter duos porphyritides lapides, qvā ccuratiſſimè ducantur, & in lævorem renuiſſimum reddantur, Soliq; æſtivo exponantur, æc rurſus exſiccata aceto effuſo ducēda ſunt, : læviganda, Soliq; exponenda qvousq; pulis ſubtiliſſimus evadat & ſine acrimonia, qvod cto dierum ſpatio peragetur. Poſtea acci- e. olei roſacei unc. 4. litharg. unc. 2. coqvantur onec emplaſtri acqvirant conſiſtentiam, & inc ab igne depone, & adde prædicti pulveris nc. 2. & ſpatula miſce qvousqve medicamenim duriuſculum evadat, ita ut candelæ cereæ æreat, neq; diffluat, etſi digitis tractetur. Prær hoc emplaſtrum, cereas candelas numero). in promptu habeas, ex cera alba, paucula ſina & therebentina paratas, longitudinis 12. gitorum transverſorũ, & craſſitudinis meas urinarii, candelam unam harũ fruſtulo dii emplaſtri in ſummitate junctam, in urinaim meatum im̃itte, & ſic per 6. vel 8. dies canlam renova per tres horas qvotidie eam ſindo, donec caruncula abſumpta ſit, poſtea r ſyphonem ſtanneum, ſeqvens immitte me:amentum ad meatum abſtergendum. Ac)e hordei non excortic. pug. 2. radic. ariſto:h, rot. unc. 1. cum ſemiſſe, plantag. manip. 1.

co-

coqve in aqva communi ad dimidias, colatu-
ræ adde mellis roſati unc. 2. miſce & ter in di[e]
per 6. dies continuos per ſyphonem injice.

Vermes in dorſo, maſclous, dicti.
OBSERVATIO LXXX.

UT in facie humana, naſo præcipue, ſic pe[r]
totum ferè corpus latent vermiculi, capit[e]
nigro, pruritum excitantes, qvi vel avelluntu[r]
inſtrumentis Chirurgicis, vel ſeminis hioſciam[i]
ſuffumigatione in parte pruritu detēta, in ſub-
jectam aqvam, deterſione partis ſuffumigat[æ]
cadunt, (pruriginoſi enim viri facile è pectore
manibus, &c. ſimiles vermiculos fumo ſu-
pradicto detergunt.) Sic etiam pueri vermi-
culos in dorſo capillorum inſtar habent, à qvi-
bus adeò cruciantur, ut nec dormire, nec la[c]
ſugere poſſint, ſed è contra perpetuò vagit[u]
matres laceſſere non deſinant. Id propriis vid[i]
oculis in fratre meo, at mellis inunctione pau-
cis diebus hi vermiculi è dorſo exiverunt, ni-
gra capita oſtendentes, unde linteo rudior[i]
fricati ceciderunt. Hæc à paucis memorantu[r]
qvare nolui hanc obſervationem prætermitte-
re, multi enim pueros hoc morbo detentos &
emaciatos faſcinatos fuiſſe autumarunt, vel a[d]
alias occultas cauſas & præternaturales re[m]
plane naturalem referebant, aut remediis pue-
rorum corpuſcula inutiliter torqvebant.

Ar

Aranea deglutita.

OBSERVATIO LXXXI.

SÆpè homines ſubitâ morte& præmatura correpti è vita diſcedunt, alii nimia voracitate, de qva ait Juvenalis:

Hinc ſubitæ mortes, atq́ inteſtata ſenectus.

Alii potu nocturno, ſic enim animalia in vaſa illapſa deglutiunt, ut ſeqventi patebit hiſtoria, qvæ cum à Medico ignorentur, difficili negotio curari poſſunt, cum ignota cauſa, aptum remedium opponi neqveat. Qvare hac obſervatione cauti fiant lectores, nec ſine luce aqvas vel alias res deglutiant, vel ore aperto dormiant.

D. Joſias de Fregeville, collega meus ad curam cujusdam vocatus, ei remedia adhibuit, qvæ apta eſſe judicavit, ſed tamen æger ſubitò è vita diſceſſit. Corpore aperto, aranea in ſtomacho ejus inventa eſt. Sic aſſertum mihi ab alio, Medicum 7. araneas è corpore humano remediis expuliſſe. Similia ſæpe accidunt, ſed incuria non percipiunrur. Sic enim nuper D. Samſoni de Rupeforti paſtori Eccl. magnam in vino araneam percipere contigit, parumqve abfuit, qvin ab eo deglutiretur.

Similes hiſtorias reperiet curioſus apud Sennertum lib. de venenis, ubi remedia ſpecifica ad id recenſentur.

Araneas deglutitas allici ajunt, ſi muſcas propè os bomibos edant, ad has enim vorandas accurrunt.

A clavo pedis reſecto, gangrena & mors.

OBSERVATIO LXXXII.

D. De Fonvieille civis Caſtrenſis, cum à clavis pedum valde cruciaretur, tandem ac eorum reſectionem ope novaculæ devenit, ſec paucis elapſis diebus, gangrena in pollice apparuit, unde ad minimum digitum, inde ad indicem, qvarto ad annularem & ultimo ad medium pervenit, poſteaqve ad pedem & malleolum, unde tandem mors ſeqvuta eſt. Non incautè ergo clavi reſecandi. Idem enim anno 1648. in Anglia magnati cuidam accidit, clav enim parti maximè dolorificæ, nempe perioſtio ſeu membranæ oſſa digitorum tegenti infix hærent, cumqve membranæ exqviſitiſſimi ſin ſenſus & inter membranas perioſtium, maxi mum efficiunt dolorem, unde maximum humorum effluvium pariunt, humores verò i cumulati corrumpuntur à ventilatione prohibita vel aliter, & in gangrenam, & ſphacelum degenerant.

Fiſtulæ inſignis & antiqvæ in crure curatio.

OBSERVATIO LXXXIII.

I. De S. ab ictu, in genu tumorem ſubitò incidit, & tandem totius cruris, qvod in adeo ingentem crevit molem, ut puerum unius ann æqva

æqvare potuerit, remedia multa lenientia & anodina aliaq; admota fuerunt, ſed tandem crus apertum eſt in parte ſuperiori, ſicqve ceſſavit quidem dolor, ſed tumor remanſit, & materia in fundo ulceris ſtagnans & ad foramen ſuperius regurgitans partemqve qvotidie corrodens, in fiſtulam profundiſſimam degeneravit. Convocatis Medicis, dictum fuit, fiſtulam aperiendam eſſe, cum mundari injectionibus optimè neqviret, at ægra hæc renuente, multa tentavit, imo omnia mulierçularum remedia, tandemqve contra omnium ſpem optimè curata fuit. Labia fiſtulæ primò alumine uſto corrodens & poſtea unguentum ex alumine, oleo nucum, cera, & cineribus ſarmentorum. Qvo fiſtula inferius aperta, ſicqve facilè evacuata fuit, & tandem aqvis vulnerariis mundata, tandemqve ad cicatricem deducta, nullo dolore, nec ambulandi impotentia remanente. Notandum autem eſt, mulierem hanc olim in hoc crure ſeptem peſtiferos carbunculos habuiſſe, & ab hoc tempore crus illud ſemper alio majus fuiſſe, qvare autumarem, aliqvod in hoc crure peſtis venenum remanſiſſe, ſicqve parvô illô ictu humores facilè ad hanc partem, ob ejus imbecillitatem affluentes, veneneni qvalitatem qvodammodo aſſumpſiſſe, unde inſolitus tumor & alia magna ſymptomata ſubſeqvuta ſunt.

Alia mulier ſimili morbo, poſt peſtem ei

etiam relicto, ſolo plantaginis ſucco & urticarum curata eſt, folia autem contuſa ei etiam admovebat.

Tremores & dolores pedum, ut & de congelatis à frigore.

OBSERVATIO LXXXIV.

ÆGrum habui, qvi frigore nimio, in dolorem tremoremqve pedum maximum inciderat, præcipuè dum ad ignem accederet; qvare cum id à ſangvinis inflammatione, & ventilatione prohibitâ, clauſis à frigore poris, ortum ducere judicaviſſem, ſangvinis miſſionem in malleolis præſcripſi, tanta cum utilitate, ut pauciſſimis diebus curatus fuerit.

Famulus, civis Caſtrenſis, frigore congelatus repertus, in fimo poſitus fuit, ut ejus calore calor nativus ſopitus ad externas partes revocaretur, ſed famulus ira percitus vocabula qvædam obſcœna pronuntians, ſubitò animam efflavit. Qvoniam ſine dubio, fimi calor frigoris atomos profundius intrudebat, unde dolor ingens producebatur, ut videre eſt in manibus & pedib9 refrigeratis, & ſubito igni admotis. Qvare Sennerti conſilio potius ægrum in aqvam fere frigidam immerſiſſem, ut benigne apertis poris, humores congelati fluidi fierent & calor nativus excitaretur.

Digi

Digiti juncti à natura, ut & ſuperflui.

OBSERVATIO LXXXV.

UT in pueris poſt ortum qvandoqve reperiuntur membranæ, podicem, vulvam, balanum, &c. obducentes, ſic etiam reperiri poſſunt, qvorum aures, oculi & aliæ partes ſimiliter teguntur, qvod fortaſſe à nemine hucusqve obſervatum fuit, obſtetricum incuria, qvæ hos pueros pro monſtris ſuffocant, vel ſine auxilio relinqvunt, cum tamen ſcalpello curari poſſent.

Sic natus erat puer digitis pedum & manuum à membrana inſtar anſeris junctis, qvi tamen ſcalpello optime ſeparati fuerunt.

Alii etiam cum digitis ſupernumerariis nati ſunt, qvi ſectione curati fuerunt. Ut puer D. Born loci d' Aſſoval, digitum enim præter naturam prope auricularem habuit, ſed in radice gracilem, qvem à Chirurgo reſecandum curavit, qvod feliciter factum fuit.

Audivi etiam à qvodam, penes qvem fides ſit, os nimis arctum fuiſſe dilatatum, & è contra in alio coarctatum remediis glutinantibus, vulnere præmiſſo, qvod non facile crediderim.

Sex digiti, de qvibus egimus, facti fuerunt nimia materia, monſtra enim ab hac cauſâ ut à materiæ defectu æqve fiunt, ſicqve legimus in Chronicis ſanctis, gigantem extitiſſe ſex digitis in pedibus & manibus præditum.

Tumores genarum cum dentium dolore.

OBSERVATIO LXXXVI.

ANno 1648. tumores qvidam genarum cum dentium dolore populariter graſſati ſunt, à fluxione catarrhoſa, ob pluvias immodicas. At omnes breviter curati ſunt, qvi ficum inverſum calefactum, ſæpe renovando interius admoverunt, tumor enim citò maturatus in ore aperiebatur & cum ſputo evacuabatur.

Lapis in tumore humeri.

OBSERVATIO LXXXVII.

REs mira & inaudita in Manſo Aſilii nuncupato nuper accidit, mihiqve à Domino nobili Duſſon communicata fuit. Qvidam tumorem in humero à longo tempore paſſus ad Chirurgum ſe contulit, Chirurgus autem remedia maturantia, ut emplaſtra è diachylo cum gummis & alia apta adhibuit. ſed cum nullis remediis tumor emolliretur, tandem ſectione inſtituta, rem duriſſimam invenit, qva extracta, fuit lapis ovi inſtar, isqve duriſſimus, qvem curioſis aſſervat.

Non ſolùm autem in tumoribus lapides generari poſſunt, ſed etiam in omnibus corporis humani partibus, ut de vermibus multæ hiſtoriæ comprobarunt: qvi autem vermium & lapidum hiſtorias in omnibus partibus corporis gene-

generatorum legere cupiet, videat D. Sennerti caput, qvod de hac re ex profeſſo in praxi ſua Medica conſcripſit.

Cerebri ſubſtantia ſine morte deperdita.

OBSERVATIO LXXXVIII.

HUc usqve creditum eſt cor; cerebrum & hepar vulnerari non poſſe, qvin mors ſtatim ſubſeqvatur. At contrarium ſeqventi patebit obſervatione. Vidi enim cerebri ſubſtantiæ portionem absqve vitæ amiſſione deperditam, viditqve idem D. Iſaac Riverius Medicus Mazametenſis peritiſſimus, idqve Cabrolius etiam obſervavit in libello ſuo anatomico. Sic non ſemel in corde lapides reperti ſunt, qvod qvidem mirum, ſed non ſine variis optimorum authorum teſtimoniis; id autem fieri poteſt, qvoniam qvæ in corde generantur ut lapilli & oſſa, non ei vim inferunt ut externa accidentia. Reperiri enim in eo poſſunt calculi & oſſa, ut reperiuntur oſſa, in eqvorum, boum, & cervorum cordibus ad venena vim alexiteriam habentia, & præterea vermes & ulcera in corde reperta ſunt, ut apud Sennertum videre eſt. Modo enim capſulæ vel ventriculi ejus ſpirituum officinæ præcipuaqve vaſa non ſint læſa, poteſt cordis ſubſtantia per aliqvod tempus, eroſa licet, perdurare, non tamen ſine vitæ amiſſione, ſed non adeo ſubita, ut huc usqve creditum fue-

rat, totum enim parenchyma cordis, non vaſa magna continet: idem etiam de hepate & aliis nobilibus partibus cenſendum eſt. Nam in hepate vulnera ſatis magna viſa, imò ſummitates loborum amputatæ fuerunt absqve vitæ diſcrimine. At continui ſolutionem cor poſſe ferre absqve vitæ extinctione, Fernelius aſſeverat, ut & Cabrolius obſ. 26. qvi etiam de hepatis & cerebri vulneribus non lethalibus in reliqvis obſervationibus diſſeruit.

Vermes, alios ſibi ſimiles in corpore humano generantes.

OBSERVATIO LXXXIX.

VErmem craſſum, ab hominis corpore eductum, forteqve pedibus exenteratum, non ſine admiratione vidi, vermiculis innumeris refertum eſſe. Qvare non mirum, ſi in corpore noſtro tanta copia generentur, cum & ipſi generent ſibi ſimiles, qvod etiam aſſeruit Hipocrates: animalia enim multa licet à corruptione generentur, tamen poſtea copulatione propagantur; corpus igitur probe mundandum eſt, & vermes luna decreſcente remediis ſpecificis evacuandi, de qvibus lege ſeqventem obſervationem.

Vermes necantia, & ejicientia.

OBSERVATIO XC.

UT nullo ferè morbo mulieres detinentur, in

qvo

qvo non aliqvid doloris uteri,& in pueris dentium immiſceatur, ſic etiam in adultorum imò & ætate provectorum morbis vermes utplurimũ immiſcentur,eorumqve ſemper medicus in curatione rationem habere debet: plerumqve enim morbos, qvorum cauſam è longinqvo petebant Medici, vermibus multis ejectis curatos vidi. Qvare ſemel in menſe, decreſcente lunâ, qvi vermibus generandis obnoxii ſunt, remedium hoc meo conſilio accipient. Lactis clyſter injiciatur, ut ejus dulcedine vermes inferius alliciantur, deinde per os ſemen contra, capiatur cum malo cocto, ſic è ſuperioribus partibus fugati & ad inferiora allecti foras facilè evacuabuntur. Vel gutta eſſentiæ ſeminis contra vermes umbilico cum bombace admoveatur, eos enim mire fugabit.

Vidi alium pro tabido habitum & qvaſi conclamatum, qvi potu pulveris corticum arantiorum ad dragmam unam per tres vices in vino curatus fuit, ejectione innumerorum vermium.

Faſcinum ad odium.

OBSERVATIO XCI.

CUm uxor Domini de M. Paſtoris Eccleſiæ de Savarat, cibum qvendam à ſtryge ſumpſiſſet, poſt conjugii benedictionem, ſtatim amor, qvo pro marito flagrabat, in tantum odium commutatus eſt, ut ne ejus qvidem præſen-

 tiam,

tiam, ferre poſſet. Eo vero abſente, miſeram ſuam conditionem agnoſcens, in ſe jurgia vertens, valde angebatur, qvod vir tanti meriti ab ea adamari non poſſet, tandem elapſo magno temporis ſpatio, absqve ullo à Medicinæ pharmacis levamine, à qvodam mago facilè curata fuit, adeo ut cum marito amice vitam duxerit. Hæc hiſtoria, ut certiſſima, multos poterit à ſagarum negatione & potentia maleficarum revocare, ut & ſeqventes hiſtoriæ.

Sagarum notæ, ut & hiſtoria pueri ab eis rapti & occiſi.

OBSERVATIO XCII.

ANnis præteritis, tres ſagas Caſtris incarceratas mihi videre contigit, qvæ rogatæ, ſe ſagas eſſe faſſæ ſunt, ſeqve mutuo accuſarunt, noꝯturnos conventus coram dæmone, choreas, epulas, per aera volatus, unguenta & omnia alia, qvæ de iis circumferuntur, etiam mihi conceſſerunt. Notas præterea à dæmone impreſſas oſtenderunt, primam in capite, ſecundam in fæmore, in qvibus ipſis non animadvertentibus, aciculas immiſit D. Abel Defos Medicus, qvi mecum erat, nec tamen ullum dolorem ſe percepiſſe teſtatæ ſunt. Notandum autem eſt, notam fæmoris in qvatuor diviſam fuiſſe, qvæ cicatrices ambuſtionis æmulabantur, ajebat autem hæc, dæmonem hanc ei unguibus feciſſe. Faſſæ etiam ſunt, ſe noꝯte ſtilos ferreos oblongos

gos puerorum capitibus infigere, ut alibi antea retuli.

Civis Caſtrenſis narravit etiam mihi puerum ſibi à cubili ablatum fuiſſe, eumqve in felis foramine reperiſſe, ſeqve qvaſi mulierem fugientem, puerumq; auferentem tetigiſſe.

Fuerunt & combuſtæ plures ſagæ in Manſo Aſilii, qvæ dixerunt ſe necaſſe nobilem puerum, & nocte à tumulo ablatum, juſſu diaboli, jecur ejus comediſſe.

Cum igitur ſimiles hiſtoriæ omni ſeculo narratæ fuerint; & ab omnibus nationibus agnoſcantur ſagæ, ipſæq; non renuant, omnesq; idem narrent, dixerunt enim iſtæ aliæqve plures, diabolum forma magni viri in veſte rubra, cum iis coiviſſe, ſeqve majorem cum eo, qvam cum hominibus voluptatem percepiſſe, ſed ſemen frigidum extitiſſe, &c. Non dubitandum eſſe de earum realitate concludo. Præcipuè cum ſacri codices leges adverſus eas tulerint. Diſtinctionem tamen faciendam eſſe inter eas cenſeo, ſagæ enim vel ſunt diabolicæ, ut hæ, vel veneficæ tantum, qvæ philtris, venenis, &c. miros, ſimulqve triſtes edere effectus conſveverũt.

Vulnera ob amaſiæ præſentiam non curata.

OBSERVATIO XCIII.

ADoleſcentem anno 1642, apud Monſpelienſes

ſes vidi, tria ingentia vulnera paſſum, dum amicam puellam horis nocturnis inviſeret; vulnera vero ſecuri inflicta fuerant, primum in mento, os ejus ſeparans; ſecundum in genu, rotulam frangens, & ultimum in capite, os parietale ſiniſtrum rumpens. Adeo ut vulnera hæc valdè longa & profunda horrendaqve eſſent, tamen opera D. Formii peritiſſimi Chirurgi Monſpelienſis usqve ad 38. diem fœliciter deductus fuerat æger, cum maxima futuræ curæ ſpe, ſed adſtantium incuria, puella hac viſa, ejus ſangvis amore fervens, antiqvas vulnerum vias qværens, magnas produxit hæmorrhagias, qvibus paulò pòſt obiit. Non ergo temere à vulneratis mulieres amatæ videndæ, ſunt ne ejusmodi errores ægris vitam, Medicisqve ac Chirurgis ſperatarum curarum gloriam eripiant.

Hæmorrhagia verbis curata.
OBSERVATIO XCIV.

D. Delom Procurator Caſtrenſis, Hæmorrhagia narium inſigni cruciatus cùm nullo remedio curari poſſet, tandem remedium ſibi oblatum in uvæ paſſæ grano accepit, qvo deglutito, ſtatim ceſſavit ſangvinis fluxus. Communicatum vero fuit mihi ſecretum, ſed non ſine difficultate, ſed ſpe fruſtratus partim fui, cum non fuerit remedium naturale, ut ſperaveram, ſed carmen & verba incognita chartulæ inſcripta & in uva recondita. Hæc verborum & Characte-

racterum vim teſtari videntur, ſed credo potius ab imaginationis vi, vel pacto implicito Diaboli hæc fieri. Remedium vero naturale ad eundem morbum ſpecificum, & alia optima in ſeqventi obſervatione detegam.

Ad hæmorrhagiam remedium mirum.

OBSERVATIO XCV.

EOdem ægro, alia vice, ſimili morbo detento, remediumqve ſuperius enarratum renuente, tanqvam inter Chriſtianos vetitum, relatum fuit ei, qvendam virum ſecretum admirandum ad hæmorrhagias inſigniores ſtatim ſiſtendas habere, ſola herbæ contuſæ applicatione, eoqve remedio innumeros curatos fuiſſe, inter qvos D. Poncetus Arcarius, à Medicis & Chirurgis olim deploratus, qvi non ſolum fuit curatus, ſed nunqvam ab illo tempore hæmorrhagiam paſſus eſt. Remedium igitur hoc habendum curavit æger noſter, miſſa ergo fuit herba contuſa, & aqva in phiala, herbam plantis pedum, & volis manuum applicandam eſſe, neqve 24. horis amovendam ſcribebat ſecreti poſſeſſor, & mantile aqvâ frigidâ madefactum teſticulis involvendum, naribusqve indendas interioris cepæ partis turundas in aqva ſupradicta madefactas, naribus primo eadem aqvâ mundatis. Hæc omnia facta fuerunt tanto cum ſucceſſu, ut nihil melius exoptari poſſet; ego vero remedii addiſcendi deſiderio flagrans

por-

portionem herbæ aſſervaveram, qva diligenter explorata, manifeſtiſſimè ſecretum agnovi, folium enim herbæ malè contuſum & ferè integrum inveni, aqvamqve ex eadem herba eſſe percepi. Ut autem miſeris ægris prodeſſe poſſim, libenter eam nominabo. Ego enim contra qvam alii præſtant, omnia arcana mea ſine ænigmate ullo detego, malo enim propriâ meâ jactura proximo utilitatem afferre. Urtica communis hæc herba tantæ virtutis eſt, hæc enim, ut ſæpe ab illo tempore expertus ſum, miros ad hoc produxit effectus, imo in vulnere eqvi, magni pretii, hæmorrhagia pereuntis, qvod etiam præſtat ſi fronti admoveatur.

Non mediocri etiam vi pollent burſa paſtoris & hyoſciamus ſimili modo applicatæ, vel mantile aqva communi madidum colloqve involutum, vel ol. roſac. auri inſtillatum, vel hæderæ ſuccus ad unc. 1. epotus, vel aſininum ſtercus naribus admotum, vel pili leporis cum atramento naribus inditi.

Pollicis punctura & ulcus.
OBSERVATIO XCVI.

CUm forte. I. B. P. M. in pollice à cultro vulnus paſſus eſſet, ſubitoqve Balſamo qvodam ſanatus fuiſſet, paucis diebus elapſis, rurſus adeo acerbum dolorem in eadem parte ſenſit, ut non ſolum à cibo & potu, ſed etiam ſomno privaretur; cumqve ob inflammationem & tumo-

morem, gangrenæ imminentis, digitiqve amputandi inſtaret periculum, contra meum & Chirurgorum conſilium, qvi digitum aperiendum eſſe dicebamus, ne perioſtium corrumperetur, qvod jam corrumpi ob dolorem autumabamus, remedio ſeqventi uſus eſt, qvo miraculosè ſanatus perfectiſſimè fuit.

Acc. vini albi hauſtum unum. mellis albi vel communis unc. 4. ovorum vitellos numero tres, miſce & leniter ſupra ignem lignea ſpatula agita, donec vinum in fumum abierit, & qvod reſiduum eſt, unguenti conſiſtentiam acqviſiverit, eoq; utere ſæpe renovando.

Hoc remedio multa vulnera & ulcera deſperata curata fuerunt, illudqve libenter communico: bonum enim eo magis bonum, qvo magis diffuſivum eſt, & obſervationes utiles cum ſcribere decreverim, remedia inſolita non reſervanda eſſe exiſtimavi, licet alii contrarium in ſuis obſervationibus faciant.

Vulneratis igitur non ſubitò Balſamis utendum eſt, nimisqve citò vulnera claudi non debent, niſi optimè à ſangvine extravaſato evacuata fuerint, aliter enim citatrice obducetur qvidem vulnus, ſed ſangvis intus corrumpetur, & dolores immanes efficiet, osqve corrumpere, pejoraqve adhuc ſymptomata producere poterit.

Cum autem de pollicis doloribus ingentibus hic agatur, notabo breviter hiſtoriam nobilis

Ju-

Juvenis Caſtrenſis qvi in ſubeth ſæpe corrue-
bat, præcedente pollicis dolore ingenti. Qvod
fiebat ab aura qvadam venenata ad pollicem
tanqvam ad corporis extremitatem emiſſa, &
pòſt circulatione ſangvinis ad caput delata. Cu-
ratus autem fuit cauſtico actuali pollici admo-
to, datâ portâ auræ huic venenatæ.

Puerorum dolores à dentitione curati.
OBSERVATIO XCVII.

PUeros multos vidi ob dolores inſignes à den-
titione, gingivis valde tumefactis, mortuos
poſt mortem vero dentes naſcebantur. Omne
tamen meo conſilio curari breviter poſſent, ſi
ſcalpello gingivæ aperiantur, tunc enim ſangvi-
nis fluxu ceſſaret tumor & dolor. Viaqve aperta
dentes ſubitò prodirent, idqve feliciter amicu
qvidam meus in pueris propriis facere ſolitu
eſt. Mirorqve, qvod non ſæpius hæc operatio
celebretur cum levamen præſens à parvo vulne-
re in parte ignobili pendeat.

Dentium dolores levans remedium.
OBSERVATIO XCVIII.

DOlores dentium à cauſa frigida ſubito levan
guttæ aliqvot eſſentiæ cariophyllorum, bu-
xi, thymi, vel ſatureiæ, multos etiam ſanavi la-
pide imperiali vocato, cujus fruſtulum dent
dolenri imponendũ eſt, & ſtatim aqvas allicie
& ſcreatu freqventi dolorem auferet. Sic a. fi

Acc

Acc. ſalis petræ & aluminis rochæ ana, pulverentur & ſimul in crucibulo fundantur addendo parum ſulphuris pulverati, ut magis albeſcat lapis. Poſtea projiciatur ſupra marmor, & in fruſtula dividatur, ad uſum. Lapis autem iſte vires has poſſidet.

Cerebrum à ſuperfluis humoribus purgat, viſumq́ꝫ clarificat, nervos opticos deobſtruens. Defluxiones cerebri exſiccat, ſi mane per aliqvot dies in ore teneatur. Ad lingvam nigram & pituita oneratam valet, ſi cum juſculo ſumatur ad pulmonis ulcera, ſi cum ovis capiatur & loco ſalis tantum immiſceatur; ad dentes à gingivis ſeparatos, & ad anginam, ſi cum decocto hordei & hyſſopi gargariſma eo fiat.

Fluxus hepaticus curatus.

OBSERVATIO XCIX.

NObilis mulier, cujus nomen tacebo, per totum vitæ curriculum fluxu hepatico vexata, tandem remediis multis fruſtra tentatis, uſu aqvarum Meinenſium prope Bellicadrum curata fuit; poſt multos annos eodem fluxu laborans, eodem etiam remedio levamen accepit, adeo ut adhuc plenaria ſanitate fruatur. Multi alii hoc remedio etiam curati ab eodem morbo fuerunt, qvare eo utantur moniti.

De planta ſenſitiva noviſſimè à me inventa.

OBSERVATIO C.

UT plurimum qvæ apud nos ſunt, contemnimus, ut ad peregrina exemplo canis Æſopici confugiamus, qvi umbram carni prætulit, miramur enim multa incerta, utpote agnum ſcythicum Borametz, & non miramur orchydem antropophoram, nec ſatyrium florem apum, in qvo apes adeo concinne depictæ ſunt, ut non majori artificio apes volantes natura formaverit, cum nec alæ, nec oculi, nec alia membra iis deficiant. Sic gloriari poſſum, me primum motum percepiſſe in plantæ ſatis cognitæ flore, qvam nominabo, ne mihi debitam gloriam alter ſibi arripiat, qvod ſæpe mihi accidit, ut nuper de cura hermaphroditi à me propoſita, cum nullus authorum tale qvid (ut exiſtimo) adhuc propoſuerit; qvod tamen adhuc affirmo, exiſtimans, qvod modo ſexus fœmineus ſit ei inutilis, viriliſqve prævaleat, potuerunt vulnere inflicto conſolidari labia vulvæ, ut labia à natura fiſſa, arte qvotidie conſolidantur, utqve atretarum vulvæ dilatantur vel aperiuntur.

Sed ut ad rem promiſſam revertar, Jaceæ aromaticæ flores, dum in ſtatu & vigore ſunt & dum qvaſi flos farinaceus in eis percipitur, ſi minima herbula tangantur, pappos contrahunt, imò pars ſiniſtra contrahetur contactu dextræ,

&

& è contra; ſed in hac actione in eodem flore non repetenda ſedulitas & perſpicacitas reqviruntur. Idem fere faciunt jaceæ & cardui qvidam pratenſes, qvare non dubito, qvin multæ tales plantæ reperiri poſſent, ſi fieret curioſa illius rei inqviſitio, imò ſenſum qvendam obſcurum omnibus plantis ineſſe, in una obſcuriorem tamen qvam in alia, pro certo aſſevero, ut in lib. meo Zoophytorum & Zoolithorum à nemine tractatorum multis exemplis confirmabo.

Cum autem de hermaphrodito egerim ſuperius, non prætereundem eſt, me plures vidiſſe circulos hermaphroditos.

Appendix ad primam Centuriam Obſervationum.

Ad Obſervationem XLII.

Similem figuram pueri gigantis æri inſcultam habeo, cujus inſcriptio ſic ſe habet.

Veriſſimo ritratto del bello eſmiſurato figliolò del gigante chiamato Andrea Mangone, natta algeàaro ó Antigniano caſale de Napoli: à 13. de Fiebaro 30.

Nacqve il preſente figliolo à 13. di Febraro 1630. Antigniano caſale di Napoli, à cui Daniello Mane ſuo padre fu impoſto il nome d' Andrea, il qval cqve di non differente grandezza, di qvella che tti altri figlivoli portar ſoglione ma dopo 6. meſi cocincio di giorno in giorno ad avanzarſi in guiſa che ſurato hoggi 14. di Giugno 163. è de 4. palmi è

piu d' altezza, è 4. palmi è piu di groſſezza, ha i capo alla ſua ſtatura proportionato, i capelli lunghi caſtagnacci è creſpi, gli occhi alqvanto bianchi, i volto di riguardevole bellezza, il polſo poco meno d un palmo groſſo, la coſcia è di groſſezza d' ve palmi è la polpa della gamba un palmo è mezzo, il pie long 3. qvarti di palmo, la mane proportionata al piede il color della carne bianca è vermiglia, à tutti i denti ſucchia il latte, è mangia è camina ma non libero in tutto, il cui maeſtoſo ſembiante è la cui ſmiſurata grandezza, oltre alla aurora de gli anni produce lo ſtupore è partoriſce la maraviglia tanto piu che di giorno in giorno va creſcendo.

Concluſio.

Habes, amice Lector, Centuriam primam Obſervationum rariorum, alias non minus raras accipe adhuc, cum has benigne exceperis Peregrinos præcipue alloqvor, cum ſciam, Chriſti & doctorum exemplo, res digniores in patria flocci-fieri.

* *
*

IN

IN OBSERVATIONUM Medicophyſicarum Petri Borelli Centuriam ſecundam

PRÆFATIO.

QVotieſcunqve phalangem illam morborum, qvibus homo obnoxius eſt, apud me perpendo, magnus me ſtupor invadit. Et profectò valdè mirum eſt, qvod animalium Rex, Dei imago, & Deus fere ille terreſtris, tot tantisqve dotibus ornatus, tot privilegiis inſignitus, tot promiſſis ſtabilitus, qvi cum met aliis exiſtit, cum plantis vegetat, cum brutis ſentit, & cum Angelis ratiocinatur, ſit qvaſi centrum & punctum, ad qvod omnes malignæ tendere videntur influentiæ; ſed ſic placuit ſummo ejus artifici Deo, ob peccatum primi noſtri parentis in ejus mandata perpetratum. Solatium tamen unum nobis reliqvit, Medicinam, divinam illam artem, à fontibus illis celeberrimis Graciæ, Hipocrate & Galeno oriundam, à qva qvaſi à puteo altiſſimo veritatem Democriti, & ſanitatem, omniaqve remedia haurire pleno poſſumus cornu. Non ergo ob tantam morborum multitudinem deſperandum, habemus enim clavas Herculeas multas, qvibus lernarum harum capita amputari poſſunt, multorum doctorum virorum libros obſervationem Medicarum intelligo, in qvibus inſolitæ morborum formæ earumqve ablationes reperiuntur: inter qvos fulgent, Donatus, Schenkius, Donetus,

doneus, Amatus, Valeriola, Cabrelius, Ballonius, Faber, Lommius, Tulpius, Riverius, Salmuth, Bartholinus, &c. Tantorum virorum igitur veſtigia premens haſce lucubratiunculas etiam in lucem edo, meliora parans, ſi bene accipiantur.

PETRI BORELLI MEDICI REGII CASTRENSIS, HISTORIARUM ET OBSERVATIONUM RARIORUM Medicophyſicarum, Centuria II.

Vomitus bilis bullientis inſtar aqvæ fortis.

OBSERVATIO I.

QVi ante nos fuerunt, multum qvidem egerunt, ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operæ, multumqꝫ reſtabit; neqve ulli nato poſt mille ſecula præcidetur occaſio aliqvid adhuc adjiciendi, dixit optimè Seneca. Naturæ enim perſcrutatio occupatio inexhauſta eſt, novumqꝫ aliqvod admirationis hominibus qvotidie præbet exemplum, ejusmodi autem eſt qvod ſeqvitur.

Novi doctiſſimum Medicum, ſimul & Mathematicum, Delphinatem D. Videl, cujus ſto-

ma-

machus tanta bilis copia refertus erat, ut vapores ejus emicraniam tædioſam in eo producerent, utq; ſæpe vomitu illam rejicere conaretur, qvo mire ſubitoq; levabatur, dum autem illam in terram ejiciebat, bulliebat inſtar aqvæ fortis, qvod certè mirum eſt & à nemine qvod ſciam ſcriptis mandatum. Inde curioſi meo judicio miras poſſunt eruere obſervationes, idqve erit porta aperta ad majores & altiores perſcrutationes. Eſt autem hujusmodi humoris portio neceſſaria in omni corpore (qvandoq; vero nimia eſt, qvæ ejici debet, vel peſſima inducet ſymptomata) ſine hoc enim humore non poteſt in nobis fieri ciborum coctio, nec eorum in naturam noſtram aſſimilatio. Deſinant ergo mirari homines, qvo pacto calor ſtomachi ſuperet ignis calorem, cum neqveat ignis culinarius panem, herbas, &c. in ſangvinē reducere; qvemadmodum enim diſſolvente regio, ſeu aqva forti, aliisq; ſpiritibus acribus reducuntur metalla in aqveam ſubſtantiam, qvod ignis præſtare neqvibat, ſic in nobis eſt humor cibos diſſolvens & in chylum reducens, & tandem in chymum. Sic ſangvis dum glandulis mammarum occurrit, in lac mutatur. Sicq; etiam exiſtimo, in matricibus mulierum, menſtruum ſangvinem vim illam acrem, & ſolventem obtinere, inſtar ſpirituum chymicorum, qvod patet ex ejus veneno, & ferventia, cumq; ei ſemen occurrit, illud diſſolvit, ut aqva fortis res liqvefacit, & ſic aperitur

& educitur vel excitatur ſpiritus aëreus, coagulatus, & in eo qvaſi ſopitus, ad domicilium & machinam humanæ figuræ ſibi juxta ſuam prædeſtinationem concinnandam, ut cum Severino Dano loqvar, ſic etiam alia ſemina, imo plantarum & mineralium, (qvod pace negantium mineralium & metallorum animas dictum ſit,) diſſolvente qvodam, ut pluviis ſalenitro imprægnatis aperiuntur, anteqvam plantæ inde & alia producantur. Hic brevi nimis oratione fundamenta naturæ detego, nempè vires ſpirituum & archeorum Architectonicorum in ſuis centris deliteſcentium & qvomodo corpora ſibi unusqvisqve ſpiritus conficiat juxta ſuam ſcientiam. Sed hîc non licet apertius loqvi de hiſce veris veræ philoſophiæ principiis, ignaris ridiculis, Doctis vero chariſſimis.

Idem vomitus bilis copioſæ & ferveſcentis extra corpus, nuper D. C. pharmacopolæ Caſtrenſi contigit.

In aqva ferè ſuffocati, curatio.

OBSERVATIO II.

NOn immerito verus Medicus ille dicitur, qvi citò & jucundè curat, mora enim multos ante tempus ad orcum percipitat. Qvod præcipue ſubmerſis accidit, qvi remedii ſubiti defectu ſæpiſſime moriuntur, qvare lubuit hiſtoriam memoratu dignam referre, mihi ab eruditiſſimo veraciſſimoqꝫ viro Joh. Dantio relatam.

am. Nobilis Dominus de S. P. licet ſub aqvis ſubmerſus diu remanſiſſet, & tandem repertus, pro mortuo habitus fuiſſet, ad vitam revocatus fuit, diuq; in poſterum vixit, admotis cordi panis aſſi micis aqva vitæ calida imbutis, idq; ſæpe renovando, reliqvis vero partibus frictionibus rubefactis, idq; in lecto calido.

Topicorum venenorum noxa.

OBSERVATIO III.

MUlti temeraria qvadam doctrina fulti, fere omnia ſua remedia à venenis præparatis deſumunt. (licet alia multa benefica nobis natura ſatis offerat,) cum tamen illud in deſperatis morbis, fruſtra tentatis benignioribus juxta Hippocratis dogmata fieri debeat: cum ex iis, imo etiam à topicis ſolis peſſima ſymptomata erumpant, & non raro mors. Sic qvædam nobilis mulier, cum mammas minuere optaſſet, conſilio Medici cujuſdam admovit eis cicutam: & alia, ut variolarum notas è mammis & à ſummo thorace deleret, remedium ex arſenico, aliisq; venenis parato applicavit, ſed ambæ dum pulchritudini nimium ſtuderent, tumoresq; ac citatrices faciei à corporibus auferre vellent, animas proprias corporibus fugarunt. Caute ergo hiſce utantur remediis lectores, imo nunqvam, niſi in deſperatis morbis, ut in cancro, lue venerea, &c. ſi meo conſilio uti cupiant.

Suffocatio à muſti vaporibus, & à fumo.

Observatio IV.

HUic obſervationi anſam præbuit hiſtoria memoratu digniſſima, qvæ menſe Octob. anni 1652. in urbe Caſtrenſi accidit familiæ Iſaaci de la Roqve, ſericearum denticularum textori, cum enim poſt vini è cupa extractionem dum rurſus vindemiam in cupa calcandam eſſe à qvodam didiciſſet ad ſecundum vinum meliorandum, Joh. la Roqve ejus filius, annos 15 circiter natus in cupam ad vindemiam calcandam deſcendit, ſed ſubito à vaporibus vini ſuffocatus fuit, cumq; Stephanus Sagnes tyro patris ejus, illum cecidiſſe percepiſſet, patrem ſubito accerſivit, & ambo ad filium ſervandum ſubito in cupam proſilierunt, ſed ſtatim è vaporibus proſtrati ſimiliter ceciderunt, uxor vero qvæ ad idem venerat, cum nullos redeuntes videret, mariti & filii ſervandi gratia, in cupam deſcendit, & eodem modo proſtrata ruit. Tandem puellâ vicinorum auxilium implorante, multi acceſſere, cumq; unus ex iis in cupam deſcendiſſet, ſubito egreſſus eſt, ſe ſuffocari aſſeverans, tandem viribus rurſus collectis & naribus obturatis, ſemimortuam mulierem extraxit, ſed non ſine auxilio adſtantium, vitæq; diſcrimine. Qvare reliqvos extrahere renuens, Petrus Frontanier fortis bajulus rogatus, rem ſuſcepit, ſed

ſtatim

ſtatim etiam ſuffocatus fuit. Tandem hamis ferreis extracti fuerunt omnes, lectisq; impoſiti, & ego vocatus fui, ut iis remedia, ſi adhuc aura vitali fruerentur, præſcriberem, frictionibus ergo, aqvæ perfuſione, panisq; toſtis cordi admotis revocata fuit ſola mulier, omnium oblita, neſciebat enim ſe in cupam decidiſſe, reliqvos autẽ omnes plane mortuos eſſe deprehendi, tum pulſus arteriarũ ceſſatione, tum qvod nec candelæ, nec pennulæ ori vel naribus admotæ moverentur, nec ſpecula ſimiliter admoto macularentur, nec ſternutatoria effectum in iis ſuum producerent. Qvo pacto autem illud fieri potuerit, nunc breviter nobis videndum ſupereſt.

Suffocatur homo, cum aer ventilando calori cordis neceſſarius non attrahitur, fuliginesq; calidæ expiratione non emittuntur, dum viæ aeri attrahendo deſtinatæ occluduntur, qvod fieri poteſt non ſolum faucibus obſtructis, tumore, vel rebus nimiæ magnitudinis deglutitis, vel naribus muco obturatis, vel veneno ſtrangulante, ut fungis vel catharro, vel aqvæ ſubmerſione, vel fumo, ut nuper D. Candio Præceptori in eadem urbe accidit, qvi camino, portis & feneſtris ob frigus obturatis, à fumo chartarum caſu accenſarum ſuffocatus fuit. Sed etiam illud à malignis vaporibus, tum cavernarum, tum cloacarum & puerorum accidere poteſt, ut videre eſt apud Chriſtoph. Avegam, lib. 3. ſect. 5. c. 8. artis Med. & Marcel. Donat. lib. 2, c. 6. de hiſt. Mirab.

ſicqve

ſicq; iſtis, de qvibus agimus, accidit ſuffocatio à muſti vaporibus incluſis: exiſtimo autem cum Donato cerebrum eorum potius qvam cor læſum fuiſſe. Qvidam enim ſimilibus caſibus poſt curam delirarunt, & febre correpti fuerunt. & præterea aliàs percepi, tales vapores cuparum inſtar acuum naſi radicem qvaſi transfodere: ſic ſulphuris vapore cadunt aves ab arboribus. Si qvis ergo ad tales ægros inviſendos vocetur, aqva frigida eos inſpergi curet, ut vaporum ferocia mitigetur, diu ſerventur inſepulti juſſu Hippocratis, plures enim, licet vivi, pro mortuis ſepulti fuerunt, cum ſuffocati fuiſſent tum aqvâ, tum apoplexia, tum epilepſia, præcipue mulieres uteri ſuffocatione prolapſæ. Sciat præterea lector, eos ad vitam rarò revocari poſſe, qvibus ſpuma circa os collecta fuerit, ex Hippocrate aph. 43. ſect. 2. regulam tamen non perpetuo veram fuiſſe, & Galenus & Chriſtoph. Avega aſſeruerunt.

Oſſicula cum urinis educta.

OBSERVATIO V.

NUper in cura vulneris res inaudita obſervata fuit, qvam hic referendam eſſe cenſui, cum res apud nos acciderit. Nobilis Juvenis D. de Carlot Nemauſenſis globulo tormenti bellici percuſſus, in oſſe tamen, licet gangrena & ambulandi impotentia non parum fuerint metuenda, tamen multorum Medicorum & Chirur-

gorum

rorum ope tandem curatus optime fuit. Sed in ejus cura res à nullo alio obſervata, qvod ſciam, occurrit; multa enim oſſiculorum fragmentula cum urinis ſæpe emiſit, in qvam rem & Medici & Chirurgi dixerunt, veſicæ poros dilatatos adeo fuiſſe naturæ conatu, ut per illos & pus exuctum à vulnere, & oſſicula illam penetraſſe ferrent, qvod ego (ſalva eorum reverentia) haud facile crediderim. Veſica enim cũ ſit pars membranoſa & idcirco exqviſitiſſimi ſenſus, & oſſicula acutiſſima, dolores immanes produxiſſet, imo intolerandos, & præterea non poſſunt dilatari membranæ adeo ut oſſicula illas pertranſeant, ſed potius crederem veſicam vulneratam fuiſſe in collo, ubi vulnera pati poteſt, niſi veſicam totam habuiſſe carnoſam credere malimus, (ejusmodi enim qvandoq; viſam fuiſſe legitur,) ſic enim ubiq; vulnerari potuit.

Aqvæ magneticæ e longinqvo agentes,
OBSERVATIO VI.

STupendus effectus profecto ex aqvarum ſeqventium pugna oritur, ſic autem fiunt. Calx viva in aqva communi extinguatur, & in eam, dum extinguitur, auripigmentum injiciatur, (hæc autem fieri debent calidis cineribus ſuppoſitis per diem integram,) deinde illud filtretur & ſervetut in vaſe vitreo bene clauſo. Poſt ea lithargyrum aureum tritum cum aceto bulliat in vaſe æneo per ſesqvihoram, & tandem

etiam

etiam filtretur per chartam emporeticam, & i
vaſe vitreo optimè obturato ſervetur.

Si hac ultima aqva aliqvid ſcribas penna r
centi, inviſibilis erit ſcriptura cum ſicca erit, ſe
ſi prima aqva deſuper imponatur, ſtatim nigr
evadet. Sed in hac actione non ſitum eſt mira
culum, aſt in eo, qvod licet innumeræ charta
imo tabula lignea, inter ſcriptum primum in
viſibile & ultimam aqvam ponatur, actioner
ſuam tamen peraget & in nigrum colorem ſcri
pturam hanc vertet, ſpiritu ſuo ligna & charta
ſine ullis actionis ſuæ veſtigiis penetrante, qvo
certè admirandum. Sed pravus odor & ſtercora
ceus qvi ex aqvarum illarum actione mutua e
mergit, multos à tali experientia deterret, & no
parum hujus arcani miram virtutem imminuit
Ego autem adhuc exiſtimo, qvod exqviſitiore
præparatione chymica, hoc ſecretum augere
potero, adeo ut per transverſos parietes actio-
nem ſuam peragere poſſit. Iſtud autem arca-
num â D. I. Broſſonio pharmacopæo Monſpe-
lienſi curioſo ſimul ac erudito, amicoq; meo ac-
cepi, ei alia viciſſim impertitus.

Scabies facilè & jucundè curata.
OBSERVATIO VII.

MUlti ob fætores ungventorum ſæpe ſcabiem curare renuunt, qvod non facerent, ſi ali-qvod jucundum, facile & non fœtidum extaret remedium. Tale autem eſt ſeqvens, qvare ſic

bre-

ɔreviter illud accipe. acc. olei glandis unguenariæ unc. ʒ: ſpiritus ſalis drag. ſemis. moſci, vel ybethæ gran.2. cum ceræ ſ. q. fiat unguentum. Et eo facilè & jucundè, (cum bonum ſpiret odoem,) ſcabies curabitur.

Pauperes autem & milites illam mirè fugaunt ſola ſaponis nigri lotione. At non diu cuti nhærere debet, ſed è contra cito abluendus ne utem excoriet. Decoctio malvarum cum aluaine ad libitum, eſt etiam optima ad ſcabies cuandas, ſi ter ea corpus abluatur tepidè.

ʀarum & memorabile magni gutturis exemplum.

OBSERVATIO VIII.

N urbe Vivarienſi, prope Caſtra eſt textor, tanta gutturis amplitudine à natura donatus, t lucanicæ dimidium palmum, porros interos, & ova etiam Gallinarum integra deglu-at, eaq; reddat ad libitum per os, exceptis ovis, væ per anum integra ejicit, ejus autem os, dum iligenter inſpicitur, videtur ſine columella. Hioria hæc certiſſima eſt, vitaq; fruitur homo ta proprietate præditus, eumq́; ipſe vidi eiq; conlium dedi, ut orbẽ peragret, qvoniam ſola hac ·oprietate maximũ ſibi qvæſtum compararet.

lumbi cũ corpore humano ſympathia.

OBSERVATIO IX.

Æpe ob antiqva vulnera bombardarum conſoli-

ſolidata, globuli plumbei, qvi extrahi nec repe-
riri potuerunt, tandem proprio pondere deſcen-
dunt & ad cutem deveniunt, unde tumore ob-
ortu & maturato extrahuntur, vel cum oſſe ag-
glutinantur. Sic D. de Fontanes apud Cadurcc-
per 20. annos talem globum loco dentis habu-
ſe inſcio, qvo tamen ad eſum utebatur, qvod fie-
ri neqvit, niſi qvadam ſympathia plumbi cum
natura humana, cùm reliqva metalla natura no-
ſtra non adeo facili ferat negotio, ideo tumuli o-
lim è plumbo fiebãt ad corporis conſervation

Ad genuum tumores, & dolores podagricos, & iſchiadicos.

OBSERVATIO X.

Innumeris fere experientiis comprobatum eſt radicem ſigilli B. Mariæ probe contuſam & admotam genuum tumoribus & doloribus mire conferre, præcipue gonagricis, idq; à D. Matheo Qveſnoto experto Chirurgo Nemauſenſi accepi, verumq; eſſe comprobavi; ſed in podagricis primo corpus evacuandum eſt jalapio, & tandem cauſa conjuncta hoc topico tolletur.

Nimia pingvedo, & craſſities corporis

OBSERVATIO XI.

NObilem virum adeo pinguem vidi, ut eqvo inſiſtere neqviret, qvin ſtatim ſopiretur, nec loco fere moveri poſſet: ille tamen nunc huc illuc vadit mole illa deperdita, & priſtinum

habi-

habitum recuperavit, qvod ſola maſticatione foliorum tabaci peractum fuit, ut ipſe mihi aſſeveravit. Pituitoſis enim & frigidis corporibus utile eſt, macilenti vero & ad tabem vergentibus valde noxium. Folium lauri lingvæ impoſitum aqvas multas etiam educit.

Species admiranda carbunculi.

OBSERVATIO XII.

IN urbe Rupecurvenſi prope Caſtra, freqvens eſt morbus, (*Malvat*) vocatus, qvi ſpecies carbunculi eſt, qvo, niſi 9. dies inſomnes traducant, jugulantur, utq; id præſtare valeant, accedunt ad illos amici & parentes, ibiq; genio indulgentes canunt, tripudiant, bibunt & comedunt, & qvaſi orgia celebrant, ut ægrum inſomnem & ſanum reddant, adeo ut tarantulæ morſu, vel chorea ſancti viti laborare videantur. Interim circa carbunculum inſtituitur ſectio, & cucurbitulæ admoventur, tandemq; ungvento baſilic. curantur. Inſtrumēta etiam muſica pulſant, ea ad curam ægri conferre aſſeverantes. Credo autem morbum hunc ibi contrahi à veneno in lanis ovium contagio mortuarum latente, lanas enim ejusmodi in perpetuis ſuis lanificiis uſurpant, ideoq; tantum in facie vel manibus, & pauperioribus, utpote lanificis illud accidit. Vigiliæ autem omnibus modis excitatæ iis conferunt, qvia ſomno hujus mali comite, concentratur aliter verſus cor venenum.

Dementia ab embrocatione frigida.

OBSERVATIO XIII.

PUerum dementem vidi, cujus mater interrogata, an ſic natus eſſet, reſpondit, id ei accidiſſe ab admotione embrocationis frigidæ cerebro adhuc tenello. Pueruli autem qvalitates omnes facile ſuſcipiunt, dum cerebrum non ſolidum eſt, habent enim membranulam tantum, ſeu cartilaginem juxta ſuturæ coronalis & ſagittalis interſectionem figuræ rhomboidis qvæ foramen in cranio defunctorum puerorum relinqvit. Ibi eſt autem porta, per qvam calida vel frigida eis nocumentum afferre poſſunt.

Ad clavum pigram excitandam.

OBSERVATIO XIV.

CUm qvidam ſint, qvi non poſſint niſi purgationibus, clyſteribus, ſuppoſitoriis, ptiſanis, vel aliis irritantibus remediis, alvum exonerare, remedium jucundum & facillimum hic inſerere volui, qvo alvi pigriores benigne excitantur. Torreatur mica panis, oleo olivarum irroretur, & manè deglutiatur, & videbis effectum, præcipuè ſi bis, vel ter idem facias.

Lacerto ſerpens.

OBSERVATIO XV.

DUm herbariæ rei curioſus amicus qvidam meus, prope Montem Peſſulanum ad locum

Sale-

Salenenve vocatum, exiviſſet, in prato ſerpentulos palmum unum longos invenit, qvorum pedes qvatuor non mediocri diſtabant à ſe intervallo, duos enim juxta collum, reliqvos vero in caudæ origine habuerunt. Adeo ut animal illud ex lacerto & ſerpente compoſitum eſſe videretur, qvare ei ſtatim lacerto ſerpentis nomen indidi. Corpus ejus erat gracile & digiti minimi craſſitiem tantum æqvabat, color & os ſerpentum habuit & digitos qvinqꝫ in unoqvoqꝫ pede. Horum ſerpentum unum dono accepi, illudqꝫ ſervavi in aqva vitæ per longum tempus, tandem illum extraxi & exſiccatum ſervavi.

Spina per annum integrum in digito latens, auresq́; mobiles.

OBSERVATIO XVI.

D. Aureolus Caſtrenſis presbyter ſpinâ inter pollicem & indicem compunctus profundiſſime fuit, remanſit autem ſpina, unde tumor magnus obortus eſt, remediis tamen curatus fuit, ſed ſpina non fuit educta, tactu enim percipiebatur, ſed ſine dolore. Tandem poſt annum & 7. dies, per puſtulam ſponte natam in manu exivit ſpina facillimè.

Vir idem proprietatem non prætereundam poſſidet, aures enim ad libitum movet, cujus rei ipſe teſtis oculatus ſæpe fui.

Lapides ſub lingva in baſi maxillæ inferioris.

OBSERVATIO XVII.

D. Antonius, Burdigalenſis Hebdomadariu ſancti Andreæ, cum difficultate loqvelæ no parum laboraret ob tumorem in baſi maxillæ inferioris, illud anno 1645. Lud. Principi Chirur go Caſtrenſi communicavit, qvi re perſpect. durum qvid invenit, & ſectione inſtituta Vol ſellis, lapides duos extraxit, qvorum unus nu cem juglandem æqvavit, alter vero eam ſupera vit, rugoſi autem fuerunt & qvaſi arenulis acu tis conſtantes, vulnus vero facillime curatun fuit ſolo gargariſmate ex decocto hordei, & tan dem melle roſaceo. Id autem in officina D. Da van Chirurgi Burdigalenſis peractum fuit.

Os nunqvam regeneratum poſt trepa num, item tendo malleoli ſine ambulandi impotentia amputatus.

OBSERVATIO XVIII.

TRepano fronti chirotecarii, qvi ictum paſſu erat prope palpebram ſiniſtram, admoto a D. le *Juif* Chirurgo Pariſienſi, non ſolum mem branarum cerebri, ſed & ſubſtantiæ ipſius por tio corrupta apparuit, qvæ ab eo ablata & ſepa rata fuit, & tamen æger curatus remanſit, qvod teſtatur, partes nobiliores vulnerari poſſe, ut a libi notavimus. In cura iſtius ægri res aliæ mira

appa

apparuerunt, qvas iñumeri viderunt, inter qvos D. Joan. Solegrius decimarum receptor. Nam membrana nata rurſum eſt contra Medicorum omnium opinionem, qvi partes ejusmodi nunqvam renaſci aſſeverant: ſed qvod rarius, nunqvam callo obductum fuit vulnus illud; ſed licet curatum per 8. annorum ſpatium ſola membrana obductum remanſit, ſub qva ſyſtole & diaſtole cerebri oculis percipiebatur.

Utq; membrana hæc regenerata fuit, ſic memoror me legiſſe, etiam venam in capite regeneratam fuiſſe, ſicq; tendo magnus malleoli dextri ab ulcere corruptus, amputatus cum fuiſſet, Toloſæ à Fr. Faudryo Chirurgo Caſtrenſi, coram D. de la Laiſſe Chirurgo Toloſano, tamen æger ſine ullo incommodo ambulavit, nato iterum tendone vel re alia analoga.

Mirum vulnus in orbita oculi ad cerebellum penetrans.

OBSERVATIO XIX.

FAmulus nobilis Domini *de Monteſpan Gondrin* Toloſæ, in orbita ſiniſtra oculi enſe ſauciatus fuit anno 1636. exiſtimans autem vulnus parum penetraſſe, emplaſtrum diapalmæ tantum admovit, qvo admoto, non ſolum ſpatio duarum leucarum ambulavit, ſed etiam cum ſociis genialiter vixit, ac ſi ſanus fuiſſet, nullo enim dolore agitabatur, tamen craſtina die mane mortuus repertus fuit. Aperto cranio à D.

Franc. *Faudry* Chirurgo Caſtrenſi & D. Caſtet Chirurgo Toloſano, coram duobus aliis Chirurgis Toloſanis Titiero & Caboto perceptum eſt manifeſtiſſime vulnus orbitæ ad cerebellum penetraſſe. Qvod rem in præcedenti obſervatione aſſertam confirmat.

Cranii fracturæ non apparentes, modusqve eas cognoſcendi optime: item de crotaphyti muſculi ſectione.

OBSERVATIO XX.

NObiliſſimus D. Camillus Savary Comes Brevienſis, caſu retrorſum ab alto, qvaſi omnino mortuus remanſit, nullus tamen tumor nec cavitas apparuit. Qvare D. Pimpernelle & D. le Juif peritiſſimis Chirurgis (Conſilio D. Joan. Solegrii peritiſſimi botanici, convocatis) cataplaſma ex farina fabarum admotum fuit toti capiti; deraſo capillitio, & qvoniam res urgebat, cum æger loqvelam amiſiſſet, ut citius cataplaſma exſiccaretur, lintea calida admovenda cataplaſmati curarunt 6. horarum ſpatio. Exſiccato cataplaſmate, Chirurgi illud removerunt, & in illo figuras fiſſurarum cranii latentium optimè delineatas perceperunt; cataplaſma enim non exſiccatur in locis fiſſurarum & fracturarum, ſicqve arte detecta fuerunt, qvæ viſu percipi neqvibant. Fiſſura ergo magna in medio crotaphyti muſculi apparit, in qvo D. le Juif (contra tamen doctrinam autho-

authorum) ſectionem inſtituit nulla fibrarum ratione habita, qvod ſæpius ſe illud feliciter feciſſe aſſeveravit: facta ſectione, arteriæ ſangvinem in altum valde emittebant ſed pulveribus adſtringentibus, & linteis carptis tandem ſiccatæ fuerunt. Oſſe autem denudato apparuit oſſis ſqvama ſatis magna foras prominens, qvam D. le Juif ſpatula violenter extraxit, dicens, non alio trepano opus eſſe, cum illud trepani locum obtineret: inde ſangvis copioſus protinus effluxit, à qvo effuſo cerebrum urgebatur, eo enim evacuato ſtatim æger loqvutus eſt, & tandem remediis huic morbo accommodatis penitus curatus, vixitqve in poſterum ſaniſſimus & conjugio junctus multos pueros generavit, tandemqve pleuritide periit.

Huic obſ. ſeqventem adhuc adjungam. Anno 1651. Caſtrenſis bajulus, plumbeis globulis à bombardâ emiſſis in capite percuſſus, cranio multis fracturis diſrupto obiit. Aperto cranio à D. Faudryo Chirurgo Caſtrenſi, portio tabulæ ſecundæ duræ matri in cumbens & omnino à prima ſeparata reperta eſt, ſine ulla fractura, extrà in hoc loco apparente, qvod ab ictus repercuſſione factum fuiſſe exiſtimo; ſi autem cataplaſma ſupradictum admotum fuiſſet per ejus in eo notam, id forſan præceptum fuiſſet, & trepano extrahi, & ſic curari æger potuiſſet; ceciderat autem hæc portio ex angulo à ſutura coronali & ſagittali conflato.

Miræ in glacie figuræ.

OBSERVATIO XXI.

DUm Vivariis, de iis qvæ abſurde viſa ſunt magica, confabularemur, relata mihi fuit hiſtoria inter argumenta magica, cujus ſubito ſolutionem reperiri non potui. (De facili autem aniles magorũ hiſtorias nunqvam credidi, vanas illas timidorum terriculamenta eſſe exiſtimans; non ſemper eqvidem, ſed utplurimum. Dæmones enim eſſe non dubito, ſed dubito, qvod talia ridicula, qvæ nobis enarrantur, doctæ hæ creaturæ facere dignentur. Qvidqvid enim amaſii, fures, ventus, mures, aves nocturnæ, feles & caſus in domo producunt, ipſis qvotidie attribuitur.) Dicebant ergo à mago qvodam, miras figuras inſtar hortorum floribus decoratorum in glacie foſſarum urbis factas fuiſſe, adeo ut nihil pulchrius, nec majori artificio factum cerni poſſet: ſed tandem veram cauſam percepi, hancq; hic inſerendam eſſe exiſtimavi. Sciendũ autem eſt, ſal eſſe adipem terræ, qvo fertilis qvotidie redditur, cum à pluviis & aliis aqvis ad loca decliviora ſal diſſolutum defertur, unde fit, aqvam & terram foſſarum terras fertiliores reddere, & montes ſteriles remanere, fertiles è contra planities. Hincq; fit, terram, à qva ſal eductũ fuit, ſterilem per triennium omnino remanere, donec ab aëre vi terræ magnetica ſal denuo attrahatur. Ideo dixit optime Doctor Doctorum,

ſal

ſal rem optimam eſſe, & Apoſtolos ideo ſali ſimiles eſſe aſſeveravit. Sal autem petræ dum conſcitur, (ob ſpiritus, qvibus præditur eſt,) certas iguras ut alia ſalia ſemper induit, præcipue obongas & ſine ordine, mutuo ſeſe interſecantes, ınde qvaſi labyrinthi exurgunt. Cum autem conglaciatur aqva hyberno tempore, ſi ſale fere careat, eſt unita & lævigata, ut glacies fluviorũ, i parum vero ſalis nitri obtineat ut in viis qvasdam figuras habet, ſed in foſſis, in qvibus à longo tempore aqva ſale impragnata fuit, miras iguras producit. Vel id ab innumeris plantarũ ſalibus mixtis provenire poteſt. In ſale enim plantæ latet ejus figura, ut in lixivio plantarum iſtarum, aceto, &c. congelatis cernitur, utq; de arcticis refert Qvercetanus; hi autem ſales in aqvis confuſi figuras ſuas confundunt. Ab hac peculatione aliqvi phantaſmata plantarum utpote roſarum, tuliparum, &c. in phialis ſigillatis, calore benigno ſuppoſito eruerunt, qvod profecto valde admirandum, & animarum perennitatis non parvum eſt argumentum. De hac re oqvuntur Mullerus in miraculis Chymicis, Roſembergius in Rhodologia, &c. Alii rem adhuc altius protrahentes, è plantæ principiis ſeparatis aliam ſimilem plantam, à qva educta fuerant, n liqvore qvodam realiter producũt intra parvum tempus ſine terra, cujus rei teſtis oculatus eſt Stephanus Breſſiæus, Gratianopolitanꝰ Medicus Chymicus peritiſſimus, virq; acie ingenii

non vulgari præditus. Scio præterea multos ſale plantarum in terram projecto, easdem ſ poſſe producere plantas narrare, inter qvos e Begvinus, & è fimis animalium herbas ſimile qvas comederunt, produci, & alios è ſeminibu lactucarum, &c. intra tres horas lactucas pro duxiſſe aqvæ vitæ irroratu, & calore ſub terr præparata cineribusq́ mixta admoto.

Lapides veſicæ ingentes.

OBSERVATIO XXII.

PUella Vivarienſis magna dyſuria cruciata pe longum tempus, tandem lapidem minxit al bum, duriſſimum, magnitudinis ovi anſerini qvi fractus concavus repertus eſt, illum autem cum ingentibus conatibus eduxit, adeo ut puer perarum dolores æqvarent. Alium vidi lapidem muliebrem qvatuor unciarum ponderis, & qv figuram veſicæ retinuerat, ejusdemq́ molis ac ovi ſupradicti. In alio lapide humano relatum eſt mihi, repertum fuiſſe ſerpentem, lapis autem ille felis capitis figuram habuit; nuperq́ Mathe Qveſnotus, peritiſſimus Chirurgus calculum à nobili viro Octuagenario extractum vidit, ponderis 18. unciarum.

Ad hydropem arcanum.

OBSERVATIO XXIII.

AQvæ vitæ beneficio extrahitur è jalapio pulverato, nodulo incluſo, eiqve infuſo, & cani-

aniculæ ardoribus expoſito, ſubſtantia pur-
ans.non extractum ejus,ſed gummi eſt, ſic e-
im ſeparari poſſunt. Si aqva vitæ calidè filtre-
ur per chartam emporeticam, in fundo relin-
vet gummi,poſtea vero aqvæ deſiccatione,ex-
ractum etiam remanebit. ſed gummi minori
oſi utpote ſcrup.1.miras faciet evacuationes a-
varum, eſt enim ſpecificum ad hydropicos re-
nedium. unicaq; pillula dari poteſt.

Hydrops à compreſſione.

OBSERVATIO XXIV.

Xor D. Joh. Boneti Vivarienſis,cum per tres
horas amicam parturientem tenuiſſet, ſen-
t dolorem circa orificium ſtomachi ob com-
reſſionem, factam à circulo illo tomentaceo,
vo renes tegunt mulieres, ut melius veſtes fe-
antur,dolori tumor ventriculi ſucceſſit, qvi
mper auctus illam ad hydropem inſignem
eduxit, totum enim abdomen in molem hor-
ndam excrevit, adeo ut ejus moles usq; ad ge-
ua fere deſcenderet. Tandem femora,oculi,&c.
imuerunt, nec ullis remediis curari potuit, li-
et multa celebrata fuerint, tum à me ſolo, tum
onſilio D. Joh. Vigierii Medici Caſtrenſis,qvem
ocandum curaveram, ut conjunctim videre-
ius,an paracenteſis celebranda eſſet,qvam val-
e optabat ægra,qvæ ſatis vivida & robuſta erat,
d noluimus ejusmodi tentare remedium ob
ium morbum non minorem huic conjunctū,
nempe

nempe pulmonum vomicam, qva ſuffocabatur
exiſtimo tamen, qvod ſi citius vocatus fuiſſem
(morbo enim confirmato tantum vocatus fui,
curari facili negotio potuiſſet, cum jalapii gum
mi ſupradicto vel ejus extracto, tum ſucco irri
dis cum melle cocto, vel crudo propinato a
drag. 1. ut docet Gordonius, qvo remedio mul
curati fuerunt, ſed

Fruſtra Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ad partum facilem reddendum, & tor mina parturientium tollenda.

OBSERVATIO XXV.

SÆpius compertum eſt, qvod olei olivarum
potu ante partum, facilitatur mirè partus, ne
tormina ulla patiuntur puerperæ, vias enim lu
bricas & molles reddit oleũ, debet etiã topicè ex
trà idem oleum admoveri. Pro certo etiam mih
aſſertum eſt, aqvam ophiogloſſi idem præſtar

Hydrops matricis.

OBSERVATIO XXVI.

ACcidit qvandoqve, aqvas vel ventos in ma
trice tanta copia cumulari ut ægræ præ
gnantes exiſtimentur, ſic mulier Caunenſis pr
prægnante habita fuit, qvod molẽ circa ventrem
ejus adſtantes motu qvodam præditam perci
perent; tamen aqvis ad lib. 2. eductis, tumor ill
diſceſſit. Sic D. Petiti D. de Montbriſon uxor pr

pra

rægnante diu à marito & aliis omnibus habi-
a, vento cum impetu emiſſo curata fuit, hydro-
e enim ventoſa matricis, qvalis eſt in ventricu-
tympanites, detinebatur.

De cholera morbo.

OBSERVATIO XXVII.

MAximo jure dici ſolet, morbum cognitum ſemicuratum eſſe, ſic optimus opifex Ca-
trenſis cujus nomen taceo (nolo enim ullius
ctiones carpere, ne potius ſatyram nocuam,
vam obſervationes utiles conſcribere videar)
ra percitus ob litem adverſus illum à vicinis
notam, ſubito magno cordis dolore, vomitu &
phonia invaſus fuit. Data fuere remedia con-
ra apoplexiam, multaq; cardiaca calida, ſed ta-
nen eadem nocte obiit: præſtitiſſet autem, fri-
idam aqvam propinare & remedia adverſus
holeram morbum, qvo ſolo detinebatur, uſur-
are: qvi ſigna enim choleræ ejusq; prognoſti-
a & ſubitos effectus ſciverit, de hac re non du-
itabit. Secum enim ducit convulſiones, infla-
iones, Nauſeas Cardialgias & ſitim, qvibus ille
etinebatur, mortemq; ſubitam, qvæ etiam eis
ucceſſit ſymptomatibus. Nuper etiam à chole-
a morbo Jeremiæ Bardini Bibliopolæ uxorem
uravi ſolo aqvæ communis potu & admotio-
e cerati ſantalini regioni ſtomachi.

San-

Sangvis criſtallinus & congelatus.

OBSERVATIO XXVIII.

RAra qvidem fuit illius obſervatio, qvi ſan-gvinem in venis congelatum inſtar cora[l] fruſtorum & ramuſculorum invenit corpus di-ſecando cujusdam, qvi ob hanc congelationem fato functus erat, ſed non minus rara eſt obſe[r]vatio hæc mea. Ægrum juvenem vidi, cujus ſan-gvis in vaſculis criſtallinus ſemper remanſit, [&] adeo diaphanus, ut fundũ vaſculi ſemper vide[ri] poſſet, qvod ego à pituita vitrea in maſſa ſan-gvinis ejus dominante proveniſſe autumo.

Argentum vivum ſine noxa deglutitũ

OBSERVATIO. XXIX.

CIvis Lumberienſis, ſibi manus violentas in-ferre cupiens, libram dimidiam argenti vi-vi deglutivit, ſed tamen ſine noxa, qvod tame[n] contra vulgarẽ ſententiam eſt, valde enim no-cuum creditur. At modo crudum ſit, ponder[e] ſuo ſubito tranſit ad anum, & Catalauni illud ſic puerulis adverſus vermes, qvos mirè fuga[t] propinant. Nocet vero præcipuè cum præpara-tus creditur, qvia ejus pori aliqvomodo aper-ti ſunt & venenata ejus qvalitas (antea ſopita) præparationibus excitata nocet, at crudum nul-lomodo nocet, ſi prius butyrum vel pingve ali-qvod juſculum ſumatur.

Demen

Dementia à retentione menſtruorum.
OBSERVATIO XXX.

DUm apud Ruthenos profectus eſſem, vocatus fui ad curam mulieris juvenis juxta parum de la Roqve degentis; miro autem morbo detenta erat. Cum enim à me interrogaretur, eadem verba ut echo repetebat, & nihil unqvam ad qvæſita, ob coëundi præterea deſiderium ſemper maritum expetebat. Qvare cum ab adſtantibus didiciſſem, menſtruas ejus purgationes ſuppreſſas eſſe, tactuqꝫ obſtructiones partium hypogaſtricarum percepiſſem remedia adverſus obſtructiones ſolita & ad menſtrua provocanda præſcripſi, utpote apozemata aperientia, phlebotomiam malleoli, &c. Qvibus auxilis curata fuit.

Coitus mirus.
OBSERVATIO XXXI.

ACcidit cuidam mihi noto, ut in coitu inſtar canum junctus remanſerit, qvod à nimio ardore partium genitalium tumefactarum provenisse exiſtimo, vel qvod è zybetho, qvo conſilio amici cujusdam voluptatis augendæ gratia, balanum inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuiſſent, oportuit autem clyſteribus crebris partes illas emollire, ſicqꝫ ſeparati fuerunt.

Saxo Grammaticus, à Demone ait factum fuiſſe in Dania, ut viri more canum poſt coitum ligati eſſent.

Febres

Febres malignæ, ab eſu carnis anima-lium ægrotantium.

OBSERVATIO XXXII.

ANno 1648. febris epidemica & maligna gra-ſata eſt, qvæ multos è medio ſuſtulit, qvam peſtis qvædam, vervecum majorem partem au-ferens præceſſerat, multi vero ne peſte vervece-morerentur, eos lanionibus tradebant, qvi tum ſanos, tum ægros vendentes, febres ejusmod-inducere potuerunt; ab herbis autem pruin-qvadam venenata madefactis morbos contra-hunt pecudes, nosq; à pecudum ægrotantium eſu. Morbi enim ſic de corpore in corpus trans-feruntur, & ubi corruptionem & materiæ diſpo-ſitionem inveniunt, vires ſuas magno cum im-petu exerunt, lente verò vel nullo modo, ubi retundi poſſunt à bonis humoribus. Multos au-tem tunc curavi ægros antidotis & uſu modera-to phlebotomiæ, cum aliorum periculis cautu-redditus, multos hujus ultimi præſidii uſu ni-mio, è medio ſublatos vidiſſem.

Odoris violarum in urinis ratio.

OBSERVATIO XXXIII.

URinæ eorum, qvi therebintinam ſumſerunt mire violarum martiarum odorem referunt qvod multos torſit authores ejus rei veram i-gnorantes cauſam. Multi ſoli therebintinæ i-tribuunt, verumq eſt, urinam ſola application-

eju

ejus teſticulis, in digeſtivo(qvod ipſe vidi) imo ſola frictione manuum unà cum illâ, ejusmodi ſpirare odorem, ſed id etiam qvandoqꝫ in urinis ſine ullo therebintinæ uſu accidit. Qvare ſciendum, id tantum in ſale volatili qvodam latitare, qvod in urinis reperitur, ut ejus percipitur diſtillatione, aſcendit enim copioſe ad retortæ collum, viresq; auri ſolvendi obtinet. Qvod ut facilius innoteſcat ſciendum, ſalem gemmeum marinum, ſeu primam ſalis cuticulam, vel ejus efflorescentiam, violarum odorum optime redolere, qvoniam illud ſal volatile eſt, ſic cum multum ſalis illius(odorum ſcaturiginis)therebintinæ inſit, qvod patet ex eo, qvod frictione ſola manifeſtetur, in urinis autem ſolvitur, propriumqꝫ urinæ ſalem volatilem auget, ſicqꝫ juncti copia ſua tunc melius pateſit odor violarum in ſale volatili latens.

Apoplexia à ſangvine.

OBSERVATIO XXXIV.

DIxit Fernelius, apoplexiam fieri poſſe à ſangvinis effluvio in cerebrum, cum copiâ ſuâ anaſtomoſes venarum aperit; at ut plurimum aqva tantum in iis poſt diſſectionem, ex Columbo reperitur. Qvare cum apoplexiam à ſangvine viderim, illam tacere non potui, poſt apoplectici enim obitum, aperto cranio ſiniſter cerebri ventriculus ſangvine plenus repertus eſt; ſangvinis igitur miſſione, plethorici talia accidentia præcavere debent.

K Bo-

Bonum prognoſticum circa macularum purpurearum copiam cum hæmoptoide.

OBSERVATIO XXXV.

VOcatus ad puellam pauperrimam inviſendam hæmoptoide magna detentam, (febribus epidemicis graſſantibus) illam maculis purpureis omnino refertam inveni, qvarum non paucæ denariorũ magnitudinem attingebant, ſubnigræ autem multæ erant, & innumera multitudine, adeo ut puella hæc aſpici ſine maximo horrore neqviret. Ego autem metuens, ne ejusmodi contagium ad domum paternam puerulis refertam transferrem, ei cardiaca remedia præſcribens, eam ad pauperum Medicum miſi, qvi non minori horrore percuſſus, unica tantum etiam vice illam vidit, eadem ei remedia præſcribens, hiſce tamen præter ſpem noſtram curata fuit. Maculis autem his, tam in facie collo & manibus, qvàm per reliqvum corpus ſcatebat, adeo ut cum cœlo ſtellis multis conſito aliqvomodo conferri poſſet ob variæ magnitudinis maculas Alios ejusmodi ægros abhinc vidi, ſed omnes curatos breviter, licet per vicos & compita, nulla macularum, nec hæmoptoidis ratione habita, ambularent: difficilius è contra curatos vidi, qvi paucas & parvas maculas habuerunt, & hæmoptoide caruerunt, in promptu autem cauſa eſt; natura fortis & vivida venenum

nenum cum ſangvine tenui, ebullitione qvadam, ad os & cutem, commune corporis noſtri emunctorium demittens. Sic peſte graſſante, qvi majori bubonum & carbunculorum numero ſcatent, citius & felicius curantur.

Cerebri ſubſtantia per 80. circiter annos incorrupta ſervata, absqve condimento.

OBSERVATIO XXXVI.

NUper è puteo Dominicanorum Caſtrenſium, ſexaginta circiter hominum olim jugulatorum oſſa eruta fuere, ubi octuoginta circiter annis delituerant, in horum autem craniis cerebri medulla reperta eſt, adhucq; mollis & non fœtens. Qvidam miraculoſum dicebant, cum tamen id ab aeris privatione & humiditate putei factum fuerit. Sic ligna ſub aqvis incorrupta ſervantur, & Toloſæ in fratrum minorum cænobio corpora humana virtute loci in loco ſubterraneo incorrupta conſervantur, ſicqve etiam flores & fructus in puteis ſervari aſſerunt multi, modo in vaſis undiqve clauſis ſubmergantur. Eodem ergo pacto crania cerebri ſubſtantiam, inſtar vaſorum clauſorum ſub aqvi conſervarunt.

Bufones & ſerpentes innoxiè comeſti.

OBSERVATIO XXXVII.

RElatum mihi ſæpe à D. Duncano Montal-

 ba-

banenſi Medico, ſe non ſemel vidiſſe dementem qvendam bufones innoxiè comedentem: idem vidi ab empyricis bis factitatum, qvi poſtea antidota ſumentes venenum eorum à remediis retundi ſimulabant, ſed ab amico accepi, bufones innoxie comedi poſſe, modo eorum ſudor, ſputum, vel urina, non deglutiantur, & præcipuè ſi jejuni aliqvandiu remanſerint, venenũ enim amittunt, ut & ſerpentes, ſi domi per aliqvot dies nutriantur. Eſt & locus qvatuor abhinc leucis diſtans, vocatus Baſtida prope Sanctum Amantium, in qvo ruſtici ſerpentes innoxie comedunt, eosq; viatoribus comedendos ſub anguillarum terreſtrium nomine apponunt, qvod à Toparcha ipſorum pro re veriſſima accepi. Nunqvam autem eo pabulo ullus eorum ægrotavit, ajuntq; mire ſapere palato, caudam tamen & caput amputant & reliqvum comedunt. Freqvens etiam eſt uſus adipis eorum ad ſcabies, imò pertinaciores tollendas, ſi cum juſculo deglutiatur, qvod certè innoxiè ſæpius factum vidi. Accepi etiam à viro magni momenti, ejusmodi eſu ſerpentum luem veneream brevi curari, imo & lepram, qvod ultimum à Mathiolo confirmatur, qvi refert, leproſus vini potu, in qvo forte viperæ ſuffocatæ fuerant, curatos fuiſſe: lepra autem & lues venerea aliqvam habent connexionem, multiqve eruditi exiſtimarunt, unam ex lepris Judaicis fuiſſe luem veneream, & ita morbum non novum eſſe, ſerpentes vero ad

utrumqve valent, qvia vim habent qvandam renovativam, qvâ qvotannis ſenectam ſuam relinqvunt, ſimilia enim ex Ficino in ſimilia agũt, corda animalium pro corde hominis, pulmones pro pulmone, jecora pro jecore, ſtomachi pro ſtomacho affectis uſurpari ſolent, & ſic animalia longæva ad longævitatem proſunt, aliaqve proprietates ſuas in nos transmittunt.

Fulminis effectus in homine, ejusqve variorum effectuum vera cauſa, & qvo pacto ejus varia à nobis diſtantia dignoſci poſſit.

OBSERVATIO XXXVIII.

ACcidit apud Monſpelienſes, ut fulmen cadens in domum Vicarii generalis D. Graſſi, pudendorum puellæ ancillæ pilos abraſerit ut Bartaſſius in muliere ſibi familiari olim factum fuiſſe eleganti carmine Gallico refert, ſic à docto Gabriele Lermeo Volca, fideli latinitate donato.

Vidi eqvidem, vidi his oculis puerilibus olim,
Nec res fallit, anum, cœli cui lubricus ignis
Abſtulit attonſam ſtrictim ſine vulnere pubem.

In alia caput in unico loco tetigit, illudq; adeo emollivit, ut cutis & caro à cranio ſepararentur, unde ante & retrò ad anum usq; deſcendit: fulmen autem ingreſſum per vitream feneſtram plumbum cum vitro confuderat. Curata fuit tamen puella hæc remediis ad ambuſta pro-

priis & phlebotomia. Solus enim homo à fulminis ictu curatur, cum reliqva animalia eo ſemper ſuffocentur. Mira autem ſunt fulminis effecta, qvæ à Phyſicis referuntur, ſed hæc omnia ſuperare mihi videtur caſus nuperrimus, qvo fulmen colum puellæ intactis ſtupis conſumpſit, res raras enim & poroſas facile permeat, in duras vero vires ſuas exerit fulmen: at inter cætera, qvæ de eo referuntur, magis miror, qvod chalybem in guttas abire faciat, enſes enim fuſos ajunt ab illo fuiſſe cujus rei cauſam caſu veriſſimam comperi. Dum enim pharmacopæum, crocum martis conficientem contemplaret, qvi ſulfuris fruſtum Chalybis fruſto ardenti jungebat, unde ſubito chalybs guttatim in aqvam ſubjectam decidebat, ſtatim dixi apud me, ſic etiam fulmen in enſes operatur ſuo ſulfure, qvo ſemper comitatur; ſulfur enim diu redolent res à fulmine percuſſæ: ferrum vero ab ejus igne & motu violento ardeſcit. & ſic croci martis inſtar guttatim decidit. Qvi ſic activa paſſivis applicare ſciet, miros producet effectus, in hoc enim tota naturalis magiæ ſcientia verſatur.

Cum autem de fulmine nunc ſermonem faciamus, non prætereunda mihi videtur obſervatio nova mihi à doctiſſimo viro communicata, qva ſciri poteſt, qvantum à nobis fulmen diſtet, dum à nobis per echo, ſoni ejus ſæpe in nubium anfractibus repercuſſi exaudiuntur; non enim fit ſonus ille, ut hactenus dictum, ab

extin-

extinctione lapidis fulminei, ut ferri ardentis in aqva frigida, (cum ſæpius ſine lapide ſit, & ventum vel flammam comites habeat,) ſed à freqventi echo, & ſoni ejus repercuſſione inter nubes colliſas. Eodem enim modo fit echo, & ſonus repercutitur ac figura in ſpeculis. Ut autẽ diſtantia ejus nobis innoteſcat, contemplandi ſunt è certa diſtantia lignorum percuſſores, deinde calculandum tempus inter duos ictus interjectum, ſicq́ cum ſcies, qvanto tempore ſonꝰ unius leucæ ad aures tuas pervenire poſſit, facillime ex intervallo temporis, qvod eſt inter fulgur & fulminis ſonum, ejus à te diſtantiam ſcire optime poteris.

Eſt lapis in India Cacaotetl ſeu Corvinus dictꝰ ex hiſt. Braſiliana, qvi calefactus tonitru edit.

Non abſimile etiam eſt, & fulmen & terræ motum fieri à pulvere qvodam auro fulminanti analogo, (fiunt enim varii pulveres fulminantes ſine auro,) à ſolis radiis accenſo. Obſervavi præterea, & mille hiſtoriis illud confirmare poſſem, fulmen in terras pulvere pyrio repletas, ut plurimum decidere, qvod etiam caſus nuperrimus apud nos confirmavit. In turriculã enim cecidit, in qva pulvis pyriꝰ à multis annis abſconſus deliteſcebat: qvare exiſtimo ſympathia qvadam fulmen ab illo pulvere allici, ut naphta ab igne, & naves ferro onuſtæ, à ſaxis magneticis in mari latentibus, dum eorum punctum attractivum percurrunt, & non à Remora piſciculo ſaxatili,

ut falſo hucusqve creditum. Sic & fulmen ſi à directo copioſi pulveris tormentarii exiſtat, non aliter allicitur.

Longævi.

OBSERVATIO XXXIX.

RUſticus qvidam Baſtideæ juxta Sanctum Amantium, *Toute* dictus centum & viginti annos natus, viridi tamen & recta ſenectute fruitur, adeo ut manuum propriarum labore ſibi victum, terram fodiendo compareт. Hoc exemplum memoria qvidem dignum eſt, ſed ſeqvens majoris valde adhuc eſt momenti. In eadem urbe Caſtrenſi nuper viderunt innumeri, vidiq; ipſe, novercam D. Graſſi Sacerdotis, qvæ annum centeſimum & qvinqvageſimum ſe agere aſſeverabat, & de rebus antiqvis rogata optime loqvebatur. Facies ejus erat rugoſa & muſcida inſtar qvercus, qvalisq; Sybillæ Cumeæ tribuitur; garrula erat, & absqve ullo loqvelæ impedimento, numqvamqve à Medicis tractata fuerat, (qvo minime Medicinæ præjudicatum velim.) qvi enim ſine Medico, non tamen ſine Medicina vixerunt: Diæta enim, ſobrietas & aliæ hominum regulæ, imo ciborum & potuum facturæ, qvæ olim rudiſſimæ erant, ſunt veteris Medicinæ, ex Hippocrate inventa; non enim pane & vino carnibusq; coctis veſcebantur homines, ſed aqva carnibus crudis, imo & glandibus, nam ut ait Ovidius lib. 1. metamorph.

Ar-

Arbuteos fœtus, montanaqve fraga legebant,
Et qvæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Et Juvenalis ſatyra 6. de muliere primi ævi ſermonem faciens.

Et ſæpe horridior, glandum ructante marito.

Mulier hæc longæva ſæpe præterea comedere cupiebat, naturâ, ut opinor, in ea deficiente, nam paucis abhinc menſibus in villa diem ultimam obiit. Exiſtimo autem abſtinentiâ hanc attigiſſe longævitatem, vidimus enim in hiſce tractibus ſenem qvi centum ſuperavit annos, ſolo pane & vino uſus, ſemelq; in die; idq; longævitas nobilis Cornari, uxorisq; ſuæ, liberq; de abſtinentia ab eo confectus, hoc ſeculo mire confirmarunt; poſſem adhuc abſtinentiam & longævitatem Democriti & Eſſæorum referre, ſed brevitati ſtudens, hæc mihi dicta ſufficiant.

In inſula Jamboli 150. annos vivunt ex Diodoro.

D. L' Agneau Medicus Chimicus, vixit etiam 108. annos.

Icterus ſymptomaticus, & ad alvi fluxum & dyſenteriam remedia.

OBSERVATIO XL.

VOcatus nuper ad D. Aureolum de Villevert, nobilem Vivarienſem, ægrotantem inviſendum, illum febre maligna detentum, cum ictero inſolito, maculis purpuratis, lingva nigra, ſingultu & dejectionibus ſangvinolentis, cere-

bri ſubſtantiam æmulantibus, reperi. Statim mortem prædixi, juxtaq; prognoſticum meum undecima die mortuus eſt. Prognoſticum autem hoc deſumebam à divini Hippocratis dicto. Ait enim Aphor. 62. ſect. 4 *Quibus per febres morbus regius ſupervenerit ante diem ſeptimum, malum.*

Ibidem multi alvi fluxionibus, imo ſangvineis cruciati, facillimo negotio curati fuerunt remedio alimentoſo; hoc eſt, ſumpto ſæpe lacte vaccino recenti, ovorum luteis in eo ſolutis. Fit etiam panis biſcoctus. cui ſemen ſambuci miſcetur, qvi ad dragmam unam ad idem in vino propinatus valde celebratur.

Panis ex farina ſiliginea cum ſucco ſambuci optimus eſt ad fluxus omnes.

Mulier absqve dentibus.
OBSERVATIO XLI.

MUlier Lumberienſis nata ſine ullo dente, ſic per ſexaginta annos remanſit, nec unqvam ullum dentem habuit, qvod teſtatur, non eſſe ſemper verum, ut hactenus creditum, paucitatem dentium brevem, vel langvidam vitam portendere.

Podagra curata & teſticuli tumor.
OBSERVATIO XLII.

D. I. B. amicus meus per multos annos teſticuli tumorem paſſus eſt, qvo curatus, eo iden-

dentidem affligebatur, fluxumqve humorum in fæmore deſcendentem percipiebat, præcipuè tempore humido imminente, pars autem hæc à longo tempore debilitata hos recipiebat humores, unde tumeſcebat cum rubore & inflammatione, qvibus non mediocriter angebatur. Tandem optime curatus fuit demerſione fæmorum in vindemiam calidam poſt vini extractionem.

Alius verò, qvi ad podagram à cauſa frigida nulla remedia utilia experiri potuerat. ſimili remedio mire levatus fuit, imo fere curatus, ſed ſemel in anno illud uſurpandum eſt.

Pruritus cum ebullitione à veneno, item lingvæ tumor ſubitus.

OBSERVATIO XLIII.

ANcilla D. de Bonne D. de Gouriade, cum tantillum mentæ nocturnis horis deguſtaſſet, ſubito lingva ejus adeo intumuit, ut vix loqvi poſſet. Curata fuit tamen frictione ejus cum theriacâ unà & vino, theriacaq; etiam intus aſſumpta. Venenum illud ſine dubio à ſputo vel urina bufonis in mentam effuſis proceſſerat, ſolent enim phyſicorum relatu ad ſalviam vel mentam convocari, qvare nullæ herbæ illotæ comedantur. Vide Mizaldi Cent. & Bocatium de ſalvia venenata.

Multos vidi etiam qvi erucæ, ſalamandræ vel rei alteriꝰ venenatæ contactu, ſubito parvis puſtulis

ſtulis ſcaterent præcipue in manibus. Hi autem ſolo fumo olei olivarum in prunas effuſo, manibus ei impoſitis, vel earum lotione aqva, in qva fruſtum monocerotis cornu infuſum fuiſſet, curati ſunt.

Herbæ odoratæ ab animalibus venenatis petuntur, ut fæniculum à ſerpente & ſalvia à bufone. Mizaldus in 1. Centur. loqvitur de qvodam qvi ſalvia ſic venenata gingivas fricaverat, qvæ non bene ſe habuit. qvod ſcholæ Salerni contrarium fuit dum dicit: Cur moritur homo, cui ſalvia creſcit in horto.

Octo fœtus ſimul editi.

OBSERVATIO XLIV.

Anno 1650. uxor nobilis D. Darre unico puerperio octo fœtus enixa eſt probe conformatos, qvod valde in hiſce regionibus inſolens eſt. Uxor N. FRICOV loci BEDARRIEUX, qvatuor ſimul viventes pueros enixa eſt.

Capitis tremor diuturnus à phlebotomia non neceſſaria, & à purgatione intempeſtiva mors.

OBSERVATIO XLV.

Licet inter remedia phlebotomia & purgatio remediorum primaria merito habeantur: tamen non ſolum peſſima poſſunt excitare ſymptomata, ſi intempeſtive adminiſtrētur, ſed etiam mortem, ut hiſce patet obſervationibus.

D. D.

D. D. Patronus, Caſtrenſis, dum Lutetiæ degeret, aliorum exemplo verno tempore ſibi venã tundi curavit, nullo licet morbo detineretur ſed ſtatim capitis tremore correptus fuit, qvô per annum laboravit, inanitione enim nimia & non neceſſariâ (cum ſangvis nullus ſuperfluus in eo eſſet,) natura debilitata valde fuerat.

Sic presbyter qvidam Caſtrenſis (ſanus licet) purgatione uti voluit cujuſdam conſilio, ſed ſtatim humores ejus adeo perturbati fuerunt, ut mors paucis ab illa diebus ſucceſſerit, cum enim humores pravi in corpore coacervati non ſunt, bonos perturbant hæc remedia, qvare iis nunqvam niſi neceſſitate urgente & probatorum utendum conſilio.

Qvod autem ſanis medicamenta purgantia non ſint propinanda Aphoriſmo Hipocratis confirmatur. Ait enim Aphor. 26. Sect. 2. qvi ſalubritatem corporis habent, per medicamenta evacuati cito exolvuntur. Idemq; adhuc ſtabilitur ejuſdem Aphor. 16. Sect. 4.

Verrucæ curatæ.
OBSERVATIO XLVII.

UT ſubito verrucæ omnes manuum curentur, lotio tantum earum inſtituenda eſt ex aqva communi, in qva ſal armoniacum ſolutum fuerit, qvod à D. Videl Medico Delphin. qvi millies expertus eſt cum feliciſſimo ſucceſſu, acceptum teneo.

Idem

Idem telæ aranearum præſtant ex Mouffeto ſi admotæ accendantur, ſi enim radicitus avelluntur, adeo ut non amplius redeant. Alii fuligine tegunt illas & eam accendunt & paulatim patiuntur, ut crepando proſiliant.

Nuper famulum Domini præclari legati Hollandiæ curavi, qvi innumeris verrucis à duodecim annis ſcatebat, nec ab ullo curari potuerat. Curatus autem fuit ſola aqva cum ſale armoniaco ſæpe fricando, ut dictum eſt.

Sympathiæ miræ.

OBSERVATIO XLVII.

MUlier qvædam, (ut à fide dignis accepi,) dum ſocias, ſanitate plena, alloqveretur ſubito de ingenti in fronte ictu conqveſta eſt. Paucis autem ab illo tempore diebus, auditum eſt, maritum ejus eodem momento in remotis plagis occiſum fuiſſe, ictu bombardæ, in eodem frontis loco. Cujus rei ut ratio reddatur, exiſtimo, ſpiritus amicorum & inimicorum immiſceri, qvod patet in occiſis coram occiſoribus & parentibus ſangvinem fundentibus, dum ſpiritus occiſorum, vel parentum & amicorum, in occiſum ingreſſi, ad eos redire per vulnera conantur, accedente corpore ſeu magnete, ex qvo manaverant, à qvo rurſus alliciuntur: ſic horrore commoti ſumus in locis, in qvibus lupus, aliave fera, vel ſiccarii nobis inſidiantur, ſpirituum inimicorum eorum cum noſtris occurſu,

qvi

qvi nobis fremitu illo peregrinum ſpirituum in nos adventum communicant. Sic fuit puella apud Ruthenos, qvæ dum pater, factionis dux, à carnifice ſe inſcia laniaretur, & rotæ imponeretur, eodem tempore ingentibus convulſionibus diſtorta fuit. Eodem etiam pacto amicorum longe à nobis diſtantium mortem, vel redeuntium acceſſum ſigno qvodam percipimus, qvæ omnia ab iiſdem ſpiritibus in nobis pereuntibus poſt totius, à qvo pendebant obitum, vel ab eorum motu, ejuſdem acceſſu procedunt.

Animalcula in ulcere.

OBSERVATIO XLVIII.

VIdere non ſemel contigit mihi in emplaſtris ulceris fiſtuloſi animalcula, acaros ceræ referentia, qvorum non figura, ſed motus tantum percipiebatur, ſic multis morbis tum externis, tum internis detinemur, qvi ab animalibus inviſibilibus fiunt: tales ſunt cyrones dicti, pruritus, herpetes, &c. ut engyſcopiis percipi poteſt: ſicq; alia majora in nobis animalia generantur, ut alibi oſtendi de Vermibus in tibiis Indorum, & in dorſo puerorum. Ut autem morbi ab animalculis, qvi pruritum ſemper habent, comitem curentur, utendum eſt aloë, & mercurio butyro immixtis.

Ab-

Abſceſſus cerebri cum lethargo & tan-dem phrenitide.

OBSERVATIO XLIX.

FIlius Jacobi Foulraſſii mercatoris, in lethar-gum incidit, cui febris, huicq; phrenitis ſuc-ceſſit, qvi morbus, ingens licet, intra tres dies à me curatus fuit phlebotomiis freqventibus juxta doctrinam Pauli Æginetæ. l. 3. cap. 7. & A-vicennæ, lib. 3. fen. 1. tract. 3. cap. 4. qvi aſſeverant morbum hunc eſſe abſceſſum cerebri ex ſan-gvine putrido commiſſuras capitis aperientem & intra tres dies judicari, ſed venæ ſectionibus miteſcere.

Saga in gehenna dormiens.

OBSERVATIO L.

PAucis abhinc annis in urbem Caſtrenſem à Fuxo adducta fuit ſaga, qvæ cum eqvuleo imponebatur, ſtatim in profundum ſomnum (ſpuma ad os collecta) incidebat; ſicq; nihil ab ea Judex (alias in confeſſionibus ab ore male-ficorum avellendis aptiſſimus) eruere potuit. Talia apud Vueckerum in ſecretis ſuis reperies l. 15. c. 23. qvi plura ſimilia refert exempla, ea Diabolo earum lingvas retinenti, ne crimina fateantur, tribuens.

Nariun

Narium & mammarum cancri curæ.
OBSERVATIO LI.

RUſticus qvidam à cancro narium curatus fuit ſolo ſucco plantæ vulgaris ſibi ab alio edoctæ, qvi plures ejus ope curaverat, hanc cum maxima difficultate ab amico, qvi ejus nomen & utendi modum ab eo acceperat, didici: ſed qvoniam omnia clare docere cupio, ut poſteris prodeſſe poſſim, illam ſincere nominabo. Hæc igitur, nihil aliud eſt qvam Onopordi contuſi ſuccus, qvi ſæpe admoveri debet, imo & herba contuſa. Plantago etiã non inutilis eſt, ſi mammarum cancris applicetur.

Uſus ſpeculorum concavorum in Medicina.
OBSERVATIO LII.

NOn adhuc me vidiſſe vel legiſſe memoror, Medicum ullum vel Chirurgum concavo ſpeculo uſum eſſe in ulceribus, qvæ viſum effugiunt, cernendis, licet non parum utilia ſint. Cum enim ulcus in naſi radice interna cujuſdã obortum eſſet, nec ullo pacto percipi poſſet ejus locus, vel magnitudo, ego ope ſpeculi concavi, qvo ſpecies valde augentur, omnia optime percepi ac ſi externa fuiſſent, utq; res melius pateret, radium ſolis, ope ſpeculi illius, mutuatus ſum, eumq; ad ulcus detuli, ſicq; ejus figuram, magnitudinem & omnia deſiderata optime vi-

di, & deinde remedia ſtili ope ad illud delata fuerunt. Sic in aliis partibus, utpote oris profundo, ano, vulva, &c. ulcera, aliaq; latentia, percipi poterunt, adhucqve melius, qvam vulgarium inſtrumentorum ope, ſpeculorum nomina ſortitorum.

Hydropis cura.

OBSERVATIO LIII.

HYdropica mulier, cum nullis remediis levari potuiſſet, ſola ptiſana herbæ cecetach rurata fuit, ejus autem ptiſanæ valde coloratæ præ copia plantæ tres hauſtus mane qvotidie ſumebat, ſic enim jecur, ubi fons & origo hydropis eſt, corroboratum & ad priſtinam temperiem deductum fuit, adeo ut non aqvoſum amplius, ſed bonum ſangvinem produxerit. Alios epoto ſucco ſatureiæ curatos fuiſſe pro certo mihi relatum fuit, & ſuffumigio ſpiſſamenti ceræ.

Veronicæ aqva mane epota ad unc. 6. per tres dies, ad hydropicos curandos valde etiam utilis eſt.

Ægri variis lingvis loqvuti, item ecſtatica mulier.

OBSERVATIO LIV.

POſt Joh. Fernelium, lib. 2. de abdit. Rerum cauſis, refert Carpentarius Epiſcopum Græce & Latinè in morbo locutum fuiſſe, licet græcæ linguæ ignarus eſſet.

Ludo-

Ludovicus Guyo in variis ſuis lectionibus narrat etiam famulũ Henrici qvarti Cignarum licet) græca in febri lingua locutum fuiſſe, idem de ſaga Boaiſtuæus aſſeverat in hiſtoriis ſuis prodigioſis. Multi de re eadem locuti ſunt, ea ad animam naturaliter omniſciam revocantes. Pythagorei, qvi metempſychoſim affirmabant, illud animæ reminiſcentiæ vitæ anteactæ in aliis corporibus memori tribuerunt. Nuper mirandam de hac re hiſtoriam retulit author Doctiſſimus, qviq; jure Bibliotheca vivens dici poteſt, (Plutarchusq; Gallus, ut ab egregio viro ſemperq; illuſtri Gabriële Naudeo nuncupatur in Dialogo ſuo de Maſcurat.) LA MOTHE LE VAYER qvi in opuſculis ſuis narravit & teſtimoniis confirmavit, D. LE FEURE civem Rothomagenſem, dum interrogaretur in ſomnis, omnibus lingvis reſponſa dediſſe, imo Græce & Indice. Sic ego novam de hac re tibi hiſtoriam communicare volui. Domina de Pile Manſi Aſilii in Vaſconia morbum paſſa eſt, perq; totum ejus curriculum Hiſpanè optime locuta eſt, licet illius lingvæ antea & poſtea ignara fuerit. & præterea exſtaſim tantam paſſa eſt, ut pro mortua haberetur, cumqve remediis revocata fuiſſet, adverſus adſtantes indignata non mediocriter fuit, qvod à loco miro & delitioſo revocata ab iis fuiſſet. Dixit autem inter multa ſe vidiſſe ſenem, qvi dixit ei, fratrem

ejus in bello mortuum eſſe, patremq; in cubiculo remoto pſalmum certum legere, cujus verba retulit, hæcq; omnia vera fuerunt. Qvæ teſtantur, animam in Ecſtaſi qvodammodo à corporeis impedimentis ſeparatam aliqvid ſcientiæ, qvam poſt mortem habitura eſt, acqvirere, ſic moribundis idem contingit, cum anima jamjam ſeparari debet. Hiſce evertitur eorum ratio, qvi variarum lingvarum locutionem ad id ſolum referunt, qvod hæc tantum, qvæ olim audiverunt, proferant, qvia ſpecies rerum in nobis ſopitæ aliqvandiu remanent, & vocabula oblivioni tradita deinde in memoriam revocantur, & expergefieri poſſunt à febris ardore nimio, ut ruſtici qvi Gallicè, cum vino caleſcunt, loqvuntur: concedo qvidem, qvædam vocabula hac ratione proferri poſſe, ſed non ad qvæſita reſponderi Indorum lingva, vel Græca, ut retuli.

Ejusmodi referunt hiſtorias Pomponatius, qvi lib. de incantationibus ait, ſe Mantuæ vidiſſe uxorem Magreti ſutoris, qvæ varia idiomata in morbo loqvebatur, & tamen à Galgerando Medico curata fuit: Additq; Cardanus ex Eraſmo in encomio Medicinæ à Calcerano qvodam Medico poſtqvam ægro Germanice loqventi, qvi antea nunqvam eam lingvam didicerat, potionem dediſſet, cujus vi hic magnam vermium copiam dejecerat, eundem ſtatim liberatum eſſe, & integro mentis habitui reſtitu-

tutum, ex qvo Cardanus morbos eſſe dæmones male concludit.

Ictus, & paralyſis manus curata.

OBSERVATIO LV.

ICtum à pede eqvino in manu amici, ut & alterius dolorem & impotentiam manuum curavi, præſcribendo, ut ſæpe manus totas in recens jugulati bovis vulnus immitterent, qvo peracto, bene ſe habuerunt. Calor enim ille naturalis, noſtrum excitat & expergefacit, vel benignitate ſua poros aperit, & humores torpidos fluxidos reddit, qvi aliter qvaſi coagulati reſidebant, unde corrumpi & gangrenam accerſere potuiſſent.

Lachrymæ ſangvineæ, & ſudor viridis.

OBSERVATIO LVI.

AMicus qvidam meus, ira percitus, lachrymas fudit ſangvineas, qvod cum ſatis inſolens ſit, caſum hunc hic inſerere volui. Potuit autem id fieri à vena qvadam capillari ob iram aperta, & ſangvine ad oculos ope glandulæ lachrymalis delato.

Septimus inca Peruviani regni lachrymas fudiſſe etiam ſangvineas legimus.

Sudorem etiam viridem ab axillis manatum in linteis vidi, in Medicinæ ſtudioſo, à bile porracea ortum, ut exiſtimo.


Qvare non mirum eſt, ſi capilli virides reperiantur, nuper enim omninò virides vidi in Juvene.

Monſtrum biceps, & teſtudineus tumor mirus.

OBSERVATIO LVII.

Anno 1628. Martii die 12. natum eſt monſtrum biceps in urbe Villefrancæ Albigenſium, qvod ego nunc in Muſæo meo inter alia multa curioſa à me curioſis aſſervata habeo. Inter duo capita habet manum probe efformatam, ut & capita, qvæ ſeparata omnino ſunt. Ab uxore autem Maurelli enixum fuit, poſt novem menſium geſtationem ſolitam, mortuum natum eſt, & in ejus diſſectione corda duo reperta ſunt, qvod duas illud habuiſſe animas teſtatur, apertum autem fuit in domo Boneſouſſii Chirurgi Albienſis, viſumqve fuit ab illuſtriſſimo Principe Condæo, & ab innumeris magnatibus. Omnia reliqva parenchymata & partes probè conformatæ fuerunt excepta ſpina dorſi, qvæ duplex fuit in ſuperiori parte, craſſisqve inteſtinis, qvæ ſolitam conformationem non habuerunt caruit etiam foramine in podice, & pubis loco caudulam digiti transverſi longitudinis habuit, en autem ejus figuram.

Felem



Felem bicipitem etiam ſervo, ut & cranium gallinæ, cui qvaſi aliud cranium informe adhæret.

Hæc mihi in memoriam notandam revocant hiſtoriam, qvæ ſic ſe habet. Vir qvidam Nemauſenſis, tumorem in occipiti tantæ molis habuit, ut monſtrum biceps à multis haberetur, qvod ægrè valde ferens maluit anceps experiri remedium, qvàm ſic vitam tranſigere. Qvare ad D. Roux Chirurgum acceſſit, & coram Matheo Qveſnoto Chirurgo Nemauſenſi eruditiſſimo, collegisq; ejus ferè omnibus, tumorem illum ſibi amputari juſſit, qvod peractum cum feli-

ciſſimo fuit ſucceſſu, cauterio actuali poſt amputationem admoto, vixitq; in poſterum ſanitate plenus vir ille. Tumor autem ille ſine dubio ſuit is, qvi teſtudo vocari ſolet. Oſſi parietali adhærebat, & aliud caput magnitudine æmulabatur, duoq; foramina habuit, qvæ oculos, ut melius caput referret, effingebat, cavitatem intus habuit, ſubſtantia cartilagine circumdata refertam. Sed in radice mollior erat, fuitq; cute & capillis obductus tumor iſte contra naturam, baſis trium digitorum craſſitiem æqvavit; nullum ferè ſenſum poſſidebat, & nutriebatur ramis venæ jugularis externæ & qvibusdam parvis arteriis, utqve tumor is, eſt ut plurimum pericranii excrementum, ei etiam adhærebat.

De veſicatoriorum uſu.

OBSERVATIO LVIII.

UNumqvodq; agens ſuum patiens habet, ſicqve unumqvodq; venenum certæ corporis noſtri parti tantum adverſatur: ſic lepus marinus pulmonem, & cantharides veſicam exulcerant, licet topice & procul ab illa admoveantur, ideo non amplius miror, qvod Fabritius ab Aqvapendente veſicatoria tanto odio proſeqvutus ſit, cum tanta mala ab iis oriri poſſint, (qvod de iis qvæ cantharidibus conſtant, intelligendum eſt.) Si ergo iis opus ſit, parari è rebus non venenatis poterunt, utpote ranunculo, thapſia,

&c.

&c. vidi enim ægrum, qvi à veſicatoriis nimio tempore in occipiti relictis mictum ſangvinis paſſus eſt, à qvo tamen ſemicupio & potu lactis curatus fuit.

Phthiſis puerorum cauſa.

OBSERVATIO LIX.

ERror notandus qvotidiè ab obſtetricibus committitur in puerulorum faſciatione, ut enim recti ſtent, adeo faſciis eos comprimunt, ut eos fere ſuffocent, unde fit ut tenera membra diſtorqveantur, coſtæ comprimantur, & pectus acutum reddatur. Ejusmodi fuit in urbe Caſtrenſi obſtetrix, qvæ omnes pueros, qvos ab ortu ſic involuerat vel tabidos, vel langventi & imperfecta ſanitate præditos reddiderat. Ideoq; pro ſaga à vulgo habebatur, licet macies puerorum ab ea faſciatorum à nimia tantum compreſſione ortum duceret. E contra videmus, ruſticos pueros amplis pectoribus præditos, qvia eos illigatos vel ſaltem largo modo relinqvunt. Sic etiam puellæ, qvæ nimis pectora comprimunt, ut graciliores videantur, vel tabidæ moriuntur, vel gibbæ fiunt, nutrimento magis ad ſuperiora ob ligaturas arctiores vergente.

Simili Errato qvandoq; caput comprimunt, & nutrices ſemper in eodem gerunt illos brachio, unde ſcevolæ fiunt, vel per crura tantum, unde claudi.

Sic ſtudioſi multi tabidi fiunt à ſtudio nimio

ut creditur, ſed id à fumo candelarum hauſto in muſæolis undiqve clauſis, ut à celeberrimo noſtro Placæo Prof. Salmur. obſervatum utiliſſimè fuit.

Teſticuli tres, item unicus.

OBSERVATIO LX.

VIrum novi, cujus pater & filius tres teſticulos habuerunt. Alium adhuc tribus etiam teſticulis præditum noſco. Et è contra monachum unicum habentem teſticulum. Ejusmodi exempla refert qvidem Sennertus, ſed majori numero obſervationes confirmare bonum eſt, cum unica experientia rem non ſatis ſtabiliat.

Lapis ſub cranio repertus, & ariſta in collo.

OBSERVATIO LXI.

MIhi à perito Chirurgo Caſtrenſi relatum eſt, ſe Lumberienſem qvendam virum curaſſe, cui bellicum tormentum cranii portionem ademerat, cumq; diu ab illô remedia admota vulneri fuiſſent, exivit inde tandem cum omniũ admiratione, lapis magnitudinis fabæ, qvi ſub cranio diu delituerat, natura illum foras ejiciente, fuerat antem à tormento bellico lapis ille huc intruſus. qvod ſi in alia parte corporis contigiſſet, potuiſſet inſciis omnibus carne tegi, & tandem poſt mortem in diſſectione cadaveris repe-

reperiri, tuncqve omnes exiſtimaſſent, illum ibi genitum & non ab extrinſeco veniſſe. Sic in arboribus qvandoqve reperiuntur lapides, qvi ligno obducti ſenſim fuerunt, poſtqvam in earum rimas intruſi fuiſſent.

Chirurgus idem puerum vidit, qvi tritici ariſtam deglutierat, qvæ tandem, tumore in collo oborto, collum perforavit, & poſt puris copioſi ejectionem exivit, contra omnium ſpem, qvi illam ibi latitare ignorabant.

De ſpica farris è collo ſponte educta libellus extat.

Calculi veſicæ rari, & cochleæ in ſaxum converſæ.

OBSERVATIO LXII.

DAti mihi fuere duo calculi à diſſectore perito, in qvorum primo à me rupto, nucleum lapideum inveni, qvod Fernelii ſententiam comprobare aliqvomodo videtur, qvi aſſerit, calculum in renibus formari, & poſtea ad veſicam devolvi, ubi cuticulatim augetur, ut alibi antea à nobis declaratum fuit.

Alter formam habet admirandam, nam inſtar cochleæ lapidefactæ effigiatus omnino eſt, & in centro qvaſi criſtallum habet, qvod à ſemine oſtreiformi, vi lapidificæ juncto, proveniſſe exiſtimo. Inveniuntur etiam cochleæ ejusmodi in variis locis à mari valdè diſſitis, variis formis & coloribus, ut in hiſce regionibus obſervavi: imò

imò & non proculab urbe Caſtrenſi, ut in Gal lico meo antiqvitatum Caſtrenſium libro de duxi, qvod à peculiari aſtrorum influxu, ve antiqvo diluvio, vel tandem qvod maria ſeden mutaverint, procedere veriſimile eſt, apud no enim in variis locis littora maria mutarunt, nam magis nunc à Foſſiis Marianis, &c. qvam olim diſtare nemo negat. Deinde terra in ſaxum versâ, cochleæ ſic etiam cum terra commutatæ fuerunt. Vel ejusmodi ſpecies lapidis cochleiformis extat in natura, animâ ſuâ ſic effigiati, ut alii, qvi formas ſtellarum, lingvarum, roſarum, cornuum, dentium, &c. habent.

Cum de calculis miris veſicæ egerimus, hiſtoriam ſeqventem notatu digniſſimam, de renum calculo admirando recenſendam eſſe exiſtimavi. D. Nivelle procurator Caſtrenſis, annum octuageſimum attigit, ſine ullis ferè renum doloribus, nec urinæ ſuppreſſione, & tamen, cum febre periiſſet, in cadaveris diſſectione, ren ſiniſter repertus eſt luto refertus, in dextro vero lapis cineritius obſcurus, ponderis ſeptem unciarum inventus fuit à Joh. Riverio Chirurgo; lapis autem ille figuram valdè irregularem habuit: fuit enim inſtar caſtaneæ mar. cui appendix adhærebat.

Anato-

Anatomicæ obſervationes.

OBSERVATIO LXII.

NAturæ theſaurum nemo unqvam exhauriet, qvotidie enim novam nobis admirationis materiam præbet. Cranium enim vidi, in qvo ſutura coronalis omnino rotunda fuit, ut verè coronalis dici poſſet, interſecabat autem ſagittalem & coronalem vulgarem, adeo ut crucem in circulo referret. Aliud ſagittali carens vidi, aliudq́ multo majus vulgaribus craniis, qvod à Domino Auturio perito Chirurgo Sanctafricano aſſervatur. Aliud tandem vidi cranium, magnum etiam & innumeris oſſibus qvaſi ſqvamis conflatum, iſtud autem ultimum apud Eſtanovum Chirurgum Monſpelienſem me vidiſſe memoror.

Lingvam etiam duplicem & bifidam in puero viſam fuiſſe mihi obſtetrix retulit.

Vidi præterea oculos in duobus hominibus colore varios, adeo ut eorum alter cæruleus, alter vero niger fuerit. Mihiq́ aſſertum à veterano Chirurgo Monſpelienſi, D. Formio, ſe puerum vidiſſe in cujus iride oculi, hæc verba Gallica, LOVE SOIT DIEV, legebantur. Id eſt, laudatus ſit Deus. Cranium etiam animalis inſtar canis ſervo, cujus ſuturæ omnes criſtatæ & elevatæ digitis transverſo ferè ſunt.

Cranium etiam cujusdam piſcis habeo, cujus

jus totum os, infra & ſupra dentibus obtuſ
multis ſe mutuò tangentibus conſtat.

Sic populi qvidam extant, ut legitur, binu
ſimul edentes ſermonem.

Macies ab hypercatharſi.
OBSERVATIO LXIV.

D. Eleazarus Campdomercus, ut ab ipſo acc
pi, cum apud Monſpelienſes olim Medicin
digniſſime operam daret, ſatisqve pingvi hab
tu plenoqve vultu præditus eſſet, tamen catha
tico qvodam medicamento vehementiori ei
Profeſſore qvodam propinato, hypocathar
ſis tanta ſeqvuta eſt, ut poſt ejectiones octuc
ginta circiter, tanta macies ſubſeqvuta fuerit
ut nunqvam priſtinum habitum recuperare va
luerit; potuiſſet tamen Aſſumpta Theriaca ſiſt
vis illa nimis purgatoria pharmaci.

Ad dentes dealbandos, firmandos, & carne tegendos.
OBSERVATIO LXV.

OPtimum eſt remedium, & ſæpe experien
tia comprobatum ad dentium radices car
ne obducendas, dentesqve firmandos & deal
bandos opiata ſeqvens. Parum aluminis in
olei ſulfuris unc. I. Pone, adde conſervæ bu
gloſſi vel roſarum unc. ſex, & deterſo dentium
tartaro ope ſcalpelli lignei, admoveatur opia-
ta &

ta & intra qvindecim dies, ſi hæc ſæpe fiant, dentes firmabit, dealbabit & carnem gingivarum producet.

Ad ſuffocationem & cruciatus matricis.

OBSERVATIO LXVI.

ACc. rutæ, artemiſiæ, matricariæ, tanaceti, lavendulæ, mentæ & meliſſæ ana, ſiccen-:ur ad umbram & tandem craſſiuſculè conte-antur: ex illis autem ſic pulveratis ſacculi pa-entur, qvi umbilico & naribus mulierum ſuf-ocatione matricis laborantium admoveantur, liisqve partibus doloribus cœcis cruciatis. Ex isdem herbis cum oleo olivarum fit etiam ſola bullitione oleum optimum ad eadem, ſi eo empora, naſus, cor & ſtomachi regio inungan-ur, in pertinacibus etiam doloribus aliqvot jus guttæ deglutiendæ ſunt, miroſqve ad ute-i ſuffocationes, ejuſqve tormina, ac reliqvos lolores producet effectus.

Succini eſſentiæ guttæ 5. vel 6. epotæ, ut & ſi a inungatur umbilicus, mira in uteri ſuffoca-:onibus levandis facient, qvod ſæpe feliciſſime ıihi ſucceſſit. Hæc autem eſſentia facillime etortæ ope, educetur ex ſuccino albicantiore ulverato, & arenæ immixto, intra enim tres oras ignis gradibus ſucceſſive adhibitis, copio-: ſatis fluet in vas recipiens ſubjectum.

Ad

Ad cancrum, fiſtulas & ſcrophulas.

OBSERVATIO LXVII.

Mira duo remedia ad cancrum gratis accipe qvorum primum ſic ſe habet. Acc. arſenic. albi, non ſplendidi unciam unam, pulveretur & aqva vitæ per qvindecim dies irroretur, de die tertia in tertiam eam ſemper renovando, aqva autem vitæ arſenico ſupernatare debet, & unaqvaqve vice tanqvam inutilis projici. Poſtea acc. radicis ſerpentariæ majoris, menſe Julio vel Auguſto collectæ, & in taleolas ſectæ, & exſiccatæ ad umbram, uncias duas, & fuliginis ſplendentis dragmas tres, hæc miſce & in marmore læviga & ſerva: utilis autem tantum poſt annum elapſum erit, virtus enim ejus ſemper vetuſtate augetur; pulvis ille bombaci impoſitus admoveri debet, bombace prius ſaliva jejune madefacto, cancroq; exulcerato tantum, qvem totum eo tegere oportet, abſterſa prius ſanie, & nunqvam cadet bombax niſi fruſtulo cancri ſecum adempto, nec adimendus erit, licet dolorem pariat, ſed roſaceo oleo circumliniendus, non poteſt enim ſine dolore radicitus hærentem cancrum avellere.

Fit etiam è foliis chelidonii majoris & nicotianæ ana, contuſis, in oleum olivarum infuſis, & ad umbram ſervatis, donec corrumpi videantur, & cuticulam producant, remedium optimum

mum ad cancrum, ſcrophulas & fiſtulas, ſi colentur, & ad uſum ſerventur, ut inunctione admoveantur, vel cum ceræ parva qvantitate in cerati formam redigantur.

Ad fiſtulas optimum eſt etiam ſeqvens remedium, qvo fiſtulas pedum ſæpè curatas vidi, & oſſa ab iis educta. Fiſtulas primo ſarmentorum lixivio lava, & deinde utere ungvento ex ſacchari, olei olivarum, argenti vivi, & vini ana partibus æqvalibus conflato.

Vir qvi nunqvam ſputum, vel mucum emiſit, aliiqꝫ duo olfactu carentes, & alterius à potu mira abſtinentia.

OBSERVATIO LXVIII.

MEdicum Milhauenſem familiariter novi, qvi nunqvam ſputum neqve mucum ejecit, licet temperamento pituitoſo & obeſo eſſet, & tamen optima fruebatur ſanitate, qvod ego miratus ſum, & exiſtimavi, ſputum & mucum gutturis viam ob obſtructionem qvandam narium accepiſſe, qvare etiam ſiti raro torqvebatur, ob laryngis à pituitate irroratum, & ob eundem loqvelæ difficultate laborabat, radicis lingvæ nimia irroratione. Vidi præterea N. Pratum tincturarum confectorem, & alium, cujus nomen taceo, qvorum primus olfactum morbo amiſit, ultimus vero ſine olfactu ab ortu & per totum vitæ circulum remanſit. Simulat ta-

men ſe res odoratas olfacere, ſed faſſus eſt mihi, ſe nullum unqvam odorem nec ſvavem, nec fœtidum, imo neq; ſtercorum percepiſſe, qvod à cerebro frigido, vel meatuum olfactoriorum obſtructione provenire autumo.

Virum præterea novi, qvi octo dies ſine potu tranſigit, etiam æſtate, cumq; in via longinqva licet, & ſub caniculæ ardoribus exiſtit; nunqvam tamen bibit, ſed ſilices in ore parvulos tenet, qvi ei pro potu ſunt, motu enim eorum illam ſedare conſvevit, neceſſe eſt autem cerebrũ, fauces ejus pituitæ defluxu irrorare, ſilices autem illam motu ſuo & frigiditate allicere poſſunt.

Scintillæ in induſio.

OBSERVATIO LXIX.

RES profecto hæc valde memoranda eſt, qvam ſæpiſſimè oculis propriis videre mihi contigit, in ſubucula & induſiis egregiæ & nobilis Dominæ, dum Monſpelii Medicinæ operam navarem, cum enim munda ſumeret induſia in iis, qvæ exuebat ſcintillæ igneæ erumpentes, & in plures ſubdiviſione ſua abeuntes percipiebantur, eodem modo, qvo ignis carbonum ſcintillare, & in multiplices ſcintillas ſubdividi ſolet, unde autem hæc procedere potuerint? ego exiſtimo, vapores calidos per totam diem è corpore mulieris temperamento calidiori præditæ exhalatos, in ſubucula reſervatos fuiſſe,

fuiſſe,cumqve aer frigidus hyberno tempore eis occurrebat, ei tanqvam inimico & contrario reſiſtentes lucta hac accedebantur & vires ſumebant. adeo ut tandem motu hoc accenderentur, ſic enim in macrocoſmo meteora ignita fiunt, cum calidi vapores, frigori regionis mediæ aeris opponuntur.

Bartholinus lib. de Luce, Caſſandram Veronenſem memorat, ſcintillas & crepitantes diſcurrenteſqve emittentem. E Theodorico Rege fulgurationes exibant, cum artus fricabat. PETRUS FABER Med. Caſtrinovidarienſis idem vidit in puella dum pecteretur Hæc dici poſſunt Phœnomena, nec vel terra ac fulgetra & coruſcationes microcoſmi Relatum etiam fuit mihi, mulierem mihi notam flammas in morte evomuiſſe, ſed res non propalata fuit, id autem accidiſſe in vini ac aqvæ vitæ nimiis potatoribus leges apud Bartholinum de Luce. & Euſebium Nierembergenſem in hiſt. nat. peregrina.

Refert etiam, ignem ex oſculo & pudendo mulieris ejectum fuiſſe, ego vero certo ſcio, mutum eſſe apud Ruthenos, cujus veretrum, cum rigidum eſt, fumum manifeſtè emittit.

Ventrale mulieris ſcintillans vidit etiam Baco, ut refert in ſcriptis ſuis de naturali & univerſali Philoſophia.

Gangrena, vermeſqve curati, & ungves renati, item vermis hirſutus & Macrocephalos.

OBSERVATIO LXX.

D. De Tireſort ſenior Chirurgus Caſtrenſis mihi ſæpè narravit, ſe puerum vermium & dentium dolore magno detentum curaſſe, cui præterea currus rota phalanges digitorum omnes confregerat, adeo ut gangrena eadem die, qva ictum paſſus erat, apparuerit, hanc autem remediis ſolitis & vulgaribus curavit, tandemq; uſu balſami Chriſti è vino & oleo olivarum conflati, caro & ungves renati ſunt, tandem aqva theriacali propinatâ, multos vermes eduxit, ſed cum adhuc æger lypothimiis cruciaretur, frigidusqve & clauſis dentibus per qvatuor horarum ſpatium remanſiſſet, dentibus vi apertis, nempe admotione pollicis & minimi digiti ad oris latera, (ſic enim, modo comprimantur,) & nova aqva theriacali propinata, vermem hirſutum & inſtar erucæ evomuit: alios ejusmodi vermes è naribus exiviſſe mortis prænuntios narratum eſt mihi.

Anno etiam 1651. uxor Joh. Artheſii Sutoris Albigenſis vermem longiſſimum cum capite maximo ejecit.

Luxa

Luxatio coſtarum à phlegmone.
OBSERVATIO LXXI.

PRoximi mei puerum pectoris phlegmone laborantem curavi, ejus tamen coſtæ diu luxatæ remanſerunt, tanta eſt naturæ vis in nocentibus rebus expellendis. Tale qvid etiam obſervavit olim Fernelius, ait enim, ſe vidiſſe coſtas à cordis palpitatione luxatas, aliiq; adhuc diſruptas fuiſſe aſſerunt. Vidi & puellam empyemate detentam, in cujus latere opus ſtas cluxaverat; Medicus tamen illud non puris vomicæ, ſed pravæ cuidam & naturali conformationi, cujus vitium accuſabat, imputare auſus eſt, donec ab alio Medico aperta fuit vomica, & cum tanto ſucceſſu, ut ſanam adhuc puella vitam traducat.

Vermes in ſcabie & variolis.
OBSERVATIO LXXII.

NOtatu dignum eſt, tantam qvandoqve putredinem ſcabioſos contrahere, ut vermes in ſcabie generentur. Memini enim me vocatum fuiſſe ad ſcabiei doloroſæ capitis curam, ſub qva Chirurgus vermes obſervavit latitantes. Vidi etiam vermiculos in puerorum variolis, qvi cum adſunt magnam denotant humorum corruptionem, & non parvum mortis indicant periculum.

Stultitia ab ictu.

OBSERVATIO LXXIII.

NObilis qvidam vir, apud Montalbanenſes ab eqvo cadens, ictum in capite paſſus eſt, qvo ſubito & mutus & fatuus evaſit, animalis facultatis organis, nerviſq; ſeptimæ conjugationis, tum compreſſione, tum humorum ad partem dolentem effluvio obſtructis; inciſione tamen cruciali celebrata loqvelam qvidem recuperavit, ſed tamen per totam vitam fatuus remanſit. Res mira profecto eſt, qvod licet animæ æqvales ab ortu ſint, in qvibusdam tamen adeo debiles producant effectus, & qvod qvi artes calluerunt, deinde caſu & ictu ſolo infatuari, & in oblivionem rerum omnium, imo & literarum, ac proprii ſui nominis decidere potuerint. Ut magno olim Rhetori, ictum in occipiti paſſo, accidiſſe & pueri ſciunt, & è contra qvod qvi nullum adhuc ut pueri, teſtati ſunt ingenium, miros tamen deinde producant ejus effectus. Illud ſane non poteſt aliunde, niſi ab organis procedere, qvorum concinna vel prava diſpoſitione, anima ſuas melius vel pejus exercet functiones, qvod inſtrumentorum muſicorum exemplo comprobari poteſt, iis enim prave conformatis, non ſimilis ab iis ac è probe compoſitis, harmonia exurget.

Falſi

Falſi baſiliſci, dracones volantes & radices mandragoræ figuram humanam referentes.

OBSERVATIO LXXIV.

Multi in muſæis ſuis oſtendunt baſiliſcos, dracones alatos, mandragoras figuram humanam referentes, cornua monocerotum, &c qvæ multos ad horum realitatem aſſeverandam movit, licet certo ſciam, arte hæc omnia parari, ſi enim exiſterent, rariora reperirentur. Vidi enim ex mure excoriato & exſiccato baſiliſcum confectum, ex piſce vero raya exenterato, collo oblongato & corona inciſionibus facta fit draco volans coronatus, qvi ab aliis etiam baſiliſci nomine inſignitur. Multos ejusmodi vidi apud Italum qvendam, qvi iis ſibi victum qværebat, curioſi enim eos ab illo emebant; ipſe autem oſtendit mihi modum eos conficiendi. Falſitas præterea eorum numero magno & pedum carentia convincitur, qvod ad mandragoras, anthropomorphitas attinet, certum eſt, fieri ab agyrtis radice bryoniæ vel arundinis, cultro ad formam humanam accommodata, qvæ tandem avenis transfoſſa, ubi pili deſiderantur & defoſſa, radices ibi agit, & deniqve vernice qvodam coloratur; qvod ad unicornua attinet, utplurimum ſunt cornua piſcium qvorundam Groenlandiæ vel pacos Indici, igne vel aliis modis recta effecta, ſi curvata fuerint, vel foſſilia, qvalia in variis locis reperiuntur.

Sic ex Jonſtono circulatores falſos etiam conficiunt bufones, qvos vorare credunt adſtantes, cum pelles ſint tantum vino plenæ.

Ignis mirus.

OBSERVATIO LXXV.

LIcet in meo antiqvitatum Caſtrenſium libro hiſtoriam retulerim de igne admirando, tamen eam etiam hic, (cum liber Gallicus fuerit & ad exteras nationes pervenire non potuerit,) inſeram. Fuit ruſticus prope urbem Caſtrenſem, loci Bracadelæ incolæ, cujus omnia lintea, fila cannabina, &c. licet humida forent in arcis repoſita vel ſuper baculis ad aerem, ſtatim ignē, concipiebant, qvod ab innumeris viſum eſt. Multi ad vim magicam referebant, ſed ego exiſtimo, illud à vaporibus bituminoſis, qvi ab aere accendebantur, proveniſſe, viſa enim ſunt ſtabula & putei alibi, è qvibus flammæ cum terra mota erumpebant, & in hac urbe, ex aqvæ ductu aperto flammæ proſilierunt.

De paracenteſi.

OBSERVATIO LXXVI.

ILluſtriſſimæ dominæ Caſtrenſis filiæ, hydrope detentæ, ejus Medici paracenteſim inſtituerunt, ſed tamen errore operantis, mors in proximo fuit, una enim nocte omnes aqvæ evacuatæ fuerunt, qvia eas cohibere non potuit, qvod tamen non fieri debet ex authorum o-

mnium monitis, ob inſignem ſpirituum deperditionem, qvæ in omnibus fit evacuationibus, curata tamen fuit qvaſi miraculo, ob juventutis robur. Aqvæ autem licet ſubtiles & facile omnia permeantes retineri potuiſſent, ſpongiæ fruſtulo, vel catapl. ex albuminibus ovorum, pilis leporinis & bolo, (qvod etiam in magnorum vaſorum hæmorrhagiis utiliſſimum eſt,) vel volſellis ligneis, ſi labia utraq; vulneris amplexa fuiſſent.

Vini potio in oculorum morbis.

OBSERVATIO LXXVII.

TRes nobiles viros novi antiqvis oculorum doloribus & ruboribus adeo cruciatos, ut nulla remedia intentata, cumq́; magnis expenſis relinqverent, ſed omnia ſine ullo fructu ſemper experti ſunt; tandem aqvæ potu abſtinentes, qvo Medicorum qvorundam conſilio utebantur, vini potu, imo meracioris curati qvaſi miraculosè fuerunt. Qvod profecto Hipocratis aphoriſmis congruum eſt, dixit enim aph. 31. ſect. 6.

Oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut Medicamentum purgans exhibitum ſolvit. & Aphor. 46. ſect. 7.

Oculorum dolores, exhibita meri potione, & copioſæ aqvæ calentis, balneo, venæ ſectione curato.

Venæ autem ſectio non utilis eſt iis, niſi ad
ſit plethora, ut obſervavit Galenus in commen
ſuis in aph. Hipocratis: niſi ergo plethora, ve
cacochimia adſint, (in hac enim ultima purga
tione utendum erit, (vini inſtituemus uſum
præcipue ſi venulæ oculorum craſſo & pituito
ſo humore repletæ fuerint, ut annotavit Holle
rius in eosdem aphor. ſi autem vini potio ſin
his cautionibus admoveretur, diſrumperentu
oculorum tunicæ, & viſus amitti poſſet, ut ma
gno olim viro, Petro Ramo, maximo Philoſo
pho Sennerti relatu, poſt Zvingerum accidiſſ
memoratur, Jacobi Salvii Medici præſcriptis.

Epileptici cranii apertio.

OBSERVATIO LXXVIII.

FAto functo epileptico qvodam, à Chirurg
mihi noto apertum fuit ejus cranium, Medi
cis illud ei præſcribentibus, qvo aperto inter ce
rebri ventriculos magnam materiæ adipis æmu
læ copiam reperit. Hæc autem materia ſine du
bio, vel ventriculos comprimebat, vel vaſa, ade
ut obſtruerentur, nec ſpiritus animales facil
ea permeare valerent.

Inſectum horrendum ab homine ejectum.

OBSERVATIO LXXIX.

VIrum novi, qvi cum phlegmate, magno co
natu, poſt ingentem ſtomachi dolorem
inſ

nſectum per os ejecit, pollicis craſſitiei, ejuſdem pollicis dimidiam longitudinem attingens, colore leucophæo, ſine cauda, parvo capite, & utrinq; pedes variæ magnitudinis & figuræ ut cancrorum habens. Aſſertum etiam mihi, Medicum erucam viridem è corpore ægri expuliſſe.

Eclipſis, & cometæ obſervatio.

OBSERVATIO LXXX.

NObilem virum cognovi, qvi ſemper dum eclipſim Sol patiebatur, ſe etiam pati aſſerabat, alii etiam multi ſe idem percepiſſe in eipſis mihi nuper affirmarunt, in notanda eclipſi Solari anni 1652. cujus rei cauſa manifeſta eſt, cum enim à Sole proveniat non ſolum lux, ſed etiam occultus vitæ cibus qvem explicavi in obſ. mea de carne noctu lucente, animalia, ſolaria præcipuè in eclipſi, illo cibo retento pati neceſſe eſt.

Anno 1654. 12. Auguſti menſis die obſervavi Eclipſim etiam ſolarem capitis dolorem omnibus ferè intuliſſe & ægris adeo nocuiſſe, ut multi obierint & inter alios Hoſtenius Princeps.

Cum de Eclipſi agatur, dicam in gratiam curioſorum optimè per helioſcopia cerni, ſi per tubum Galilæi immobilem trajiciatur, in qvo vitrum coloratum addideris, vel chartam cum foramine aciculæ, vel ejus reflexione in vola manus, charta, &c. ſic enim videbis ſolem qvaſi

cœlo

cœlo deductum in terras, ut de luna à ſagis fie
ferunt Poetæ, videtur etiam per ſpeculi reflex
onem, aut in vaſe aqva pleno.

Idem anno 1656. in Eclipſi Solari etiam o
ſervavi die 26. Januar. hora meridiana Luteti

Anno 1652. & Decemb. die 11. apparuit co
meta parvus albus, qvibuſdam radiis ornatu
qvi primo inter leporis pedes, poſtea in ſiniſtr
pede Orionis, deinde in balteo ejuſdem, & tar
dem ad hyadas, pleiadasq; intra 14. dierum ſpa
tium occidens pervenit. Curſum à ſudeſt ad no
doueſt præter curſus ſolitos dirigens, qvia ib
vapores, qvibus nutriebatur, copioſe reperieba
omnes enim cometæ ob id verſus ſeptentrioner
vergunt; qvia ibi copioſiores vapores ob Sol
radiorum obliqvitatem cumulantur. Curſu
habuit velocem, qvia non ſublimis fuit, (ſpher
enim, in qva exiſtunt, motu rapiuntur,) & qvi
magnam oſtendebat parallaxim: cauſa eju
fuit ſiccitas magna autumnalis præcedens, qv
ei materiam præbuit effectus ejus parvi, vel nul
li me judice erunt, cometis enim vires nulla
tribuo, ſed tantum cauſæ, qvæ eos produxit, ut
pote ſiccitati nimiæ, qvæ humana corpora, alia
qve exſiccando & inflammando humores eo
rum accendere, & ſangvinem eorundem in bi
lem convertere ſolent. Multa hic de cometis cu
rioſa referre poſſem, ſed nunc brevitatis ſtudio
ſus, ea ſilentio præterire decrevi, ad plenam d
iis in Democriti mei Philoſophia acturus.

Ho

Hoc unicum nunc addam, nimirum, conjunctiones Saturni, Martis, & Mercurii, vel malignos eorum aſpectus circa eclipſes, præſertim Solares, easq; magnas. cometas ex Aſtrologis, relatu Origani portendere; qvæ hoc anno extitere: adfuit enim eclipſis magna Solaris, & conjunctio Martis cum Mercurio & Sole, qvadratusq́ Saturni cum Sole aſpectus.

Cometulam vidi infima aeris regione, qvi Lunæ magnitudinem attingere videbatur, globus ejus cœruleus erat, & ab illo cauda ſatis longa angulum acutum effingens prodibat, è cujus ſummitate multæ manabant ſcintillæ: motus ejus velox fuit. qvod teſtatur, cometas inferiores velociores habere motus, duratio vero ejus parva fuit.

Dentes in ſenectute nati & in palato, item viſus, & aliorum ſenſuum in ſenibus recuperatio.

OBSERVATIO LXXXI.

VEtulam vidi, cui cum ingenti dolore dens molaris natus eſt, qvod teſtatur, omni tempore dentes naſci poſſe, neq; adeo facile in adultis, ob gingivarum duritiem naſci ac in pueris: aliam etiam vidi, in cujus palati medio dens natus erat.

Cum de ſenibus ſermo nobis nunc ſit, obſervavi, multos ſenſus amiſſos rurſus recuperaſſe, qvod ſic fieri exiſtimo; qvemadmodum in lumi-

luminibus deficientibus fiunt qvidam natu
inſultus, qvibus lumen magis ſolito clareſcit,
etiam in corpore humano calidi innati pab
lum, ſeu humidum radicale deficiens, conat
ſimiles facit, qvibus ad tempus, qvaſi renov
tione qvadam ſenes ſenſuum deperditorum
uſum denuo acqvirunt. Multos enim vidi ſen
qvi auditum, viſum & ambulandi poteſtate
à longo tempore cum amiſiſſent, in decrepit
tamen ſenectute, hiſce omnibus qvaſi juve
ſcentes fruebantur, adeo ut nec conſpicillis, n
baculo egerent.

Dyſenteria, & cachexia rhei uſu curatæ.

OBSERVATIO LXXXII.

NObilem puerum vidi qvi à qvarto ad ſextu
annum cachecticus remanſit, & dyſente
fere perpetua cruciatus, eaq; violenta fuit, ad
ut rurſus ad lactis uſum deveniendum ipſi fu
rit, hic tamen freqventi rhei uſu, tum in ſu
ſtantia, tum ptiſanis ex eo compoſitis, me pr
ſcribente optime curatus fuit.

Monſtra & hermaphroditi.

OBSERVATIO LXXXIII.

ANno 1642. natum eſt monſtrum in pag
de la Sarette in vicecomitatu *de Panat*, qv
duabus tantum horis vixit, in cujus pectore
fi

uit caput aliud præternaturale probe efforma-
um.

Anno immediate vero præcedenti in pago *la Maionove* canis triceps natus eſt, adeo ut thnicorum Cerberum referre optimè potuiſſet. lium vidi canem cum ſex tibiis natum. Qvod d hermaphroditos attinet, in Xenodochio Catrenſi viſus eſt adoleſcens, vulvam ſub penê nperfecto probè conformatam habens; viſa tiam ibidem puella duas vulvas habens unam teri ſubjectam. Obſervavi etiam cochleas tereſtres utroqve ſexu pollere, ſi enim in coitu reeriantur & ſeparentur, optime utrumq, eorum exum percipies.

Oris ſpaſmus.

OBSERVATIO LXXXIV.

D. Cragium Scotum, Edimburgenſem, Juris Profeſſorem Patavinum & tandem Middeurgenſem novi, qvi ex nimio Cambreti potu oris ſpaſmum incidit, qvo abſtinens, poſtea uratus fuit. Cambretum autem eſt qvidam cotorum potus.

Dentes draconum adverſus venena.

OBSERVATIO LXXXV.

N antiqvis ſpeluncis reperiuntur lapides dentiformes, dentes draconum vocati, qvi in qvam projecti bullas excitant, & adverſus vena

nena valere feruntur. Ejusmodi autem mul
reperiuntur in ſpelunca vocata *de Senevieres* a
pud Cadurcos, caſuqve reperti ſunt, qvonia
cum ſaxa, qvibus hærebant, in aqvam font
forte decidiſſent, illam medicatam adeo redd
derunt, ut bos ægrotans ea curatus fuerit; qvi
autem ſint hi dentes, nunc nobis videndum.
qvod ſint draconum, ut fertur, illud nego c
abundantiam, ſed exiſtimo, potius eſſe piſciu
qvorundam dentes, utpote Delphinorum, v
Cetorum, qvi diluvii tempore in his antris r
conditi remanſerant, maxillæ n. integræ qva
doq; dentibus ornatæ ibi reperiuntur: in oſſ
bus autem, cornibus & dentibus omnibus v
qvædam ineſt alexiteria, ut in dentibus El
phanti, Rhinoceroti & Cervorum cornibus, oſſ
busq; cordi cervi patet. qvæ qvotidie à Medic
præſcribuntur ad morbos venenatos, dentiu
autem & cornuum ex Ariſtotele eadem eſt ma
teria, cum animalia cornigera dentibus in ma
xilla ſuperiori careant, earum materiâ in co
nua transmutatâ. Reperiuntur & alii dentes lap
dei alibi, dentes humanos referentes imo qva
doq; giganteos, ad venena etiam aptos, qvi a
igne in gemmas cœruleas, Turcheſias novas di
ctas, mutantur.

Abceſſus mirus.

OBSERVATIO LXXXVI.

D. Tirefortius ſenior, eruditus Chirurgus Ca
ſtren

ſtrenſis, vocatus fuit ad curam tyronis cujusdã D. Puioli mercatoris etiam Caſtrenſis, qvi tumore & dolore magno femoris detinebatur: poſt multa remedia autem fruſtra admota, apertum fuit femur, ope cauteriorum, & ab illo pus copioſum primo exivit, & tandem fruſtula qvædam materiæ cujusdam obduratæ, qvæ & pilorum globos & ranulas, & piſa cum ſiliqvis retulerunt, hisqve emiſſis ſanatus æger, ulcusqve cicatrice obductum fuit. Hæc autem omnia naturaliter facta fuiſſe, & non magicè, ut alii crediderunt, exiſtimo.

Hæmorrhagia perpetua.

OBSERVATIO LXXXVII.

DOminus Claudius de Balde, à Bellacuria, verbi Dei miniſter, usqve ad annum trigeſimum hæmorrhagiis narium cruciatus, adeo debilitatus & emaciatus fuit, ut mors in propinqvo eſſet, qvotidie enim ſæpius ſangvinem effundere ſolitus erat, unde non parva ſpirituum fiebat deperditio, curatus tandem verò fuit, vino moderatè ſumpto, (abſtemius enim erat) ſicqve ad viridem ſenectutem devenit, hepar enim ejus nimio aqvæ potu, & ſangvinis effuſione, non parum refrigeratum fuerat.

N De

De magnete & ſuccino.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Veteres naturæ inqviſitores dixerunt, allii ſucco magnetem vim ſuam attractivam amittere, ſed expertus ſum rem hanc falſam eſſe: retulerunt etiam ſuccinum non attrahere ocimi folia, ſed omnia attrahere, expertus etiam ſum, imò ramenta omnium metallorum, vitri, terræ, &c. Qvæcunqve, qvod exiſtimo à ſuccino fieri, qvia fricatur, ut attrahat & calore frictione excitato aer ſuccinum ambiens dilatatur, deinde vero cum refrigeratur & conſtringitur, vicinum aerem vacui metu allicit, & cum eo rerum levium fragmentula, ut in cucurbitula videre eſt, qvæ eadem ratione carnem, &c. allicit. Hæc referre volui ne amplius falſa ejusmodi ut vera à doctis viris referantur, nec amplius mentes ſuas torqveant, ut cauſas eorum inveniant.

De ægrorum facie mutata.

OBSERVATIO LXXXIX.

Inter ſigna lethalia recenſetur, ægrorum facies adeo immutata ut proximorum, parentum, vel majorum faciem ſubito referat, licet eam antea non retulerit, qvod ſemel videre mihi contigit in puella, qvæ matris faciem accepit, & paulo poſt mortua eſt: unde autem illud proveniat accipe. Certum eſt, rem minimam mutatam, faciem immutare poſſe, ut in picturis videre

dere eſt, in qvibus minima linea hominum vultus mutat, ſic etiam in vivis hominum corporibus accidit, licet enim aliqvid vultus parentum retineant tamen hæc vel bono habitu, vel pravo, ſuperficiei faciei auctione vel imminutione mutatur, adeo ut parentum [illegible]æſentatio in iis vitietur, ſed cum morbo habitus eorum nativus mutetur, ſubito naturalem formam, ad qvam nati erant, qvandoq; recuperant, & ſic tunc parentes referre poſſunt: ſed hæc ſubita immutatio nil boni auguratur, cum ſubitam naturæ conſternationem & morbi victoriam teſtetur.

De hominum naturali proprietate.

OBSERVATIO XC.

NIhil eſt in rerum natura proprietatibus deſtitutum, nam excrementa etiam animalium omnium nobis prodeſſe poſſunt, ex iis enim remedia ad omnes morbos olim deſumebat Xenocrates Medicus. Cum autem hæc ita ſint, ſatis mirari non poſſum, qvod nemo animalia integra & viva, homines præcipuè, proprietates varias Medicas poſſidere adhuc perceperit: ſunt tamen homines, qvi naturali qvâdam virtute qvosdam morbos præſentia & tactu ſuo curare poſſunt, effluvia qvædam è corporibus ſuis emittentes, (poſſunt enim cujusdam plantæ vel mineralis vires ab ortu poſſidere) & è contra alii, qvi

venenatis ſuis qvalitatibus teneros pueros, agnos, pullosqve recens natos, &c. interficiebant, noviqve virum hoc veneno, ſe invito, præditum, adeo ut ipſe anteqvam domos ingrederetur, mulieres moneret, ut pueros & animalcula removerent. Sic Veſpaſianus ophthalmiæ medebatur, & Pyrrhi digitus lienoſis proderat, ſicqve Aurelianus & Hadrianus multos Hydrope detentos & cæcitate, ex Dione, Vopiſco & Ælio Spartiano, curarunt.

Itaq; non dubito, qvin unusqvisqve, vires ſuas poſſideat, (aliàs minor fuiſſet hominis, qvam reliqvarum rerum benedictio,) indeq; fieri Medicos qvosdam, doctos licet, Medicinam infeliciter facere, cum in ſe vires naturæ inimicas gerant. Hæc omnia propoſui, ut fidem facilius adhibeat lector hiſtoriæ, qvam ſum jam narraturus. D. de Gout, Scriba Judicis conventionum Nemauſenſis innumeros curavit, & adhuc curat febricitantes, ſola brachiorum frictione, hancqve ipſum habere percepit proprietatem, dum omnes curarentur, qvibus pericarpia admoveret, & tandem pericarpiis non admotis, eodem pacto eos etiam curari animadvertiſſet.

Gangrena à pericarpio, aliaqve mirè in femore curata.

OBSERVATIO XCI.

QVoniam febre detenti potius ad agyrtas qvam

qvam ad Medicos accurrunt, ut ſibi pericarpia admoveantur, hanc nolui tacere hiſtoriam, ut deinceps adeo temere lectores hiſce non utantur. Senator qvidam amicus meus, cum febre detineretur, ſibi pericarpium applicari permiſit, è ſinapi, pipere, aceto, fuligine, &c. conflato. Qvo in brachio inflammatio producta eſt, cui gangrena ſucceſſit, qvæ non ſine magno vitæ periculo curata fuit, oleo qvodam miro, qvod ex mercurio conflatum fuiſſe exiſtimo, cum hanc nuper audiverim habuiſſe proprietatem in Domina Maria de Fontaines, Domini de Faucheres civis Caſtrinovidarienſis uxore à D. Davide de Puechmeia Medico Podiolaurenſi Galenico Chymico curata, cum ab omnibus reliqvis derelicta fuiſſet Medicis, digitorum & pedis amputatione fruſtra celebrata, fæmorisq; inſuper extirpatione præſcripta: illud autem oleum, ſubito carnem ſanam à mortua ſeparat, verumqve eſt illius morbi ſpecificumqve remedium.

Frictio ſcabiei cum aqva ſublimata.

OBSERVATIO XCII.

CUm multi temerè adverſus ſcabiem variis remediis venenatis utantur, hanc eis proponere volui hiſtoriam, ut ſaluti ſuæ in poſterum conſulant. Amicus qvidam meus, cum nimio ſcabiei pruritu urgeretur, cujusdam conſilio, infuſione ſublimati corpus lavit; at intra

paucas horas veſicæ per totum corpus excitatæ fuerunt, & paulo poſt lipothimiis & ſyncopis laceſſitus adeo fuit, ut mors proxima fuerit, ſed theriacâ aſſumpta, corporeqve confectione alkermes & aliis cardiacis fricato, curatus fuit. Alibi autem remedium facile ad ſcabiem edocui.

Soles duo viſi, eorumqve ratio.

OBSERVATIO XCIII.

RElatum mihi ſæpe fuit à veraciſſimo qvodam amico meo, ſe dum ſummo mane iter faceret, Solem valde pallidum in oriente percepiſſe, dumqve hæc cum admiratione contemplaretur, ſubito Solem illum cadentem aliumqve novum, cum ſolita majeſtate orientem vidiſſe. Ego autem exiſtimo, verum ſolem cum prope ortum ſuum fuiſſet, ſpeciem ſuam in nubem proximam aqva gravidam vibraſſe, & in eam debilem ſui figuram depinxiſſe; poſtea vero ſole ipſo ad nubem accedente falſum ſolem evanuiſſe.

De aſtrologiæ certitudine.

OBSERVATIO XCIV.

DUbitant multi de veritate aſtrologicarum prædictionum, dubitabam ipſe etiam olim, ob

ob Pici Mirandulani adverſus hanc artem argumenta, ſed poſtqvam mira multa hac arte variis prædicta fuiſſe viderim, imo ipſi Pico, cui aſtrologi vitam 33. annorum, pro reſponſis ad argumenta ſua, ore Lucii Bellantii Sienenſis prædixerunt, cumqve ipſe me hac arte varia eventu comprobata prædixerim, artem veram credidi, ſed falſos operatores. Si enim errata in horologiis, calculove aſtrologorum, vel Ephemeridiarum non ineſſent veraqve axiomata omnia aſtrologiæ judiciariæ poſſideremus, mira multa qvotidie vaticinaremur. At hic referre non poſſum qvæ prædixerim, cum in ſcrinio cordis me hæc ſervaturum eſſe promiſerim, res tamen hæc pro certa haberi debet, me in figuris genethliacis non pauca maximi momenti ſæpe ante eventum dixiſſe, & eventuum tempus coarctaſſe.

Notanda eſt etiam hiſtoria. qvæ Caſtris accidit: gemellæ natæ ſunt qvæ non ſolum omnino ſimiles fuerunt, ſed etiam eadem die conjugio junctæ, viriſqve eandem artem profitentibus, qvod ab aſtrorum influxu ſimili proveniſſe, non vero abſimile eſt. Sic legimus apud Valerium Maximum, Poliſtratem & Hypoclidem, eodem die natos, eundem præceptorem, nempe Epicurum habuiſſe. idem patrimonium poſſediſſe, ſenectutem attigiſſe, & eodem obiiſſe momento.

Ad epilepſiam remedia, item qvæ curari poſſit, deqve ejus ortu à digitis.

Observatio XCV.

PRo certo habeo ab amico, qvendam Epilepticum, valdeqve hoc morbo cruciatum, innumeris fruſtra adhibitis remediis, eſu jecoris Lupini perfecte non ſolum curatum fuiſſe, ſed & alios multos ſimiliter curaſſe, fungus qvercinus idem præſtare dicitur. Alia Epilepſia eſt, qvæ pollicis inuſtione à cauterio actuali curatur; à pollicibus autem pedum & manuum incipit, inq; iis qvaſi ebullitionem qvandam producit, qvâ factâ, aura venenata ad caput aſcendens Meninges feriens, tandem ægros proſternit. Ait autem Hipocrates, ejusmodi epilepſias curari poſſe 98. prædict. lib. 2. de morbo ſacro ſermonem faciens his verbis: Hæc autem inter ſe differunt, ex his namq; moleſtiſſimi ſunt, qvi à capite originem trahunt, deinde ex latere, qvi vero à manibus ac pedibus, præcipue ſanitatem recuperant.

Lues venerea absqve ſudore, vel ptyaliſmo curata.

Observatio XCVI.

LUe venerea affecti tantis cruciatibus olim vexabantur, ut morbus vere remedio præſtaret, nunc vero facilè ſeqventi remedio curari poſſunt absq; ſudoribus, absq; ptyaliſimo, abs-

qve

qve inunctionibus, licetqve nec cubili, nec cubiculo immorentur. Modus autem ejuſmodi eſt: Rcc. antimoni & zarzaparillæ ana uncias 6. antimonium nodulo incluſum in ſex aqvæ amphoris, in qvibus ſit zarzaparilla cum 40. nucum putaminibus & hylis, ſuſpenſum coq; ad tertias, ejusq; decocto utatur æger, capiendo ter in die, nempe mane, meridie, & veſperi hauſtum eius ſumendo, longe à cibis. Antimonium autem qvater utile eſſe poterit.

Oculi à febre & peſte eruti, item de oculorum, venarum cauteriis.

OBSERVATIO XCVII.

TAnta eſt aliqvando febris violentia, ut cranium & coſtas ab ea fractas mihi relatum fuerit, qvod etiam apud authores lege. Sic tanta fuit in muliere qvadam febris vehementia, ut mihi aſſertum fuerit à Medico, oculos ex orbita ejus eruiſſe idemq; alteri peſtis veneno accidiſſe certum eſt.

Tandem notandum eſt, qvendam Medicum ophthalmicum magnas ſibi divitias Lutetiæ comparaſſe, cauteria actualia venis oculorum debilium & rubrorum admovendo, qvod ſæpe ei feliciter ſucceſſit, proq; novo habetur remedio, ſed non tacendum eſſe exiſtimo, me remedium illud antiqviſſimum eſſe percepiſſe; in libro enim Hipocratis de viſu, deſcribitur, qvod teſtatur, pauca eſſe, qvæ vir ille magnus non a-

gnoverit, ſed meliora negligentiâ qvadam con-temnuntur, ideo laude dignum exiſtimo Medi-cum, qvi illud renovavit remedium.

Circa idem adhuc monitos lectores cupio Cornarium Hipocratis translatorem, in ho libro de viſu, 12, circiter lineas neceſſarias, infe-liciter omiſiſſe, qvæ in græco textu reperiun-tur.

Abortus mirus.
OBSERVATIO XCVIII.

MUlier qvædam cum ſæpe Camphoræ pyxidi inſediſſet, abortum paſſa eſt; Camphora enim vim miram habet, ad matricis qvaſi vomi-tum: (ſi ita loqvi liceat) excitandum, ſic multa ſunt, qvæ extrinſecus admota miras operationes producunt, ut crocus, qvieqvis, ejus copia me-rentibus, mictum ſangvinis inducit; & cantha-rides, qvæ in hominibus eundem, ſola admotio-ne, ſæpe produxerunt effectum.

Nimius fletus & mæror curati.
OBSERVATIO XCIX.

NObiiis qvædam mulier mihi nota, tantâ me-lancholiâ, mœroreqve adeo acerbo contur-bata fuerat, ut perpetuo flendi deſiderio tenere-tur, hiſce tamen curata facillime fuit, nimirum geſtatione croci ſupra cor.

Ephe-

Ephemera febris trium annorum periodum habens.

OBSERVATIO C.

MIrum qvidem eſt, febres juxta humores à qvibus ortum ducunt, varias habere periodos, qvartana enim duos relinqvit dies, tertiana unum, qvotidiana nullum, ſed majori admiratione dignum eſt, cum qvatuor tantum ſint humores, reperiri febres qvintanas, ſextanas, & qvæ ſeptima, imo qvindecima die recurrant, qvod ſæpe me legiſſe memoror. Sed in admirationem majorem rapior, dum nobilis amici cujuſdam mei, Caſtrenſisq; cauſidici melioris notæ, febrem perpendo, is enim Ephemera febri, ſingulis trienniis eodem tempore detineri ſolebat. Qvod ego fieri exiſtimo à certa corporis temperie, qvæ ita ſe habet, ut humorem intra unum, duos, tres, 4. 6. 25. imo intra triennium cumulet; qvo cumulato, natura gravata ad eum expellendum inſurgens, febrem excitat.

Peroratio ad Lectorem.

HAnc centuriam melius claudi non poſſe exiſtimo, qvam hiſce maximi Zacuti verbis, Multa ardua & mirabilia rimati ſumus, non ambigo, plurimos eſſe, qvi poſtqvam legerint, Timoniano dente inceſſant, vel odio Vatiniano proſeqvantur, invidi alienæ famæ detractores, qvorum virulento morſu convulnerata ple-

plerumq; exareſcunt omnia at ſi crabrones,ſca rabeos, aſilosq́ hæ producant hiſtoriæ, ſper eos unguentorum, qvæ in iis continentur, odo re facile perituros:
Deo, optimo, maximo & trismegiſto, ſit lau honor & gloria in æternum Amen.

APPENDIX,
Ad Secundam OBSERVATIONUM CENTURIAM.

Ad Obſervationẽ 38. Idem Lutetiæ accidit, a 1655. & in nuntiis ludicris publicis conſc ptum fuit & typis mandatum carmine Gallic

PETRI BORELLI MEDICI REGII, CASTRENSIS HISTORIARUM, ET OBSERVATIONUM RARIORU Medicophyſicarum, Centuria III.

OBSERVATIO I.

Oculorum radii vitra perforantes. Ite oculorum ſtrabismus & motus inſolitus.

MULIERES qvaſdam eſſe legimus, qv rum viſus recens natis animalibus n xam infert, ut & ſerpentes, qvorum

ſi

ſpectus lethalis eſt. Aſſeritur etiam, qvod ſi lupus prior hominem viderit, raucum illum efficiet, aliaq; non pauca de oculorum efficacibus radiis paſſim occurrunt, ut de morbis oculorum & ictero, qvi aſpectu communicantur. Hæc autem eſſe poſſe, ſeqvens obſervatio (admiranda omninò) ſatis ſuperqve comprobat, qvâ etiam probari poteſt, viſionem partim emiſſione fieri. D. LE FAUCHEUR, vir inſignis pietatis & probitatis, & Eccleſiæ Carentonienſis Paſtor, ſanctioris ærarii Tribunum ſæpiſſimè vidit Lutetiæ, cujus oculorum acies tanta eſt, ut conſpicilla ſua paulatim perforet, adeo ut ea ſæpè mutare & renovare cogatur: idemq; audivi à ſene mihi cognito, & non dubito, idem multis contingere, ſi obſervaretur: at ſi vitrum, qvod adeò difficile ſolvitur, radiis oculorum perforetur, cur non in pueros agnosq; tenellos agent. Hæc tamen præcipuè in mulieribus obſervata fuere, unde pleræq, pro ſagis habitæ ſunt, qvoniam ſic multis noxas inferebant, cum tamen id naturaliter fieret, & à corruptione menſtruorum, qvæ etiam ſpecula fœdant, & arboribus plantisq; reliqvis & vino acetoq; nocere qveant.

Obſervavi præterea circa oculorum morbos, ſtrabiſmum per totas & ſingulas prægnationes durantem, idemq; vidit vir ſuprà memoratus in ſenatoris ſubſidiorum Lutetiani uxore, qvæ ut in tertiana febri unicam diem tantum liberam habebat, morbus autem illè inſolitus Cauſtico

ſeu

ſeu cauterio potentiali occipiti admotò curatu
fuit.

Recurrentes etiam motus convulſivos anim
adverti in D. Soultz Caſtrenſi, & in domina d
DRUILLET, ſæpe in die autem intermittebant
ſed in Domino BONELLO inſigni Mathema
tico Monſpelienſi, motum involuntarium mu
ſculi verſus tempora obſervavi per plures an
nos, qvod ab humore qvodam moleſtè muſcu
lis oculorum incumbente oriri exiſtimo, qvi fo
tu qvodam calido, vel aqva vitæ, per inſenſibi
lem tranſpirationem diſſipari debet.

De pulverum uſu ad capillos exſiccandos, ut & de eorum denigratione.

OBSERVATIO II.

Hic in gratiam nobilium dominarum, qvibu
canities importuna eſt, arcana qvædam no
negligenda ad denigrandos capillos referam
primum mihi à D. Vignavero eximio & Doctiſ
ſimo Pharmacopæo Regio, qvi illud expertu
eſt, communicatum. Sic autem ſe habet. Not
etiam me illud experientia comprobaſſe. Acc
cinerum clavellatorum uncias duas, bullian
ebullitione una tantum cum libris qvatuor a
qvæ puræ in vaſe æneo, poſtea & ab igne remo
ve & in hac decoctione extingve calcis vivæ un
cias qvatuor, calce extincta adde plumbi uſti &
Lithargiri aurei ana unciam unam, bulliant ad
huc omnia ſimul duas aut tres ebullitiones &
ſerva

rva uſui, unica autem vice non denigrabit: ſe-
venti etiam uti poteris, mihi etiam pro optimo
ommunicato & pro ſæpiſſimè experto.

Acc. Lithargiri argenti & luti molarum in-
ibus acuuntur cultri ana, ut & calcis vivæ,
iſce & pulvera, deinde cum cineribus ſarmen-
rum miſce & ex hac paſta capillos fricabis &
: iis involutis dormies & pectine deinde mun-
bis & ſæpe repetendo tingentur. Vel aqva
allarum illos frica & deinde pulvere vitrioli
ademq; olei olivarum momento eos manu
rfricando illis nitorem conciliabis.

Notandum etiam eſt, non parum noxam iis
pendere, qvi nimis pulveribus capillos or-
nt, ut vidi in qvodam amico meo, in cujus
pite poſt mortem qvaſi tegumentum teſtu-
ieum, ex pulveribus qvibus freqventius ute-
ur, qvam neceſſe erat, conflatum repertum
, creditum autem & non abs re, hæc mortem
s acceleraſſe, capitis impedita tranſpiratio-
qvare melius eſt, radere capillos & falſis uti
illitiis.

Monſtra qvædam rara utpote cyclops, &c.

OBSERVATIO III.

Carthuſia Vallis Claræ (*Vauciair*) in Oc-
tania ſuperiori, pullus Eqvinus monoculus
abio inferiori oblongo natus eſt, ut mihi

à R. Don Chatardo Docto & curioſo Carthu
ſienſi Caſtrenſi oculato teſte mihi commun
catum eſt.

Vidi præterea nuperrimè apud D. Tampon
tum peritiſſimum Chirurgum Pariſienſem, an
tomicumq; clariſſimum, puellam cyclopem
monſtrum profecto admirandum, & pro qvo
25. Dupliones obtuli fruſtra. At notandũ, qvo
natura benigna de more ſuo monſtris multipl
cationem denegans, ne bis erraſſe videretur, u
in multis & aliis animalibus hybridibus vide
eſt, noſtro etiam Cyclopi non conceſſit, oſſa
nim pubis ejus ita conformavit, ut licet conc
piſſet, nunqvam parturire valuiſſet.

Apud eundem viſitur puer, qvi cerebro c
ruit & collo, vultumq; qvaſi in pectore habet,
de blemmis vel bleptis Plinius & Stephanus r
tulerunt adverſus veritatem, cum à ſolertiſſin
D. Guil. Borelli meritiſſime Belgii uniti leg
fratre, qvi orbem curioſè peragrarat, obſerv
tum fuerit, eſſe viros tantum, qvi capita intr
humeros, qvos attollunt, recondere ſoleant,
cum magno delectentur capillitio, caput cu
pectore confundi videtur & acephali apparer

Vidi etiam ſuem, bicorporeum cum unico c
pite, & nuperrimè apud D. Rouſſeau Chiru
gum Pariſ. Vitulum, cui caput unicum, corpo
duo, cauda tamen una erat imperfecta, & du
bus pedibus poſterioribus carebat, ſex enim
rant tantum in duobus vitulis per femora co
junct

junctis, caudam unam etiam habuit perfectam aliam vero imperfectam, ſpinas dorſi ſinuoſas, qvæ inſtar Y coniungebantur. duplices omnes partes vitales habuit ut ante diſſectionem prædixeram, ſed renem & inteſtinum rectum unica habuit, reliqva omnia duplicia habuit, excepto jecore, cujus tamen moles ſolito major extitit duplexq; fellea Kyſtis.

Hæc autem à nimia ſeminis copia orta eſſe veriſimile eſt, natura enim ſemen inutile relinqvere non cupiens alia molitur juxta ejus qvantitatem, & cum deficit ei, opus etiam imperfectum relinqvit, ſed mirum eſt, qvod non adeo à ſcopo aberrat, ut oculum in manu vel pede, vel in dorſo ponat, nec ſic partes omnino è contrario transferat.

Alium adhuc nuperrimè venalem vitulum vidi, cui duo capita à latere conjungebantur.

Inſecta baleniformia in ſangvine humano.

OBSERVATIO IV.

RES huc usq; inaudita & certè ſtupenda eſt, naturæqve luſus vel providentiæ ejusdem admirandum argumentum. Ceti, ſeu balenimorpha animalia in ſangvine humano tanqvam in rubro Oceano natant & qvemadmodum muſcilionibus elephantorum proboſcides Deus conceſſit, ſic iſtis Syphones retro capita ad ſangvinem eructandum tanqvam balenis

non denegavit, cucurbitæ ſemen vel myrti fo-
lium æmulantur, venis etiam ſcatent, ita diſpo-
ſitis, ut nervos foliorum referant.

Exiſtimandum eſt, hæc inſecta(pedibus enim
carent, ad uſum coporis animalium perfecto-
rum creata fuiſſe, utpote ad pravum ſangvinem
hauriendum vel &c,

Si illa cernere cupias, accipe jecora vervecī-
na vel bovina, ſeca illa fruſtulatim & in aqvam
projice, ea manibus mulgendo & attractando
& videbis, multa talia animalia ab illis manare
qvæ motu non deſtituta erunt, ſi jecora recen-
tia fuerint, manent autem in magnis venarum
truncis, & credo eſſe Vermes illos cucurbitinos
in ſtomacho qvandoq; repertos, qvi ſedes qvan-
doqve mutant. Amicus qvidam mihi aſſeruit, in
omnibus animalibus reperiri, & ſe in hominibus
porcis, &c. eos vidiſſe. Nota qvod non facilè ani-
madvertuntur, qvoniam ſtatim atqve à ſangvi-
ne ſeparantur flacceſcunt, adeo ut membra-
nam tantum referant, inſtar ſangviſugarum ad-
hærent carni. Ruſticis innoteſcunt, & eos (dal-
beres) vocant à nomine cujusdam herbæ ejus-
dem nominis & figuræ, à cujus eſu provenire
animalia hæc ſomniarunt.

Multi alii obſervarunt alios vermes in ſangvi-
ne deliteſcentes, & non ſemel venâ ſectâ ſan-
gvinis exitus impeditus à verme fuit, Mouffetus
enim animalia lumbriciformia oriri in ſangui-
ne ex Plinio retulit, & Joh. JANIN DE LA
MAN

ANSE, apud D. RAMBOVILLET Lutetiæ
anens vermem ejusmodi poſt venæ ſectionẽ à
lnere prorumpere vidit, ut mihi ore proprio
tulit, idemq; ab aliis mihi confirmatum eſt.

e Caſſiæ uſu in febribus popularibus.

OBSERVATIO V.

Raſſante apud Caſtrenſes populari & pe-
ſtilenti febri, obſervavi ægros non parum
iſſiæ potionibus & ptiſanis, ut & tamarindo-
m levari, putredini enim reſiſtunt, bilem eva-
ant & ardorem temperant, idqve ex aliorum
edicorum mecum conſultantium ſententia,
mpe, Eleazari de Campdomerc & Lacauxii.
Cadaleno ea febri graviter detentõ, feliciſſi-
ſucceſſit aliisqve non paucis.

Vis febrium curatrix amiſſa.

OBSERVATIO VI.

Franc. Henricus Patritius Lugdunenſis in-
numeros curavit febricitantes. Trium po-
rum medietatibus qvibusdam vocabulis in-
ptis, qvas deglutiendas dabat, in prima ſcri-
at, *Chriſtus pro vobis natus eſt*; in ſecunda,
tuus eſt, in tertia, *reſurrectus eſt*. Sed tandem
c vis in eo extincta eſt, nec febres amplius
are poteſt. Qvidam id ad pactum implicitum
s, qvi eum id docuerat, revocare volunt, ego
o ad virtutẽ naturalem ejus, qvæ ætatis mu-

O 2 tatio-

ratione vel temperamenti mutata etiam & e
tincta eſt. Aliud exempli ſimile olim recenſ
& profectò, ſi magnete & aliis remediis per
ptis & topicis levamen accipiant ægri, ut & ab
qvæ à mineralium, vegetantium & animali
mortuorum familiis depromuntur, cur non
iam à vivis animalibus & ab ipſo homine ſibi
miliori.

Ab aciculæ punctura, gangrena.

OBSERVATIO VII.

BUrdigalæ Nobilis Matrona acicula ſeipſ
in indice digito læſit, unde ſecuta eſt gang
na, digitusq; amputatus fuit. Sic è minimis v
neribus magna viſuntur prodire ſymptor
ta, vel ratione partium, ut de qvodam pue
qvi ſic acicula diaphragma alterius pueri t
gerat, qvo obiit, vel ratione temperamenti, c
dam enim facilè gangrenas, &c. concipiunt,
ratione inſtrumenti, ſunt enim aciculæ & a
venenatæ, vel caſu, qvod rem venenatam tet
rint incautè, vel de induſtria, utpote ſic à ver
cis Italis paratæ ad cujusdam necem, ut de
rum acubus miſſibilibus per arculos aſſeritu
Hoc ſic ſine dubio in matrona noſtra conti
rat, aciculæ enim omnes mercatoris, à qvo
emerat, venenatæ repertæ ſunt & in ignem
jectæ. Hujus rei D. Fraiſſinetus Chirurgus
ſtrenſis teſtis eſt oculatus.

D

Dolor dentium horrendus.

OBSERVATIO VIII.

RUſticus qvidam loci dicti (LA BECHONIE) prope Caſtra Albigenſium, tanto dentium lore detentus fuit, ut poſt phrenitidem in ncopen etiam incideret, adeo ut pro mortuo pe habitus fuerit, nullo autem remedio levapotuit unqvam, præter tandem betonicâ naſo ditâ, qva curatus fuit & in priſtinum ſanitatis itum reſtitutus.

Anus perforatus.

OBSERVATIO IX.

AGnus absq; podice natus in villa Podii, ſancti Jacobi Carthuſianorum Caſtrenſum, ab nton. Deſplas. curatus fuit apertione, adeò vixerit. Duos etiam tales pueros vidi, qvoim unus etiam adhuc vivit. Membranis enim ntum, ſcalpello amovendis, teguntur, ut alibi tuli.

Variolæ recurrentes & in ætate provecta. Item Senectus rara.

OBSERVATIO X.

NUlla eſt regula, qvæ exceptione non careat, creditur enim eos, qvi ſemel variolis laborarint, non amplius eas contrahere poſſe, easqve ſe tributum ſemel ſolvendum in vita ob illuiem à matris utero contractam. Sed multos idi, qvi nunqvam iis laborarunt, aliosqve qvi duo

duo vel tria ejus grana habuere, vidi etiam q
bis & ter imo in ſenectute ea cruciati fuere, ſe
nil adeò circa hæc notandum occurrit ac muli
qvædam Bononienſis Galla, qvæ ſepties e
paſſa eſt & anno centeſimo & decimo octav
tandem eodem morbo periit.

De glacie,

OBSERVATIO XI.

USus glaciei nunc à multis laudatur in pot
ego verò illum non parum vitupero exp
rientiis edoctus, qvasdam enim puellas torm
nibus,colicis doloribus,imò & diſenteriis & o
ſtructionibus fato functas vidi,qvod delitii gr
tia glaciem deglutiſſent. Hæc tamen à qvibu
dam, imò à multis laudantur Medicis. Heu
qvanto dolore angor,dum video Naturæ min
ſtrumMedicum,hoſtem ejus eveniſſe, & rem
dii Authorem loco ſanitatis mortem inferre,ce
tum enim eſt,numerum ægrorum à medicis cu
ratorum non attingere,(in Gallia ſaltem) illu
eorum, qvos ad orcum pompoſa cum latinit
te deducunt, farragine herbarum & aromatu
qvæ ſine ulla ratione præſcribunt, qvæqve ip
pro ſe procul abigunt; alios fame necant,vict
nimis tenui qvandoq; præſcripto, unde debil
tato cerebro ſeqvuntur deliria; alios vero ferr
publicè jugulant, nimis freqventi venarum ſ
ctione,qva ſangvinem ad ultimam guttam cu
pecuniis exhauriunt, licet nobiliſſimum illu

natu

naturæ theſaurum ſedulò conſervare poſſent, cum levibus remediis calor ejusq́; nimia qvantitas minui poſſent. Sed peſtis hæc perpetua, ſemper jam regnum iſtud populabitur, jam adeò invaluit, ut arceant bona conſilia, & ſapientibus inſolenter dominentur, illi ſangvipetæ & ſangviſugæ, ſangvini ſemper inhiant, venæ ſectionem imperant, anteqvam ægrorum ſtatum viderint, imò pro craſtinis diebus, & ſi qvi ſint, qvi eorũ canibalinas effugiant, manus per longiſſimum tempus emaciati decumbunt, & vix tandem unqvam ſanitatem perfectam recuperant. Hæc qvandoq; cuidam utilia qvidem eſſe poſſunt, utpote viro cuidam ſangvineo, ut & in inflam̃atione qvadam urgenti, ſed iſti ad omnia idem præſcribunt, nec opus eſt eligant ulla conſultatione, dum qvis laborat morbo qvodam, poſſunt ægri marſupiis parcere, ſciunt enim omnes, qvis qvalisq; erit finis conſultationis ac exitus, anteqvam fiat, nimirum phlebotomiã inſtituendam eſſe. Qvid tot ergo verbis opus eſt, qvid etiam Medicis? Sufficiunt Chirurgi, ſi nulla alia ſit Medicina, qvam venæ ſectio, ſic & ſufficit Pharmacopæus vel Pharmacopola, ſi ſola ſenna ad purgandũ opus ſit. Hic eſt miſer celeberrimæ Academiæ Medicæ ſtatus, ad hoc redacta eſt nunc ars divina Medicinæ, & metuo, ne ad illud deveniat, ut juxta merita crimina, obq; perpetua homicidia in exilium, ſicut antiqvitus à Romanis, arceatur, ni Deus opt. max. rationem

homi-

hominibus reſtituat. Poſſem hic viri ſemper lu gendi mortē doloroſam toti Europæ imo mundo recenſere, nimio illo remedio ſangvineo, & verba ab ejus ore deprompta referre, qvibus ante obitum faſſus eſt, ſe nimio obſeqvio periiſſe & cum heroë ſuo ad inferos, cum viridi adhuc & ſtante ſenectute deſcendiſſe. Sed præ nimio dolore,nimis ab inſtituto ſenſim receſſi de glacie agens, non tamen adeò, ut videtur, cum mortis glaciem & frigus æternum corporibus expulſo nativo ejus calore cum ſangvine inducant, non enim tribus vel qvatuor contenti ſunt ſectionibus, 25.vel 30.imo qvandoq́ usqve ad 50.pro unico morbo celebrantur,viſiq́ ſunt ægri,qvibus tres una vice præſcriptæ fuerant phlebotomiæ cum prima obiiſſent; ſolaqve ad vitam eorum langvidam eripiendam ſufficere valuiſſet, nec parcunt ulli ſexui, nec temperamento, imo nec iis,qvi pulmonis detinentur affectibus,&qvibus ſangvis ipſe, ſi fieri poſſet infundendus, non evacuandus eſſet. Taceo, qvod Criſium adeo à Galeno decantatarum nullam rationem faciunt.Sed ad glaciem veniamus.Aqva congelata, ſi probè inſpiciatur, oſtendit qvasdam lineas, qvibus noctes ſuas earumqve numerum dicere poteris, ſic in alpium montibus glacies antiqvas cernes, in qvibus etiam dies & annos varios diſtingvere poteris. Sic lineis arborum, cornuum, cochlearum, imo & lapidum qvorundam incrementa patent.

De

De frigore notandum idem qvod de calore caniculari, qvod gelu non à majori frigore, qvam à diebus præcedentibus procedit, ſed à longiori ejuſdem frigoris impreſſione, ut calor culinarius æqvalis licet, carnem, qvam primo tantum calefaciebat, tandem aſſabit, hoc pacto fit caniculæ æſtus potius. qvam ab aſtro ullo.

De glacie etiam notandum, qvod plantarum figuras oſtendit, ſi earum ſale imprægnata aqva fuerit, præcipuè ſale calidarum herbarum. Notandum præterea, ex glacie conſpicilla fieri poſſe facillimè juxta figuras omnes, qvibus per aliqvot horas curioſi experiri poterunt, qvæ cupient & ſi benè ſuccedat vitro rem deinde experiuntur.

De erucaranea & vermibus ſerici.

OBSERVATIO XII.

MUlta nova natura dives è locupletiſſimo ſuo penu qvotidiè in lucem emittit, qvo ſuam eximiam mortalibus potentiam patefaciat. Sic nuper in natura inſectum vidi, cui Erucaraneæ nomen do, qvod eruca ſit parte anteriori, aranea vero poſteriori, nec ſericum vel filum inſtar aliarum facit, vel in papilionem mutetur, ſed filo tantum pendula remanet. Nec ſomnia ſunt, cum adhuc videri poſſit apud ſolertiſſimum papilionum ac erucarum naturæ rimatorem D. Morinum, Lutetiæ degentem. De hiſce animalibus, aliisq; rebus medium inter ſpecies

tenen-

tenentium curioſè egi in catena mea aurea, ſeu tractatu de rebus omnibus in omnibus. Sic piſcis à Alpuit dictus, qvi ranæ aliqvid habet, de qvo conſule Obſerv. 91. ad oculos. Eſt & in nova Hiſpania animal, tapayax dictum, qvod lacertus etiam orbicularis vocatur, & lacerto bufo, qvia ſemibufo eſt, vocari poteſt. Notandum præterea, ſerici vermes ſericum non ex ore, ut creditum fuit eructare, ſed tantum è mammulis, qvibus corpus eorum ornatum eſt. Vidi præterea virum illos vermes vivos deglutientem ſanitatis ergo.

Dentes ſapientiæ.

OBSERVATIO XIII.

NAſcuntur dentes hominibus non ſolum ætatis anno ſeptimo, ſed qvandoqve in ætate ſatis provecta. Sic D. Henrico anno vigeſimoprimo ortus eſt dens poſt nimium tabaci uſum, & alios vidi adhuc provectioris ætatis, imò ad ſenectam vergentes, qvibus idem contigit. Hi autem dentes, ſapientiæ dentes vocari ſolent, qvod in ætate, qva homines prudentiam qvandam habere debent, oriantur. Nec abeſt ab illis dolor ob gingivæ duritiem, qvare non mirum ſi pueris dolor magnus in dentitione accidat prima.

Magnes per manum transverſam vim ſuam communicans, & ſine tactu Phyſico ferri, vim ſuam per aeris medium ei tribuens.

OBSERVATIO XIV.

CErtiora dogmata ab hominibus, peſte & præoccupatione falſæ Magiſtrorum ſuorum doctrinæ imbutis repudiantur ac rejiciuntur, ut dum radios ſolares, odores, lucem, ideas rerum, emiſſiones corporum & alia, corporea eſſe non credunt, qvoniam corpuſcula eorum atoma cernere neqveunt. Contrarium tamen innumeris confirmare poſſem argumentis, ſed hoc in alium locum remittens, hoc unico contentus ero. Magnetem habuit amicus qvidam meus, qvi absq; contactu Phyſico ferro vires aliud ferrum trahendi dabat, adeò ut dum in manu eum teneret, cultri pollice fricandi tantum eſſent, ut vim atractivam ferri adipiſcerentur. Idqve verum eſſe in alio magnete, vidi apud D. La Novium Lutetiæ, qvi omnium rariſſimum mineralium muſæum cum ſedulitate inſigni congregavit. Trans enim aureum nummum & chartas craſſiores vim ſuam communicat, qvod fieri exiſtimo ab atomis magneticis circa magnetem volitantibus ad certam ſpheram, & ſic ferro occurrentes vim ſuam ei tribuunt, eadem enim qva magnes totus, virtute præditæ ſunt. Sic agunt periapta, pericarpia, & alia præſtant admi-

admiranda. ad occultas ab ignaris tributa qvalitates, cum res manifeſtas cernere renuant, ut qvidam Medici mihi noti facere ſolent, qvi adverſus autopſiam ſeipſos obcœcantes, rerum noviter in Phyſica & Medicina detectarum experientiam, dictis & ſcriptis lacerare moliantur, indignè ferentes à cæno ignorantiæ mentes ſuas obtenebratas revocare.

Eſt & magnes, Lethalis vocatus, qvi ſi alteri magneti admoveatur, virtutem ei eripit, adeo ut per longum tempus ſine virtute trahendi remaneat, tandem tamen vires recuperat. Illud mihi D. Breſſieus vir ſubtilis ingenii mihi pro vero communicavit, ab eodem etiam habeo, ſaxa omnia, qvæ in orbe ſunt, in ſitu naturali venas ſuas habere ita diſpoſitas, ut ad mundi axem ſecundam tendant. Vide obſ. 96.

Ad Epilepſiam.

OBSERVATIO XV.

PAvi ſtercoris pulvis cum vino ad dragmam unam luna ſilente deglutitus præſtantiſſimum eſt remedium (ſi ſemel in menſe ſumatur per aliqvot menſes) ad ſacri morbi paroxyſmorum ſævitiam compeſcendam, imò ad curandam omninò.

Ani fæces per penem eductæ.

OBSERVATIO XVI.

MErcatorem Lutetiæ novi, qvi alvi fæces diu per

per penem emiſit, qvo affectu tandem an. 1654. obiit. Credendum eſt, caſum adeo inſolentem proveniſſe vel à calculo qvodam, vel à fæcibus induratis, vel ulcere qvodam inteſtini & veſicæ, aut alio naturæ vias impedimento obſtructas fuiſſe. Sic viſi ſunt pueri imperforati, fæces liqvidas micturientes. Conſultatus ego de morbo hujuſce Mercatoris papyri; (LE GOUT) vocato, conſilium dedi, ut cibis liqvidis veſcerctur, ut facilius per viam hanc qvam natura, aliis occluſis, ſibi qvæſiverat, emitti poſſent. Eo uſos conſilio non fuiſſe autumo, audivi enim mortuum eſſe paucis abhinc diebus, verum qvidem eſt, qvod cum ſenex & debilis eſſet difficilè erat tanto morbo & adeò inſolito eum diu poſſe reſiſtere, poterant & uti multis enematibus emollientibus & ſimul conſolidantibus ac ad ulcera accommodatis.

Munditiei neceſſitas.

OBSERVATIO XVII.

SAlis qvidam cuſtos ob nimium frigus in carcere morbum contraxit, cumqᵹ fæces ſub ſe debilitatis ergo facere coactus eſſet, nec ab ullo mundaretur, gangrena clunes ejus occupavit, D. PERROY Chirurgus Caſtrenſis ad ejus curam accerſitus, clunes ei & ſcrotum iteratis vicibus abſtulit & amputavit ſervatis tamen teſticulis nudis, ſed cum ignis ille gangrenæ nimias egiſſet radices, mortem vitare neqvivit.

At

At D. FRAISSINET etiam ibidem Chirurgus ſcrotum ſic amputavit in D. PRAT coriario, ſervatis teſticulis, & ſcrotum renatum eſt illi.

Sed ut ad munditiei neceſſitatem redeam multos ægros ægrosq; etiam nobiles, ſic mortuos vidi clunium gangrena, qvod incautè non mundarentur, ut neceſſe erat.

Erucæ innumeræ.

OBSERVATIO XVIII.

INnumeras vidi non ſemel erucas & tanqvam è Cœlo pluvia delapſas, qvibus terra, ſylvæ, imò & tecta domorum ſcatebant, qvæqve una nocte ſylvæ magnæ omnia folia vorarunt. De hiſce multa refert Valeriola, idem enim non ſemel viſum eſt, ut & de papilionibus ab iis generatis, qvi ſolem obumbrabant, idemq; de locuſtis, è qvibus fames, qvod omnia vorarent, & peſtis ab earum morte proceſſit. Nota autem, qvod geniſta fugantur viridi erucæ omnes, ſi arbores eâ involvantur.

Aranea mira, vomitu viva rejecta, &c. rara de araneis.

OBSERVATIO XIX.

D. Fontaugerius procurator Caſtrenſis anno 1611. dum ſe opiparè cum amicis in horto ſuo ſub vite exciperet, cecidit caſu araneola ferè

rè inviſibilis in ejus vitrum vino plenum, jam jamq; hauriendum, dixit ille tunc, nil refert, deglutieris, & hauſto potu nullum hinc malum ſenſit. Sed duobus ab hinc menſibus ægrotare cœpit, ſed cum cauſa morbi ab omnibus ignoraretur, nullo remedio levabatur, ignota enim cauſa non apprimè admoveri qveunt remedia, ut ſublatâ causâ ceſſent effectus, tandem naturæ individui conſervationis anxiæ conatu, tuſſi cum ingenti araneam ejecit tantam, ut vel corpore, vel pedibus patinam mediocrem tegeret. Hujus rei teſtis eſt D. Vignavetus pharmacopæus regius & doctiſſimus & celeberrimus.

Fuerunt & puellæ, qvarum fœdis coloribus appetitus inverſus fuerat, qvæ araneas innoxiè vorarunt. Idemqve legitur de puella Alexandro magno oblata, ut ejus concubitu periret, conſvetudine enim cum veneno non toxico ædebatur & halitum venenoſum fundebat, conſvetudo enim ſecunda natura eſt. Qvare de Mithridate crederem è contra corporis ejus naturam medicatam fuiſſe, qvod longo tempore Mithridatio ſuo uſus eſſet, unde etiam factum eſt, ut non veneno mortem ſibi accelerare potuerit ſe optante, ſed ad ferrum recurrere coactus fuerit. Qvare dixit Juvenalis.

Sed tamen & ferro, ſi prægustarit Atrides
Pontica ter victi cauti Medicamina Regis.

Viſa

Viſa eſt etiam heroina Anglica, qvæ aranei inter cibos delectabatur. Vorantur etiam ab avibus innoxiè & à ſimiis.

Sed ſciendum eſt, varias eſſe araneas, multas enim earum ſpecies recenſent Plinius, Aldrovandus, Mouffetus & Jonſtonus. Suntqve aliæ aliis venenoſiores. Licet enim aves ut plurimum non earum uſu pereant, vidit tamen D. Catterius Medicus eruditiſſimus Pariſinus Gallinam, qvæ ſtatim ab araneæ eſu periit. Vidi ego aliam mortuam ſponte in cujus corpore duæ Salamandræ repertæ ſunt.

Cum de araneis agatur nunc non latebit lectorem, me multa de iis obſervaſſe ſatis memoranda in centuria mea obſer. microſcopicarum qvæ cum libro meo de Teleſcopio edita eſt Hagæ apud Hadr. Ulack. inter qvæ nota me octo oculos in araneis qvibuſdam optimè & diſtinctiſſimè percepiſſe meo microſcopio, multisq; doctis & curioſis videndum præbuiſſe, in qvibuſdam vero ſex oculos tantum vidi.

Vulnus mirum.

OBSERVATIO XX.

D. de Savines eqvitum Vexillifer D. de Leſdiguieres in obſidione Chivacenſi apud Pedemontanos, tormenti bellici ictu petitus fuit, adeo ut ei omoplatas cum tota dorſi carne abſtulerit usq; ad oſſa, adeoq; profundè, ut halitus è pectore ſuo emiſſus candelas admotas extingue-

gueret, cordisq; ſyſtole & diaſtole oculis cunctorum cerneretur, is tamen curatus fuit. Unde lector debes colligere, nulla vulnera negligenda eſſe, ne ab aliis, qvæ negleximus, curentur, ſicqve dedecus incurramus, ut olim Cabrolius anatomicus qvi vulnerum qvorundam horrendorum ſuſcipere curam renuerat & eadem à ruſtico ſolo lardo in aqva erraſo curata fuere, cujus rei non parum illum puduit.

Fallaciæ Chymicæ.

OBSERVATIO XXI.

UT olim fraudes eorum, qvi dentes tactu fuſi &c. ſe avellere ſimulant, detexi, ſic non paucas Chymicorum auro alieno inhiantium, dum aurum promittunt, detexi. Et primo occurrit mihi, Baro de Beau-Soleil dictus, qvi projectionem mihi & amico cuidam meo oſtendere promiſit, ego illi omnia neceſſaria miniſtravi, & fecit ex argento vivo argentum optimum apud me, nobis præſentibus ſe vero remoto. Sed tandem percepi id à carbone, qvo crucibulum tegeram, proveniſſe, qvem ille, dum ego illi averſus eſſem ſubtiliter, inter carbones meos poſuerat, cuiq; argentum limatum indiderat, & qvoniam latus erat carbo & aptiſſimus ad tegendum crucibulum eo uſus eram ſe præſcribente, & hinc delapſa materia pici incorporata argentum produxit poſt fugam mercurii.

Idem ipſum Romæ feciſſe ait Campanella qvod illi dixi, renuit tamen & promiſit ſe iterum idem facturum, ſed diſceſſit.

Alii argentum condunt in aqva forti, qva utuntur, vel in argento vivo, vel in baculo arundinaceo, qvo fuſam materiam movent, alii ad latera crucibuli vel fundum, &c. ſed fuit qvidam Genevæ ſubtilior, qvi aurum limatum cum aliis rebus incorporans & ex illo paſtam conficiens, fruſtulatim pharmacopolæ eam parvo pretio dedit ſub nomine pharmaci cujusdam indici, deinde auri confectionem promiſit dicens, ſe nolle ſummam eorum, niſi ſe abſente decies, ſi vellent, rem experti eſſent, & in deſcriptione rerum neceſſariarum paſtam ſuam nomine novo inſignatam poſuit, qvam illi emendam curarunt, & rem veram cum multoties percepiſſent, pactam dederunt pecuniam, ille vero receſſit ut hamo ſuo aureo alibi piſcaretur, iſti vero paſtam reliqvam emerunt & aliam à pharmacopæo petierunt, qvi promiſit, ſe eis brevi daturum ad libitum, ut ei ab agyrta pollicitum fuerat, ſed non amplius eam habere potuerunt at in reſidui fruſtulo tandem aurum latere cum dolore invenerunt. Fuit etiam nuper Lutetiæ ſimilis circulator, qvi tamen à qvodam curioſo rei Chymicæ pro magno Alchimiſta habebatur, qvare illum apud ſe accerſivit, ſub ſpe qvod ei aliqvando qvædam revelaturus eſſet, cum verò nil poſſet ab eo extorqvere poſt annos duos,

de

de eo conqveſtus eſt, ipſe vero dixit ei, qvod juſtum erat, ut ei transmutationem oſtenderet, ſed qvod patientiam ejus tentare voluerat, qvare illi eam oſtendit, argentũ optimum ex plumbo conficiens, at cum ab aurifabro, cui oſtendit argentum, negatum fuerit, arte fuiſſe confectum & eſſe argentum cupellatum aſſeruiſſet, illeq; agyrtæ ſuo etiam aſſeruiſſet, agyrta faſſus eſt, ſe argentum illud effuſo ſubito plumbo per cineres crucibulo indidiſſe, idqve feciſſe, ut animum ejus recrearet. Hæc dico, ut caveant curioſi ab agyrtis iſtis, non tamen, ut aliqvid ab alchimiæ veritate derogetur.

Lapides decem in kyſtide fellea, item arcanum ad calculum.

OBSERVATIO XXII.

ANno 1653. Aprilis menſis die decima octava Caſtris Nobilis Dominus FERRAND Ucetienſis apoplexiâ mortuus eſt, apertum fuit corpus & in Kyſtide fellea decem calculi nitentes, coloris flavi ſuboſcuri & aliqvomodo triangularis figuræ, fabæ magnit. reperti ſunt, qvorum duos ego in muſæo meo curioſitatum aſſervo.

Nota ptiſanam fructus cinorrhodi ſeu roſæ ſylveſtris in furno ſiccat, & pulverat multos à calculo liberaſſe, & inter alios D. Amatum Gagnerium negotiorum Sereniſſimæ Duciſſæ Lotharingiæ Domus præfectum, qvem honoris

cauſâ nomino ob laudandam ſuam Doctrinam & curioſitatem. Sed diu eâ ptiſana utendum eſt.

De limacibus.

OBSERVATIO XXIII.

IN limacibus unicum foramen, qvod autem crediderim, ab uno tantum latere percipies, oculos vero in cornibus ut cancri marini habent, eosqve ductitios, eorum enim pupillas nunc in capite condunt, nunc extra cornua mittunt ad libitum, qvod nemo antea perceperat, licet oculis absq; conſpicillorum juvamine illud percipi poſſit. Nota præterea, qvod Solis ardor vel modicus perdet limaces, & mortem recipiunt à ſole, à qvo reliqva animantia vitam mutuare ſolent adeo frigidi ſunt temperamenti, qvare etiam latibula, ſaxa & umbras ſemper qværunt. Omphacii præterea infuſione pereunt reiterata.

Gangrena à frigore.

OBSERVATIO XXIV.

N. Daragon à nimio frigore perculſus tandem qvadrupes imo & ſuper genub. ambulans apud qvosdam pervenit, ubi calefactus fuit, ſed tamen gangrenam vitare non potuit, qva digitos pedum ferè omnes amiſit. Ejus tamen cura feliciter à D. Perroy, Chirurgo Caſtrenſi ſuſcepta fuit, qvi ungvento Ægyptiaco aliisqꝫ remediis ſolitis uſus eſt.

Vul-

Vulnera citius, qvam decet, clauſa, unde gangrenæ metus.

OBSERVATIO XXV.

VOcatus fui ad Salviæ Barbeſæ Virginis Caſtrenſis curam, cultro ei magno vulnus inflictum in brachio fuerat, qvo citius, qvam neceſſe erat, balſamo qvodam clauſo brachium intumuerat mirum in modum, & rubedinem ac inflammationem tantam conceperat, ut ſemper fumum emitteret, & lintea omnia, qvæ madida admovebantur, citò exſiccaret, curata tamen à me fuit, Chirurgis D. Perroy, Tirefortio & Fraiſſineto miniſtrantibus, vulnere rurſus aperto qvod ſangvis extravaſatus non ejectus fuiſſet. Et deinde ut vulnera vulgaria curatum fuit, inflammatio vero paulatim ſedata fuit lactis cum pane catapl. & aceto cum ung. roſ. deinde digeſtivis cum ovi luteis terebintina & ol. roſ. ad curam deducta eſt.

De butyri uſu.

OBSERVATIO XXVI.

NOn ſemel obſervavi butyri uſum prægnantibus noxium fuiſſe, ut & iis, qvæ matricis ſuffocationibus freqventibus obnoxiæ ſunt, qvare ab illo abſtinebunt conſilio meo.

Ad dol. dentium.

OBSERVATIO XXVII.

BUrſa paſtoris contuſa & auribus indita avellanæ magnitudine optimum eſt remedium & ſæpe expertum, eſt enim qvidam aurium cum dentibus conſenſus. Allium etiam contuſum cum ſalis momento & pollici admotum, veſicas efficit, è qvibus apertis aqva fluit, qva fluxio à dentibus derivatur & dolor eorum tollitur, qvod non minus mirum eſt, qvam cum Galenus è contra digitorum impotentiam motus, admoto in dorſo emplaſtro ad nervorum origin s, curavit.

Podagræ levamen.

OBSERVATIO XXVIII.

CErtum eſt animalia infirmiora & teneriora mala citius ſuſcipere morbosq́ transplantari, qvare, pueri cum ſenibus dormientes halitu ſuo maciem contrahunt. Sic podragra mirè levatur, ſi catelli cum podagrico recumbant, morbum enim contrahunt, adeò ut vix incedere qveant, æger vero levamen ſuſcipit. Cum etiam ignoratur malum internum cujusdam, qvæve pars in eo laboret, cumq; feneſtra careamus, ut momus olim optarat, qva poſſimus partem affectam detegere, illud in alieno ac ignobiliori corpore percipere valemus. Capiendi ſunt catuli & cum per qvindecim dies cum ægro decubuerint, & ciborum ejus reliqvias & ſputa

ſputa deglutierint, morbum ſimilem contrahent tuncqve, ſi aperiantur, pars eadem, qvæ in ægro, affecta reperietur, & ſic cognito morbo & remedia admoveri legitima poterunt.

Facilis purgatio.

OBSERVATIO XXIX.

GUttæ duo olei nuclei pinei indici, ſeu ricini americani prælo educti inſtar illius behen vel amigdalarum purgationem hanc facilem ſi potui infundatur vel juſculo procurabit. Alii eo obeliam fricant & ſic etiam incautè ægrum purgant.

Delirium ſimulatum & mictus ſangvineus, &c.

OBSERVATIO XXX.

SÆpe occurrit Medico, ut ægros morbos ſimulantes inviſat, qvod non facilè aliqvando dignoſcitur, vel qvoniã nulla eſt illius ſuſpicio, vel qvod rem apprimè ſimulent. Qvidam enim paupertate moti morbos multos ſimulant, ut majorem ſibi pecuniam alliciant, captivi, vel famuli, vel ſcholaſtici idem faciunt, ut à carcere dominisq; liberentur, idem qvandoq; monachi faciunt, ut mihi de Carthuſiano contigit mictũ ſangvineum fingente, ut melius exciperetur

meqve ſæpius videre poſſet, vidi & impudicam mulierem & prægnantem, qvæ delirium optimè ſimulabat, ut remedia ei adhiberem, qvibus fœtum ejicere poſſet. Qvare ſedulo debent Medici omnia perpendere hæc, non enim adeo parvi ſunt momenti, cum de morbos ſimulantibus Galenus librum conſcribere voluerit.

Sic erat puer qvidam qvem pater qvotidiè folle tumidum reddebat & qvaſi hydropicum, hæcqve à magiſtratibus punienda relinqvo.

Serpens ejectus ab ore hominis.

OBSERVATIO XXXI.

ANdreas Deſplos Carthuſiæ loci de Eſcoſſens prope Caſtra Villicus dolore ingenti colico cruciatus, imò tanto, ut humi jacere pronus coactus eſſet, ſerpentem tandem vomitu magnum ejecit teſte Dom. Chatardo doctiſſimo ejusdem Carthuſiæ Syndico. Credendum eſt, ſerpentem illum cum potu, dum parvus eſſet, deglutitum fuiſſe, vel in viri illius os, dum ore aperto ruri dormiret, poſt lactis potum, qvo ſerpentes alliciuntur, irrepſiſſe.

Congelationes digitorum hybernæ.

OBSERVATIO XXXII.

SÆviente frigore rubores pruriginoſi ſeu congelationes in manibus & pedibus oboriuntur, qvi qvidem importuni & doloroſi ſunt, &

& qvandoq; aperiuntur & valdè moleſti fiunt ad hos autem nullum æqvè pollet remedium, ac frictio freqvens fragorum tempore verno, circa manus & pedes, qvod qvidem mirum, cum hæc enim verna fiant tempeſtate, futuras illas congelationes hybernas impediunt, ne oboriantur, neſcio qva ratione.

Vermis hirſutus in hepate canis.

OBSERVATIO XXXIII.

MAgnus canis ſolitariè vivens & magis, qvam alii canes, melancholicus fuit, qvi ob calorem qvendam internum pluvioſum amabat tempus, adeò ut à pluviis nunqvam recederet ſeq; madefaciendum præberet, diſſectus fuit à D. Tardin Medico Turnonio & in ejus hepate vermis hirſutus repertus eſt, cujus rei teſtis etiam eſt idem Chatardus antea memoratus. Sic legitur hiſtoria de ſerpente in corde humano apud Anglos reperto. Et alia ſimilia qvibus comprobatur nobiliora parenchymata vulnera & ulcera ferre poſſe, modo vaſa eorum præcipua illæſa remaneant.

Hydrops ab epilepſia.

OBSERVATIO XXXIV.

MUltæ cauſæ hydropis ac epilepſiæ ſymptomata recenſeri ſolent, ſed nusqvam legiſſe memini, qvæ jam dicturus ſum. Mulierem vidit D. Vi-

D. Vignavetus ſupra memoratus, qvæ dum epilepticum paroxyſmum pateretur, inſtar dolii intumeſcebat. Curata tamen fuit & ab importuno hocce liberata morbo uſu ſalis abſint. corall. & perl. ad grana viginti qvatuor in juſculo.

Abſtinentia mira.

OBSERVATIO XXXV.

DOn Antonius Carthuſianus Ruthenenſis, id eſt, urbis de RHODEZ vocatæ, per duos menſes ægrotavit, & absq; cibo ullo remanſit, omnia enim reſpuebat oblata ad nutritionem, & ſi cogeretur, ut vi aliqvid deglutiret, illud rurſus evomebat. Aliqvando enim à D. Rigalio pharmacopæo ad ſumendos cibos cogebatur, ſed fruſtra, tandem eum illum D. de Feldes Medicus inviſiſſet, eum ventre omnino deſtitutum invenit, adeò enim venter ejus receſſerat & evanuerat, ut oſſium dorſi veſtigia in ventris cute impreſſa eſſent.

Hinc colligendum, eſt naturam ejus mutatam eſſe, cumq; ex humore qvodam viſcoſo & inſtar ejus limacum victum ſibi comparaſſe, manens enim absq; cibo per ſex menſes, qvoniam à calore ſuo tenui difficillimè coqvitur hic humor pituitoſus. Nota præterea, qvod non deperdant tantam ſubſtantiam inſtar aliorum virorum, imò ferè nullam, ideò cibo non indigent, cum-

cumq; cibus nullus ad inteſtina perveniat, inutiliaq; remaneant, flacceſcunt paulatim & adeo attenuantur, ut ad nihilum ſenſim deveniant, vel defectu nutrimenti, vel alia de cauſa nobis ignota. Non hic miras abſtinentias referam, licet multas de ea non ignorem hiſtorias, ut de puero qvodam circa Senones, qvi per qvindecim annos absq; cibo fuit. Sed videant curioſi Citeſii abſtinentem Conſolentaneam & Sennertum de longa inedia, ubi plusqvam triginta exemplis hæc confirmata reperient à 7. diebus ad annos ſexaginta.

De periaptis.

OBSERVATIO XXXVI.

MEMORANTUR multa curioſa de vi amuletorum & periaptorum, ferunt qvidam corallum, Jaſpidem, pœoniam, aloes ungulam, viſcum qvernum &c. ad varios morbos, & aſſerunt non parum ad hæc conferre, præcipuè levantur mulieres magnete ab uteri ſuffocationibus, & ætite in brachio ab abortu, vel eadem in fœmore à partus difficultate. Fuit & lapis Lutetiæ, cujus vi ſi manu teneretur, fugabatur melancholia. Sed nemo adhuc obſervavit qvod de arſenico dicturus ſum, ferebat aliqvis in pera ſua arſenicum adverſus peſtem, & tandem percepit qvod iſchiadis inſolito dolore tenebatur, qvo ſemper perſeverante & cauſam ignorante nunqvam levari ab hoc dolore poterat,

depo-

depoſito vero arſenico curatus eſt, qvare credẽdum eſt, noxium eſſe, non forſan omnibus, ſed qvibuſdam temperamentis.

Hæc mihi in memoriam revocant Helmontii hiſtoriam egregiam de cathedra cujuſdam podagrici, qvæ podagræ dolorem alii inferebat à mumiâ podagrici in ea remanente & infixa, cujus emanationes ei inſedentes juxta diſpoſitiones ſuas lædere poterant.

De plantarum & metallorum nutrimento.

OBSERVATIO XXXVII.

AQva ſola nutriri & augeri poſſe plantas vix crediidiſſem, ni per ſex menſes in phiala aqvæ plena Ocymi ſeu Baſilici plantæ ſurculum vidiſſem & ſervaviſſem, ubi radices multas, imò innumeras egit, ſurculos & flores, ſed aqva renovanda ſæpe eſt. Obſervavi etiam arbores magnos ſatis, imo tibiæ craſſitiem æqvantes, in terrea parva olla vegetaſſe ſola irroratione, terra ejuſdem ponderis remanente. Qvare credendum eſt, ab aere & aqva nutrimenta capere; ſunt & plantæ, qvæ ſolo aere diu perdurant, ſi parietis vel ligni indantur foraminulo, ubi florent, tales ſunt craſſula major, ſemper viva, aloe, &c. Aliæqꝫ ſi tantum filo ad aerem ſuſpendantur, ut allia & cœpe. Qvare exiſtimandum eſt, eas magneticè aerem attrahere & coagulare, vel ejus atomos allicitas ſibi unire. Sic etiam cre-

creſcunt metalla ab aere & aqva, ſi enim terra aeri diu exponatur, concipit plantas, vermes & calculos ac rudimenta metallorum. Viſaq; eſt plumbi catena, qvæ cum tempore incrementum accepit, ut terram attigerit, viſumq; cranium humanum eſt ab excellentiſſimo Viro D. Guil. Borel. legato Belgii uniti digniſſimo, qvod plumbum ramificatione ſua undiq; perforaverat. Ego illud qvidem de corallo vidi in cranio, ſed non de metallo, vidi tamen ramificationes naturales omnium metallorum multoties.

De canis rabidi morſus curatione, &c.

OBSERVATIO XXXVIII.

NOtatu digniſſimum eſt, multos pro cura morſus canum rabidorum ad nobilem D. Bergerium apud Brigenſes ſe conferre qvotidie, qvod innumeros curaverit; ab ipſo petii qvo pacto illos curaret, dixit mihi illud vi peculiari & proprietate naturali familiæ ſuæ, ut de ſcrophulis aliisq; morbis fertur, utq; de febre alibi retuli. Ego vero curam potius referrem ad tria ova frixa dura cum multo oleo cocta, qvæ ſine potu iis deglutienda præbet,

Obſervandum præterea, D. Martinum Medicum Pariſienſem celeberrimum canem habuiſſe morſu alterius rabidi rabidum factum, qvi validiſſimus fiebat, & tandem in hydrophobiam incidit, ſi vero ei aqva tantum admoveretur, imò nocturnis horis, ad terram concidebat, ſeſe

ſeſe circum agendo. Accidit qvandoqve hydrophobia ſeu aqvæ metus ex morbo ſine ullo morſu, ut vidi in Verderii domina Caſtris, qvæ ne qvidem juſcula ulla, nullaq; alia liqvida cernere tantum poterat, ſicq; obiit.

De Thea.

OBSERVATIO XXXIX.

IN duabus tantum Chynæ provinciis arbor Thea dicta reperitur ex Alex. de Rhodes peregrinationum hiſtoria, qvæ bellidis folia habent & una aliâ major eſt. Magnis curis colliguntur hæc foliola ſemel in anno, (utq; nos hic uvas colligimus,) ex arbore myrti folio prædita, bullitur in aqva, (& tunc extendi poteſt & ejus forma percipi,) ad dragmæ pondus, & calidè aqvæ illius vitrum deglutitur, vapores autem ſomniferos adeo cohibet, ut impediat, qvominus vigiliis fatigeris, aut ſomnum capias, roborat præterea ſtomachum, renes purgat & calculo utilis eſt.

D. Hignavetus Pharmacopæus præſtantiſſimus ea feliciſſime ſæpe uſus eſt, eaq; multi utuntur Magnates & viri literati à longo tempore, qvorum nomina recenſere poſſem, idq; cum ſucceſſu feliciſſimo.

Emplaſtrum ſtellatum.

OBSERVATIO XL.

FUit Chirurgus in exercitu Gallico omnia curans

ſans vulnera cum emplaſtris figuræ ſtellæ, nullo admoto unguento, ex ſolo enim linteo ea faciebat. Qvod ego non ad magiam ullam refero, ſed ad ſolius naturæ effectum, ut olim Cæſar Magatus facere ſolitus erat, ſolo enim faſciarum uſu omnia curabat vulnera negotium Naturæ remittens, ut ait Sennertus.

Meteora nova.

OBSERVATIO XLI.

AUtumni tempore obſervavi inſtar telarum aranearum albiſſimarum & longiſſimarum aërem refertum eſſe in agro Pariſienſi, qvod ab aëre qvodam, vel à ſubſtantia in eo exiſtente coagulata ortum ducere percepi.

Vidi præterea ſpumam menſe Majo pratorum herbis inſidentem, in qva locuſtæ generantur. Aliamq́ in ſalicetis, è qva muſcæ exiunt.

Vidiqve Noſtoch ſeu florem Cœli, ſpeciem muſci, terræ Friabili & Monticuloſæ incumbentem tanqvam gluten, poſt pluvias à qvibusdam Chymicis decantatam, illam enim pro univerſi ſpiritu capiunt, & ex ea ſpiritum dulcem, maximis præditum viribus aurumq́ ſolventem educunt.

Tandem multarum figurarum nives obſervavi, nunc ſtellas exangulas, nunc foliola malvæ, nunc roſulas aliaq; multa referentes, qvas alibi deſcribemus.

De

De ovis.

OBSERVATIO XLII.

MUlta curioſa de iis dicenda habeo, qvæ ſu[b] hoc titulo referam. Primo notandum eſt qvod in germine pulli parumper incubati, tot[a] pulli forma apparet, ſi ſedulo aſpiciatur, imo a[-] nimata & ſenſu prædita, ferro enim calido ad[-] moto recedere & moveri videtur. Sic in germi[-] ne nucleorum utpote amygdalarum, &c. par[-] va ebullitione præcedente, acu totam plantan[m] reperies, qvod præcipuè in Phaſeolis animad[-] vertes. Notavi alias ni fallor me Gallinam mon[-] ſtrifœtam vidiſſe cujus, ova omnia rara & figu[-] ræ miræ erant, nunc ſinuoſa, nunc qvaſi du[o] juncta, nunc acuminata valdè, ſicq; ſemper fi[-] guræ novæ. Talem Nardus ſe habuiſſe ait. Vid[i] etiam tres vitellos in unico ovo, & ovum Gall[i] ſine vitello, in qvo qvaſi ſerpens generatus fue[-] rat. Notatu præterea eſt, qvod ovum concuſ[-] ſum rectum ſtare poteſt, alias nullo pacto, qvo[d] pondere cutei, qvod fundum petiit, fieri certun[m] eſt. Præterea obſervandum ova gallinarum ni[-] grarum colore externo ut domeſticarum colo[-] re lutei deprehendi poſſe. Ova etiam recenti ruditate ſua, etiam in tenebris diſtingvi poſſunt alii perſpicuitate ad Solem, lacteq; ſuo & majo[ri] repletione ea diſtingunt. Sic olim Democritu[s] lac Capræ nigræ & primiparæ ab alio coran[m] Hipocrate diſtinxit, hoc enim viro ſæpe ren[m]

geſt[-]

guſtu experto facilè eſt. Sunt enim differentiæ notandæ etiam in rebus, qvæ nobis ſimiles omnino videntur. Sic vir qvidam fuit, qvi ovum qvoddam ab aliis omnibus diſtingvebat, licetq́ aliis immiſceretur, ſemper idem eligebat. Tandem ſciendum eſt, teſtæ ovi materiam ſeparatam in gallina reperiri, ut à Fabricio & Harveo, lib. de ovo, obſervatum fuit.

Monſtrum & naſus duplex.

OBSERVATIO XLIII.

D. De Laſplanes, D. de Caſtel-Franc. anno 1633. retulit mihi, ſe vidiſſe in urbe dicta inſula Jordani, monſtrum qvindecim annos natum, cujus ventri junctus erat puer alter per ventrem, ſed à latere, cujus caput maximum erat, qvodqve ſolummodo ſputa ejiciebat. Primum vero perfectum erat & loqvebatur. Aliud vero imperfectum, unico enim fœmore prædi- tum erat, viriliumq́ partium rudimenta tantum habebat. Duas in hoc monſtro fuiſſe animas exiſtimo, qvoniam ſi unum pungeretur, alterum non puncturam percipiebat, erat tamen linea qvædam diviſionis in iis, quæ tanqvam linea Æqvinoctialis duos hos microcoſmos ſeparabat, è qva ambo puncturas ſentiebant. Hic inter monſtra jungam, fabrum eſſe lignarium in urbe Buch apud Normannos, qvi naſus duos habet, ſeu Naſum duplicem, qvare vulgo vocatur Mauritius duorum Naſorum.

Sepultura nimis accelerata.

OBSERVATIO LXIV.

FAmulam novi in patria mea, qvæ apud Regium montem viva incautè ſepulta eſt, qvod ſuffocationem hyſtericam paſſa pro mortua habita eſſet, audiverunt enim in tumulo vocem qvandam, qvare rurſus è terra eruta eſt & inventum eſt, eam pannos ſuos manusq́ꝫ eroſiſſe, ſed mortua erat, qvare non ſunt ſepeliendi ægri niſi jam corruptio incipiat, præcipuè ſi ſuffocatione uteri vel apoplexia obierint. Idqve ex Hipocratis monitu. Sic ex Zacuto poſt Pareum Medicus qvidam Gallus in Hiſpania mulierem diſſecans, eam ſuſpirium fundentem audivit qvare maximo horrore percuſſus ſimulqve pudore diſceſſit, nec amplius viſus eſt. Fertur etiam Lutetiæ virum ſuſpenſum & in collegio anatomico repoſitum, craſtina die vivum repertum fuiſſe.

Vermes naſicolæ.

OBSERVATIO XLV.

MUltorum animalculorum ſedes homo eſt, in eo tanqvam in alio mundo hoſpitantur, & ſic nos in mundo, qvi etiam juxta qvosdam magnum animal eſt, ſicqve inſecta alia in aliis qvandoqve reperiuntur, ut in obſ. meis microſcopicis videre eſt. Vidi ergo in naſo multorum juvenum vermes nigro capite, qvi tanqvam

qvam araneæ in poris noſtris latitant & capita qvandoq; exerunt, tuncqve Volſellis eruuntur. In capillis etiam qvandoq; reperiuntur ut & in Syronibus, ulceribus, imo in ſcabie, variolis & aliis multis locis.

Curæ Sympatheticæ & Magicæ ad fracturas.

OBSERVATIO XLVI.

MUltæ fiunt curæ nunc verbis, nunc levium rerum & inutilium, ut videtur, admotione, nunc herbæ ad caminum exſiccatione, vel ſub fimo repoſitione & dum putreſcunt vel exſiccantur, malum etiam, qvod tetigerunt, curatur. Qvo remedio qvidam Lutetiæ feliciter utitur, relatum mihi eſt à viro veraci, illum febrem curaſſe ſola caryophilli febricitantis irroratione, neſcio an urina ægri illud faceret, ſed cum exſiccabatur, etiam curatus fuit æger. Hæc & Fernelium & alios perturbarunt meqve etiam, niſi ad Sympathiam recurram, & ad mumiæ & morbi transplantationem, de qvibus Tenzelius & Rhumelius optimè diſſeruerunt. Vidi enim rem ſatis miram & non ſemel à Villulæ meæ ruſtico peractam, omnes alios ruſticos curabat, qvi doloribus vel fracturis detinebantur, ad fracturas & luxationes non ægro remedia admovebat, ſed ſcamni ſui pedi, ad dolores colli, jugum vaccarũ mulieribus, boum vero viris imponebat & ſic curabantur. Aliaqve ſic ridicula adhuc facit &

tamen multi curantur vel imaginatione vel fide ſua, adeo ut magnus ſit ruſticorum & famoſus Medicus.

Mulier hypochondriaca & incendiaria.

OBSERVATIO XLVII.

IN manſo Den Paul, juxta Urbem Lavaur vocatam in Occitania ſuperiori fuit muliercula quæ ſe à diabolo vexari aſſeverabat, qvi ei ſemper, ut omnia combureret, ſuſurrabat. Cumqve ignem domibus admoverat, ſe ab igne interno qvo utebatur levari dicebat, multas autem domos ſic conflagravit clanculum, adeò ut à nemine detegi potuiſſet. Tandem lapides in Eccleſiam etiam clanculum projiciebat, qvod omnes dæmonibus vel mago tribuebant, ſed dum hæc ita ſe haberent, acceſſit hunc locum amicus qvidam meus, qvi mulierem hanc ſub dolio latitantem invenit extra Eccleſiam & inter murum alium ei Eccleſiæ proximum, unde lapides projiciebat, qvare hinc pulſa & à toto loco, alibi multas conflagraſſe domos audivimus. Hæc autem ab inſania qvadam vel hypochondriaca affectione provenire non dubito, cum ſibi animo finxerit, ardorem ſuum internum ſic tantummodo mitigari poſſe.

Fit etiam idem ab aliis qvandoq; alias ob rationes, utpote ut domum qvandam deſertam

&

x inhabitatam reddant vel &c. Sicqve in Anglia accidit in qva homines lapidibus petebantur, nec cernere poterant unde mitterentur, ſed tandem amicus meus ipſum Dominum hoſpitii id facientem vidit, dum enim curioſos in cubiculum introduceret, lapidem à tergo jaciebat ad lacunar, qvo ipſi petebantur ut plurimum. Tales ſunt maxima parte Dæmonum præſtigiæ, qvæ nobis narrari ſolent.

Horrenda matricis Symptomata.

Observatio XLVIII.

N. De Pont Nobilis mulier apud Xanthones matricis ſuffocatione valde cruciabatur, & in medio paroxiſmi tanqvam globum verſus ſtomachum aſcendere ſentiebat, qvo ſuffocabatur, curabatur vero, ſi arctiſſimo cujusdam amplexu comprimeretur, ſive viri, ſive mulieris.

Præterea ſi qvis nimios coram ea cachinnos funderet, ſtatim in eadem incidebat Symptomata tuncq; ridere vi cogebatur, licet ei noxium valdè eſſet.

De nævis maternis inſolitis.

Observatio XLIX.

NEmo eſt qvi ignoret, rerum à matribus gravidis excupitarum, vel odio habitarum, vel aliter viſarum, figuras in puerorum corpore

re imprimi, de his enim multa apud authores leguntur, præcipuè apud Cornel. Gemmam, Veinrichium, Lycoſthenem, Geſnerum, Levinum Lemnium & alios naturæ admirandæ rimatores.

Sed cum qvædam viderim ab iis non relata, qvæ memoratu mihi digna videntur, ea hic referre non pigebit; vidi enim uvæ figuram in gena viri, ſoleæ marinæ etiam cum ſqvammis ſuis figuram in tempore ſiniſtro. Tulipam in fœmore. Habeoqve amicum qvi florum ſertum cum vita in cute puellæ vidit, in alia caryophillum florem cum majorana. Et in viro ceraſium, ceraſorum tempore rubeſcens, ego vero morum nigrum in fœmore, ut mater mea in brachio, fero; qvod mororum etiam tempore augetur. Soror mea lentes etiam circa cordis regionem habet.

Muſciliones evomiti.

OBSERVATIO L.

DEmens fuit in loco Rupecurvæ juxta caſtra patriam meam, qvi vomitu innumerorum muſcillorum ſe curatum fuiſſe D. Celarerio amico meo affirmavit hæc incredibilia multis videbuntur, ſed tamen, ſi rationem ſuam meaqve ratiocinia conſulant, ea non tam à ratione aliena, qvam ſibi prima fronte finxerant, reperirent. Generantur enim inſecta varia ex omnibus ferè rebus, & tam plantis, qvam animalibus, vidi mul-

multoties muſcas ex ſalice, muſciliones ex veſicis ulmi generatos, &c. Sic referunt nobis ex arboribus naſci aves in Scotia, tum ex corruptione navium, tum ex conchis ab arbore productis, qvarum unam apud me ſervo. Chymicos vidi, qvi ſperma & ſangvinem humanum coctione in pediculos muſcasq; converterunt. Notavi alibi, manaſſe etiam ex ulceribus, ſed qvod magis noſtræ rei facit jam auditæ. Aſſerit Scaliger, ſudoris humani guttas in muſcas converſas fuiſſe. Et in Dariene regione non ſolum in muſcas, ſed in bufones ex Mouffeto convertuntur, & alibi ex Hug. Linſchotto dracunculi in tibiis hominum enaſcuntur, ſi ergo & animalia perfectiora ab homine manaverint, cur non inſectiora ab homine manaverint, cur non inſecta & muſciliones, præterea ſcimus, ex vermiculis apes & muſcas omnes naſci, vermes autem & vermiculi paſſim in hominibus generantur, qvi ſi non necarentur, forſan alas in ſenectute formicarum inſtar adipiſcerentur. Sed retulit Mouffetus l. de inſectis idem alteri olim ac noſtro dementi accidiſſe, animalcula enim in pulmone, ut muſciliones, ejecta fuiſſe ait, qvę tuſſim ægro faciebant. Horum qvoq; meminit Abinzoar Abhomeron. l. 1. tract. 11. c. 3. & Platerus de fellea veſica, ut & Gentilis de liene & jecore, &c.

Sangvis frigidus.

OBSERVATIO LI.

D. De Vignoles eqvitum Dux Nemauſenſis ſangvinem frigidum in morbo Phlebotomatus emiſit.

Hæc prima fronte impoſſibilia eſſe videntur, ſed tamen vera eſſe probabit ſeqvens ratiocinium. Sangvis juxta veritatem & autopſiam in corde fit à Chylo, qvi illic defertur, vidi enim propriis oculis Chylum in corde fluentem, ſe ſangvini immiſcentem, à qvo velut à fermento transmutatur, hinc per arterias per totum corpus ad nutritionem corporis transmittitur, deinde cum partes ſatis eo irroratæ ſunt, venæ ſangvinem ſuperfluum & refrigeratum, ac carnis ſenioris putrefactione inqvinatum excipiunt, ut rurſus illum ad ignis humani culinam referant.

Arcanum ad partum facilem reddendum.

OBSERVATIO LII.

JOan. Vidales accerſivit me ad uxorem ſuam inviſendam, qvæ jam à qvindecim diebus doloribus & torminibus parturientium cruciabatur, illi clyſterem primo injiciendum curavi cum plantis ad hæc proprlis, utpote artemiſia, ſabina, &c. Poſtea peſſarium è Galbani uncia. 1. myrrhæ dragm. 1. & croci ſcrup. 1. admovendum præſcripſi, ſed cum hæc inutilia fuiſſent, tandem eſſentiæ ſuccini guttas ſex in vino propinavi, tuncqve aucti ſunt ejus dolores, poſtea filiam brevi peperit.

Cimi-

Cimicum origo.

OBSERVATIO LIII.

CReditum eſt, è ſudore humano Cimices produci in cubilibus, ego tamen crederem, in ligno ipſo naſci, vidi enim fagum in ſylva, è qvo innumera Cimicum copia exibat, qvare ſi è fago fuerit cubile, ſub certa Luna reſecto poterit cimices generare.

Memorandum etiam eſt, calvariam mulieris cimicibus plenam ex Mouffeto repertam eſſe. Si autem in cujuſdam cranio Scorpius generari potuit, cur non & cimices.

De tamariſci ac filicis ſeminibus motu præditis, & de eorum germine.

OBSERVATIO LIV.

DUm Lutetiam cum curioſiſſimo Domino Saporta Advocato Monſpelienſi & D. Breſſico Medico-Chymico Gratianopolitano contenderem, receſſit à nobis D. Breſſicus, deinde rediit & nobis ſemen plantæ cujuſdam oſtendit, qvod ſaltibus crebris à menſa decidebat, qvod diu mirati ſumus cauſam ignorantes tanti miraculi, ſed tandem aperui qvædam ſemina, & in iis vermiculos deliteſcentes inveni, qvi inſtar illorum caſei & aſcaridum arcum è corpore facientes ſuo ſaltitabant, revelavit autem nobis ſemen eſſe tamariſci, idemq; facit ſemen filicis, qvare qvi Magiam profitentur, multa igna-

ris ſperare faciunt motu illo percepto. Sic in Kali geniculis qvaſi ſerpentulos me inveniſſe memoror, vidiq; plantas duas ſemina, ſi tangantur, vel minimum procul mittentes, ſeminumq; alveolos mirè contorqventes poſt ſeminum emiſſionem, talis eſt clandeſtina, & nolimetangere ſeu balſamina fœmina perſci folio. Qvod ad germina nucleorum & ſeminum, certum eſt acicula vel ope acus plantæ totius rudimenta cerni, ut alibi notavi, ſed manu ingenioſa opus eſt, & præcedere debet coctio qvædam. Ita in bulla ovi coctione qvædam pulli forma ex Harveo cernitur.

De hæmorrhagia cum febre ardenti.

OBSERVATIO LV.

FRater meus Abel vocatus anno 1641. vigeſimum tantum menſem agens, febre ardenti & Epidemica cum tuſſi correptus fuit, parvaqve hæmorrhagia narium, qvæ usq; ad vigeſimum diem perduravit, alii Medici ajebant, tundendam eſſe venam, naturâ monſtrante viam, ego vero naturæ beneficium illud turbare nolui eiqve totum committendum negotium cenſui, qvod feliciſſimè ſucceſſit, ſine ullo enim alio remedio curatus fuit, Medicus enim non minus eſt, qvi remedia ægris admovere, qvam qvi utiliter amovere ſcit.

Ad

Ad febres tertianas.

OBSERVATIO LVI.

ACc. vini albi opt. hauſtum unum, bulliat ad dimidiæ partis conſumptionem, & ſic hauriatur, & multas tibi vomere faciet aqvas, &c. ſic multos curavi.

Salamandræ & bufones ab homine ejecti.

OBSERVATIO LVII.

NAuſſareſſe loci de Semalens non procul à Caſtris à mago qvodam, ut referebatur, venenum hauſerat, & ab eodem deinde curatus fuit herbæ cujuſdam uſu, cujus ope qvatuor Salamandras multosq; Bufones vomitu ejecit. Id autem ex iis pulveratis & propinatis generari vel ex eorum ſemine potuit, ut embrio in ſtomacho generatus fuit ex irrumatione, ut in Sambuci obſerv. videre eſt, utq; alibi retulimus de piſce, ſerpentibus, &c. in ſtomacho generatis.

De inſufflatione.

OBSERVATIO LVIII.

QVemadmodum legimus, Deum in corpus Adami animam inſufflaſſe, ſic etiam animalibus inſufflationem vitalem conceſſit, ideoqve qvædam eſt in India Medicorum ſecta, qvæ morbos omnes ſola curat inſufflatione. Sicq;

solent

ſolent apud nos Gallinæ ano admoveri ægrotantium, ibiq; detineri, donec ſuffocentur & qvaſi animam in ægri corpus expiraverint, unde aſſeritur, ægros conclamatos ſæpiſſimè revocari ad priſtinum habitum. Sed magis memoranda eſt hiſtoria famuli cujuſdam, qvi cum è rure rediret & Dominum mortuum inveniſſet jamqve ſepulturæ condendum, voluit illum diutiſſimè exoſculari, dumq; ſupra illum flens & halitus fundens in os ejus eſſet, paulatim illum ad vitam tanqvam propheta revocavit, ſic enim Prophetæ olim in mortuos reſupinos ipſi proni in eos inſpirantes recumbebant.

Nymphæ apparitio.

OBSERVATIO LIX.

IN Caſtrenſis Urbis hiſtoria antiqvitatum, à me conſcripta Gallicè, hiſtoriam Nymphæ, ſeu puellæ magnæ, alba veſte indutæ, qvæ absq; inceſſu accedere viros videbatur, à teſte oculato recenſui, idq; in loco de Bouiſſaſon de Meruiel accidit, teſte D. Seve Caſtrenſi, at pauci ei fidem tribuere voluerunt, licet à multis idem feratur teſtimonium, rem igitur hic rurſus confirmabo & teſtimonio Euſebii Nierembetgenſis in hiſtoria ſua peregrina roborabo, qvi multas earum ut & Syrenarum refert hiſtorias, Legati enim Ulyſſiponenſes eas ex eod. viderunt. Bartholinus etiam Syrenem pingit. Ego vero hinc collegeram, hominum varias eſſe ſpecies, ut voluit

luit Paracelſus, qvidam enim terreſtres ſunt, ut nos, alii Aqvatici, ut Syrenes & Tritones ſæpe viſi, alii aerei ut forſan illæ Nymphæ, alii credunt cum Diodoro & aliis multis lacus eſſe qvoſdam & Sylvas, è qvibus homines Sylveſtres oriri poſſint inſtar inſectorum, ut de ſe ipſis qvidam Indiæ populi aſſerant; multa hic de hiſce, ſed nimis curiosè forſan recenſere poſſem, ſed præſtat ea ſilentia obruere.

Curæ miræ qvo pacto fieri aliqvando poſſint.

OBSERVATIO LX.

IN qvibuſdam morbis maxima ægri vivendi modi habenda eſt ratio, aliàs difficillimè curabuntur, ſicq; multæ optimæ & admirandæ curæ factæ fuere. Fuit enim qvidam ſtercorum mundator, qvi cum bonos nimium odores excepiſſet, ægrotavit, à nullo autem curari cum non potuiſſet, tandem ſolitis odoribus admotis curatus eſt. Sic Zacutus alium maris incolam in arena collocavit & ſepelivit, ut illum feliciter curaret.

Amicum etiam Maſſiliæ habeo, nempe D. Cheneum Medicum, qvi ruſticum, qvem alii deſeruerant, curavit, illi ruſticam vitam præcipiendo, legumina nimirum, panem ſecalinum, &c.

Qvod autem Regio, in qva vivimus, multas faciat in nos impreſſiones, qvarum habenda eſt ratio,

ratio, obſervavi qvod qvemadmodum nos in na-
vibus Nauſeas patimur, qvæ ceſſant, ſi ad terram
ſolitam revertamur, ſic virum maris incolam
Venetum ſcilicet vidi, qvi eqvo inſidens nau-
ſeas eaſdem, qvas nos in mari, patiebatur.

Cataractæ obſervationes inſolitæ.

OBSERVATIO LXI.

CAtaractam inſolitam vidi, qvare illam hi[c]
inſerendam eſſe credidi, erat enim vir, qv[i]
omnia, qvæ aſpiciebat, perforata percipiebat,
qvod à certa cataractæ diſpoſitione provenie-
bat.

Inſolita etiam cataracta in puero Joh. Dagaſ-
ſat. textore loci de Rabaſtens, obſervata fuit,
puer Novimeſtris enim cum tantum eſſet, per-
fectam tamen habuit Cataractam, cujus tamen
curam, peritus ad illas curandas vir D. de Mons
noluit in hac ætate ſuſcipere.

Tabes verbis curata.

OBSERVATIO LXII.

DIximus aliqvando, verbis multos morbos
curari, ſic vidi amici cujusdam mei filium
tabe maxima detentum cui nulla profuerant
remedia, tandem vero à qvodam ſolis verbis
curatus eſt optimè, neſcio an verbis illis vim
dare debeam, an verò fidei & imaginationi
eorum,

Ar-

Arbor vocifera.

OBSERVATIO LXIII.

ANno 1653. in loco Caumont dicto, juxta Toloſam, obſervatus eſt ulmus, qvi vocem qvandam edere videbatur, qvod pro tanto miraculo habitum fuit, ut innumeri è longinqvo locum illum accederent, ut propriis oculis & auribus illud perciperent. Ego vero nullum in eo miraculum inveni, qvoniam percepi, arborem eſſe concavam & in eo fieri echum vocis accedentium ad illam, unde, murmura & voces edere videbatur, echo enim ex Blancano & aliis fit etiam in Sylvis & arboribus, ut in ſaxis, unde Virgilius:

Saxa ſonant, variisqꝫ offenſa reſultat imago.

Tales ſine dubio erant arbores Sylvæ Dodoneæ oracula reddentes; ſic in littoribus qvibusdam marinis miri audiuntur ſonitus, tales ſunt ſonitus prodigioſi littoris Bothnici & Heclæ montis voces ejulatus æmulantes ex Vueckero, Faſello, &c, unde orta eſt Fabula, hic eſſe inferorum adytus. Poſſet & vox mirè contorqveri vel ſpeculis concavis, vel Syphonibus longiſſimis, vel flexuoſis & ſpiralibus, adeo ut longinqva audirentur, deqve his conſule echum Cathoptricam, & Magiam Phonocampticam ſeu de reflexæ vocis mirandis effectibus, de qvibus Kircherus. Cum hic de echo egerimus, obiter dicere non pigebit, vocem inſtar pilæ ab objectis retrudi & repercuti, eodemqve pacto

pacto, qvo imago in ſpeculo. Qvomodo vero ter, qvater, imo & ſepties &c. Echo qvædam repetat verba, ſciendum eſt, qvod qvo magis accedes Pontis latera, eo magis repetuntur, è medio enim Fornicis unica tantum erit reflexio recta, qvæ clavem feriet fornicis, at ſi propius accedas, vox non medium attinget, ſed latus, unde ad aliud latus oppoſitum reflectetur, & tandem ad te cum duabus vocibus redibit, ſicq; adhuc ad latera muri accedas, major reflexionum fiet numerus in fornice, juxtaq; earum numerum totidem voces repetitas audies.

Oculi eruti & repoſiti, & de ictibus.

OBSERVATIO LXIV.

JOh. Deſirat, D. Locitentis Jud. loci de Girouſens in Occitania, pede eqvi petitus, oculi prolapſum paſſus eſt tantum, ut foras in gena penderet, repoſitus tamen fuit ab Ophthalmico Medico D. de Mons ſupracitato.

Idem accidit D. N. Courbati eu, juxta urbem Rupiſtagnenſem, ei enim ſecuris inverſæ incautè ictu circa occiput aeris impulſu oculus erutus fuit ab orbita, & ab eodem feliciter repoſitus.

Qvandoq; ab ictibus in capite nullum vulnus apparet, & incautè non animadvertitur, pars oppoſita, in qva fiſſura cranii latet per ictum contrarium facta, donec gangrena adfuerit, unde non pauci moriuntur, qvare cautione uten-

utendum eſt & univerſa capitis inſpectione in percuſſis, ſed præcipuè partis ictui oppoſitæ. Sic enim ollæ terreæ percuſſæ, ut plurimum in oppoſita parte franguntur.

Inflammatio dolorifica ſedata.

OBSERVATIO LXV.

HIc D. de Puechmeia Medici Podiolaurenſis obſervationem referam, qvi virum facillimo negotio curavit. Cui jamjam tibia à Chirurgis amputanda erat ob gangrenam in ea apparentem poſt dolorem acerbiſſimum ejusqve inflammationem. Accepit autem arenam humidam cujusdam ruſtici conſilio, eâqve tibiam tegit undiqve, ſæpeqve renovavit, & ſic adeò levatus fuit æger, ut cum Chirurgi ad extirpationem tibiæ veniſſent, illum curatum repererint.

Corpus Cryſtallinum.

OBSERVATIO LXVI.

VEllent nonnulli, ut obſervationes tantum proprias referrem & non alienas, ſed cum unus homo omnia videre non poſſit, alienis etiam uti debet obſervationibus, poſſem qvidem me oculatum teſtem præbere, ſi vellem, ut iis os occluderem, amicorum teſtimoniis contentus, ſed malo veritatis, ut ſemper fui, eſſe cultor, qvam inventa texere. Cum autem pauci obſervationes ſuas conſcribant, licet in orbe

neceſſarium ſit, qvam innumeras habere obſervationes, ut ex illis ratio noſtra campum liberum multa arguendi habeat, neceſſe eſt, ut qvidam, mei inſtar, curioſi eas accuratè colligant, ſuisqve immiſceant, ſic hanc miram obſervationem, licet mea non ſit, tacendam eſſe non exiſtimavi. Idem Medicus in obſ. præcedenti memoratus mihi familiariſſimus & in Medicina non parum expertus ægrum habuit cachecticum, itaqve aqvis neſcio qvibus obſitum, ut per candelam ei oppoſitam membra ejus corpusqve totum non ſolum ut in hydrope tranſparentiam qvandam levem præberet, ſed ac ſi corpus corneum vel vitreum habuiſſet per manum transverſam characteres Epiſtolæ legi poterant ob pituitæ vitreæ in eo cumulatæ copiam, eiqve affirmatum eſt, à Germano ſe idem in alio de toto pectore vidiſſe. Audivi etiam idem de obſcœnis partibus accidiſſe.

Oculorum radii conſpicilla perforantes.

OBSERVATIO LXVII.

DUbitarunt huc usqve Phyſici de vi naturali venenata oculorum, & qvæ ab aſpectu fiebant ad dæmones revocarunt, naturam impotentiæ, experientiasq; qvotidianas falſitatis accuſantes. At certum eſt, viros qvosdam eſſe naturali virtute præditos tali, ut pullis, puerulis, aliisq; animalibus recens natis, ut & herbis, arboribus

ribus, fructibus, &c. nocere poſſint, vidiq; viros, qvi dum domum ingrederentur, virtutis ſuæ maleficæ conſcii, monebant amicos, ut pullos puerosq́ removerent, mammasq́ nutricum videre renuunt, ne lacti etiam nocumentum afferant, ipſis enim inviti nocumenta inferebant, non ergo fabuloſum eſt, qvod de agnis fertur, unde Virgilius:

Neſcio, qvis teneros oculis mihi faſcinat agnos,

Sic fertur, Baſiliſcum oculis animalia reliqva necare, lupum qvem priorem viderit, raucum facere mulieremq́ menſtruoſam oculis ſpecula vitiare argento vivo trans vitrum fuſo, ut & plantis nocere, vino, aceto, &c. & Baſiliſcum ſpeculo occidi proprii veneni ab oculis emiſſi reflexione, Hæc enim omnia ſeqventi ſatis ſuperqve patent hiſtoria.

D. Chauvinus Nobilis Pariſinus, qvi non procul à Diepa jam commoratur, adeò acres emittit ab oculis vapores, ut conſpicilla ejus excavent & tandem perforent, inutiliaq́ brevi tempore reddant. Alium mihi familiarem ſenem, cui idem accidit, adhuc agnoſco, eſt autem vir bilioſi temperamenti, qvod aliqvid adhæc conferre poteſt. Multis idem accidiſſe & qvotidiè accidere non dubito, ſed à nemine obſervatur, qvod valdè admirandum, vapores enim corporis, ſic aqva forti & reliqvis acribus fortiores & validiores ſunt, qvæ nullum in vitrum effectum producere qveunt.

Hanc obſ. repeto, qvia nomen nuper accepi viri, cui id accidit, & qvia nova qvædam dicenda habebam, tandemqve qvoniam pulchra decies repetita placent.

Mira ac canina rabidi viri ſagacitas.

OBSERVATIO LXVIII.

OMnia in omnibus eſſe poſſe non immeritò dixit antiqvus qvidam Philoſophus, tria enim naturæ regna miras nobis eorum immixtiones qvotidiè oſtendunt, animalia in lapidibus & in plantis reperiuntur, plantæ in lapidibus & animalibus, ut alibi exemplis approbavi, & mineralia in plantis & animalibus. Rurſus horum trium regnorum individua mirè immiſcentur, eorumq́ exempla referre tædioſum eſſet, adeò ut non ſolum inter ſe miſceantur ſed & vires ſibi ſuas mutuò impertiantur. Sic viſus eſt vir à multis amicis meis, qvi cum à canis petitus rabidi morſu fuiſſet, ejus veneno non ſolum rabidus factus eſt, & canis venenum in eum non modo inſeruit, ſed etiam odoratum & ſagacitatem ſuam venaticam illi communicavit, adeò ut accedentes amicos è longinqvo, licet eos non videret, olfactu venire perciperet, & amicis diceret, talis N. amicus meus hic jam venturus eſt, & ſtatim veniebat: qvidam id Diabolo tribuebant, ut ſolent ignari omnia, qvæ non capiunt, ad cauſas occultas, ad diabolum & magos

vel

vel ad Dei omnipotentiam referre, at hæc tantum ex ſagacitate ſua proveniebant, canis enim Domini ſui odorem è longinqvo percipit, odoremq; perdicum, leporum &c. diſtingvunt, idq; variis ſignis Dominis ſuis & venatoribus indicant, ſi autem eorum odoratum haberemus, non dubium eſt, qvod odoratu inſtar eorum res detegeremus & rerum emiſſiones & ſpecies ſpiritusq; per aërem tranſpiratione ab individuis effuſos naſo diſtingvere valeremus. Hanc autem proprietatem canis morſus, naturæ ſuæ inſitione communicare potuit, inferuntur enim in nos amor, odium, &c, oleo ſangvinis epoto, ut docet Hartmannus in Beguinum, &c.

Hic coronidis hujus obſervationis loco addam, me vidiſſe canes cujusdam nobilis, qvi in omnes advenas irruebant, veniente verò è longinqva regione ejus filio, qvem nunqvam viderant, nec illum morſu, nec latratu ullo moleſtarunt, qvod, ut opinor, ſimiles qvasdam emisſiones in filio ac in patre odoratu repererint.

De phreniticis notanda qvædam.
OBSERVATIO LXIX.

QVemadmodum hypochondriaci multi aſſenſu curati ſunt, ut ille, qvi caput plumbeum habere dicebat, pileo plumbeo ei admoto & tandem ad curam remoto. Vel qvi naſum longiſſimum habere credebat, admota lucanica, eaqve deinde reſecta coram eo. Vel qvæ aciculam in

in gutture habere exiſtimabat, vomito præſcripto & acicula contorta in ejus pelvem clanculum injecta. Sic etiam phrenitici qvidam opinione curari poſſunt. Cognatum enim habeo, qvi febre ardenti & deinde phrenitide correptus nudus per Urbem vagabatur & ſe à pharmacopæo & uxore ſua intoxicatum fuiſſe, ut faciliꝰ mæcharetur, aſſeverabat. Nec unqvam ab hac deſtitit opinione donec patris mei aſtutia, qvi ei omnia vera eſſe conceſſit, curatus fuit, nam dixit ei, qvod credebat vera eſſe, qvæ ille ei revelabat, ſeqꝫ de hac re olim aliqvid ſubolfeciſſe, ſed qvod oportebat, ut antidota optima adverſus venenum ſibi propinatum ſæpe ſumeret, ut citò curaretur & de uxore ac pharmacopæo vindictam ſumeret, annuit ille, tuncqve ei optima juſcula propinavit, (nulla autem à longo tempore novi veneni metu haurire voluerat,) ſicqꝫ mens ejus inedia debilis roborata fuit & morbus ſudoribus à cardiacis in juſculis propinatis paulatim expulſus eſt.

Ignis mirus.

OBSERVATIO LXX.

IGnis apparuit qvidam inſtar rotæ per aëra ſupra locum de monte Draconis vocatum, circa Caſtra, qvi è longinqvo cernebatur & tandem ad Monaſterium Monialium ibat & ibi perdebatur, tuncqve ſubito mortuæ ſunt qvædam Moniales. Qvidam magum qvendam id feciſſe aſſe-

aſſerebant, ego vero crederem ignem Lambentem fuiſſe, eſt enim Lethalis ut plurimum.

Figuræ plantæ in rore frigore congelato.

OBSERVATIO LXXI.

CUm D. de Linga Italus Chymicus Philoſophus, non procul à Manſo Afilii, in provincia Fuxenſi rorem collegiſſet, inq; magno collocaſſet illum matratio glacie ſuperveniente coagulatus fuit, ægrè autem ferens, qvod & ros inutilis redditus fuiſſet vasq; glacie fractum, glaciem aſpexit, & in medio ejus arborem cum foliis, fructibus, ramis, radicibusq; ad nucis figuram obſervavit, qvod miratus illud amicis ſuis narravit & præcipuè D. Steph. Breſſæo Medico Chymico expertiſſimo ac veraciſſimo, qvi mihi hæc fideliter retulit. Qvod probat, plantarum animas immortales in ſalibus latentes ſuſcitari denuò poſſe, & in glacie vel aliter formas ſuas oſtendere idem apparet, qvandoq; absqve glaciè è ſolis ſalibus in aqva ſolutis, qvandoqve è lixivio congelato, id eſt, in ejus ſuperficie, ſed melius in vaſe longo, ubi planta tota apparere poſſit. Idemq; D. de Linga Lutetiæ peregrinum vidit vaſa ſigillata multa, ut ea à qvercetano memorata habens, qvi qvinq; aſſium pretio oſtendebat in eis plantarum reſurrectiones, erant autem vaſa aqvâ ſemiplena, dum autem moderatè calefiebant, in iis plantarum phantaſmata cum

propriis figuris & coloribus erumpebant utpote roſæ, tulipæ, &c. Calore vero amoto in priſtinũ chaos redibant & evaneſcebant, utinam, qvi tantum arcanum habent, illud publici juris facerent, cùm innumera ad Phyſicæ emendationem neceſſaria ab eo dependeant. Vide obſ. de plantarum phantaſmatibus.

Notandum etiam eſt D. de Hardi celeberrimum Pariſienſem Senatorem ac eruditiſſimum mihi oſtendiſſe nucis figuram rudem formatam ſponte ſua in oleo nucum coagulato in patellæ fundo: dedit mihi Dominus Barlet peritiſſimus Chymiæ artiſta etiam fæcem qvandam ſic in patella coagulatam, in qva plantæ figura percipiebatur, qvæ verbenacæ non erat abſimilis. Idemq; oſtendit nobis plantam miram inſtar alti juniperi, integram, cum multis ac innumeris ramuſculis ab unico trunco manantibus, in medio vaſis ſponte ſua è Tartaro Vitriolato ortam, viſa fuit etiam à D. la Novio qvi eam ab illo dono habuit & ab aliis multis an. 1655. Ejus altitudo erat 8. digitorum, craſſities qvatuor, ſed mirè in albam arborem cum foliis copioſiſſimis ac mirè diſtinctis creverat.

Vagitus uterinus.

OBSERVATIO LXXII.

CUm multi de vagitu uterino dubitarint, illudqve probet fœtum in utero reſpirare & dormire poſſe, nolui reticere, me certum habe-

re de hac re exemplum in patria, illudq; Lutetiæ, de qvo mihi D. Deſtampes, Medicus celeberrimus Pariſienſis teſtis erit.

Partus monſtroſus.

OBSERVATIO LXXIII.

D. Le Fevre Regius Pharmacopæus peritiſſimus mulierem vidit, qvæ multoties mures partu edidit, qvod mihi etiam ab aliis confirmatum fuit, nec res eſt ſine exemplo, ſimilia enim apud Sennertum legi poſſunt.

Meteorum novum.

OBSERVATIO LXXIV.

TAntum eſt frigus in Moſcovia, ut à viro Nobili ac fide digno teneo, ut non ſolum omnia congelentur ſubitò, ſed etiam aër ſcintillulis inſtar atomorum aut talci minutiarum undiqve ſcintillat, qvemadmodum ad radium ſolarem atomos vel corpuſcula qvædam volitare cernimus ad feneſtram, qvod fit à vapore qvodam tenui in aëre pendulo, tenuis autem eſt, qvia frigus impedit craſſiores, aëris ſerenitas & luciditas mira ejus tenuitatem comprobat, vaporis vero illius atomi leviſſimæ congelantur & per aëra volitant: tantum autem eſt frigus illic, ut feratur aurigam congelatum in curru remanſiſſe & ſic mortuum ab eqvis vectum domi fuiſſe, dum tanqvam vivus flagrum tenens currui inſideret. Frigore etiam collabuntur au-

res vel congelantur, & frictioue nivis ſola curantur.

De ferri in cuprum converſione.
OBSERVATIO LXXV.

MUlti agyrtæ curioſis promittunt & faciunt ferri in cuprum mutationem. Unde curioſi exiſtimant cum coſmopolita ſe portam apertam habere ad ulteriora, qvod parvam illam habeant tincturam, ſed ut huic experientiæ non amplius innitantur, fallaciam hanc nunc detegere decrevi, ferrum bulliunt vel coqvunt in aqva Vitriolo impregnata, (vitriolo inqvam maculam rubram in ferro facienre frictione ſola, vel Cyprio, in qvo multa latet venus, eſt enim aliud nullam dans maculam, ſed atramenta optima faciens qvod ferro ſolo conſtet, unde tota procedit nigredo. Atramentum enim ex Vitriolo ſolo ferri poſt ejus ſolutionem in aqva forti parato conficies) ferrum autem paulatim corroditur & attrahit cuprum in Vitriolo latens & ſic creditur converſum licet nulla fuerit facta transmutatio.

Hæc refero, non ut transmutatoriæ arti qvicqvam derogetur, cum eam veram eſſe non dubitem, ſintq; nonnulli Lutetiæ, qvi verum cuprum generare ſciant. imo qvi in aurum omnia metalla commutent puriſſimum, poſſemq; eorum nomina recenſere, ſed cum res fiat cum pauco lucro erit tantum curioſis pro veritatis argu-

argumento, fit vero ſine ulla auri immixtione, & totum plumbum, &c. in aurum commutatur, ſi qvis de hac re dubitet, potero illi virum hæc callentem producere.

Oſſa lapidea.

OBSERVATIO LXXVI.

NOn tacendum eſſe cenſui cranium illud maximum patagonii viri ſemilapideum, qvod apud D. Robinum Pariſienſem Chirurgum curioſiſſimum vidi, eſt enim giganteum & craſſiſſimum & præterea ſemilapideum. Os etiam tibiæ giganteum ejuſdem naturæ Lutetiæ etiam vidi apud D. Lumague.

Baculi contuſiones & fracturas contactu ſolo curantes.

OBSERVATIO LXXVII.

NOvam & inſolitam fracturarum & contuſionum curam, ut & Hæmorrhagiarum hic referam, ſed experientia aliena millies comprobatam, nempe à Juſto Lagneo Medico non obſcuro, qvi innumeros ait ſe baculorum ſuorum frictione ſola curaſſe, ſemetq; ipſum à brachii fractura à currus rota, absq; ullo remedio liberaſſe. Sunt a baculi Magici ſeu conſtellati, qvi ad certam aſtrorum diſpoſitionem reſecantur, unde vires eorum procedere ait. Utut ſit ejus arcani, qvod maximi facit, ecce deſcriptionem. Coryli virgultũ ab internodio uno ad aliud, digiti

giti minimi ad manus craſſitiem æqvans,idq; ſ
le in arietis ſignum ingreſſum faciente, unico
ictu ſecetur & cera Hiſpanica utrinq;, ſigillet
ne vires ac ſpiritus amittat. Sicq; ſervetur ad u
ſum, fracturas a., ſed præcipuè luxationes,cu
contuſione baculo illo aliqvoties perfricabis
ſufficiet, ſicq; ait qvaſi incantamento curari.

Baculus curans hæmorrhagias omne

OBSERVATIO LXXVIII.

IDem Medicus alium baculum eodem mod
parat ex fraxino, cum Sol & Luna in arie
conjunguntur & ſola ejus admotione omn
aſſerit ſedari Hæmorrhagias.

Præſagium frigoris ex cepæ pelliculis

OBSERVATIO LXXIX.

A Ruſticis obſervatum eſt, cepæ pellicul
ſolito fortiores hyemis frigoris immodici fu
turi prænuntias eſſe. Natura enim alma & be
nigna mater, rerumq; præſcia, fœtus ſuos cura
& munit adverſus externas injurias juxta eor
ſubſtantiæ mollitiem vel ſoliditatē, ſic conchy
liis, qvod cute & oſſibus carerent cruſtas ded
fortiſſimas, in qvibus gloriosè & absqve met
tanqvam magnates in curribus, & nautæ in na
vibus maria percurrunt,ſicq; de cæteris,è contr
ubi calor viget.pilis animalia deſtituit & ubi fri
gus villoſa producit animalia. Sic cum cepa
pelliculæ tenuiſſimæ ſunt,non magnum ſpectā
dun

ũ erit frigus, at ſi craſſæ. maxima futura eſt hyms, ut à multis ruſticis pro re veriſſima accepi.

Dementia à matricis Symptomatibus modo inaudito curata.

OBSERVATIO LXXX.

VIrum novi, cujus uxor in dementiam inciderat à matricis Symptomate novo planè, & non qvod ſciam, huc uſq; auditum, ſed cum me rogaverit, ut nomen ejus ſilerem, illud reticebo, cum autem nullo levari poſſet remedio, maritus ejus magnetẽ D. La Novii viri Clariſſimi Pariſini mutuò accepit, qvo ventriculo admoto & per tempus aliqvod ſic allato, curata planè fuit & mens ejus in bonum ſtatum priſtinũ revocata.

Delirium ab inedia.

OBSERVATIO LXXXI.

D. Celarerii Rupecurvenſis juxta Caſtrenſem Urbem ancilla, in delirium incidit, adeo ut neſciret planè qvæ diceret, ſtatim adſtantes exiſtimantes, eam morbo graviſſimo qvodam detineri, mortemq; imminere, multa facienda ei curarunt, ſed poſtqvam cibum accepit, curata eſt ſubito, hæc enim à ſola inedia, qvam per triduum, neſcio cur, ſibi ipſa præceperat, procedere faſſa eſt.

Lactis copia prodigioſa.

OBSERVATIO LXXXII.

MAria Caron Bononienſis Galla cupediarii filia,

filia, Caſſieriiq; veſtigium ſartoris uxor tantar lactis copiam qvotidiè fundebat è mammis, u non ſolum duos pueros optimè lactaret, ſed eti butyrum è lacte ſuo conficeret pro pharmacc pæo qvi eo ad curam Phthiſici utebatur, tar qvam arcano optimo ad tabem, nullum enir eſt remedium eo præſtantius.

Hæc autem ſubitanea lacti s poſt cibum ge neratio, denotat lac non à ſanguine elaborat generari, ſed eſſe Chylum, qvod & autopſia plu ries vidi in canum lactantium reſectione, cun eruditiſſimo D. Pecqveto & ramos vidi Chyliſe ros ad mammas è ſubclaviis derivatos, chylu enim à Veſicæ ſua, ad qvam meſaraicæ lactea juxta renes colliguntur, aſcendit per ductun usqve ad jugulares, ubi miſcetur ſanguini & ac cor tranſit, qvæ omnia multoties vidimus.

Cochleæ lapideæ.

OBSERVATIO LXXXIII.

NOn procul ab urbe Caſtrenſi, in rupe Lu- nelli vocata, limaces multi reperiuntur la- pidei multarum ſpecierum, & juxta urbem Lau- tricenſem tribus abhinc leucis, limaces marini lapidei albi & nigri etiam reperiuntur, alibi etiam conchas varias reperi marinas, & alia multa lapidea, ut apud Ruthenos circa urbem Milhauenſem, ut & circa Monſpelienſem urbem,

ubi

ibi oſtrea magna lapidea, mytulos, imo piſces lapideos inveni; Lutetiæ vero multa marina animalia mihi oſtenſa fuere à curioſiſſimo noſtro la Novio, utpote gammarum, erinaceum marinum ejusque diverſas ſpecies aliaq; pleraqve lapidea. Qvæ omnia oſtendunt, hæc ibi ab antiqvo remanſiſſe diluvio, (reperiuntur enim in valde remotis à mari locis,) vel à ſede marium paulatim mutata, (ut probabo libro meo *de facie orbis mutata*, utq; alibi de dentibus draconum... m obſervavi,) mare enim ab innumeris locis receſſit. ut patet in urbe foſſarum Marianarum, in Batavia, &c. Idem enim confirmatur Hiſtoria Lud. Guyonis, de anchorarum navi & 40 ... eletis procul à mari repertis, dum fieret foſſa profunda. Hæc autem animalia lapidefacta vera fuiſſe olim animalia & non naturæ luſus patet, in eo qvòd conchæ nunc ſeparatæ, nunc junctæ optimè, nunc malè conjunctæ reperiuntur & qvod internæ partes etiam in iis cum ... ctibus reperiantur, ut vidi ibid. in Nautilo lapideo.

Ad tonſillarum & uvulæ inflammationes.

OBSERVATIO LXXXIV.

Optimum ad eam remedium eſt, ſi terra ſigillata tangantur, vel in juſculo ſenſim deglutiatur.

Non

Non inutilis eſt etiam ad uvulam à ſede mu-
tatam piperis cantactus.

Ad mala vero hæc aliaq; omnia faucium o-
ptima ſunt mora, vel eorum Syrupus, aut Paro-
nychia planta appoſita contuſa.

De priapolithis.

OBSERVATIO LXXXV.

LIcet de hiſce lapidibus à me primo propalat[is]
& nomine donatis, in antiqvit. meis Caſtren-
ſibus egerim, tamen qvia Gallico ſermone li-
brum illum conſcripſi, & ſic ad exteros perve-
nire non potuit, non pigebit, qvædam hic de i[is]
adhuc repetere.

Reperiuntur juxta Caſtrenſem Urbem lapi-
des ſubalbi, rotundi & oblongi, figuram penis &
qvandoq; vulvæ habentes, & aliqvando ſed ra-
rius teſticulis inſtructi ſunt & balano, in medi[o]
vero eorum percurrit vena Cryſtalli puriſſim[a]
adeo ut totus lapis ut cepa cuticulis variis con-
ſtructus videretur, tantum ex ejus impuritatib[us]
& excrementis ejectis vel ſcoriis conſtare, ni ma-
nifeſtè perciperetur, lapides illos augeri non ſo-
lum, ſed etiam ſimiles ſibi procreare. Reperiun-
tur enim primo aciculæ magnitudine tantum
ſed tamen non ſunt cryſtallo deſtitutæ, reperi-
untur etiam majores & uſq; ad craſſitiem fæ-
moris, ſaxis qvandoq; incluſi, ſunt autẽ in mon-
ticulo, qvi totus iis conſitus eſt, adeo ut nulli il-
lic alii lapides reperiantur, Sed in magnis reperi-
tu[r]

tur aliqvoties terra rubra loco cryſtalli parvulis priapolitis intus generatis pleni, adeò ut videantur matres fœtibus prægnantes, & ſi non ante tempus aperiantur, ſponte ſua aperiuntur & qvaſi parturiunt. Qvod aliqvo pacto confirmare videtur, qvæ apud multos Phyſicos de adamantibus alios adamantes parturientibus leguntur. Errarunt ergo, qvi contra Cardanum vitam lapidibus & metallis vegetationemq́ue negarunt. Corallũ ſibi etiam ſimile facit lacte ſuo in ſummitatibus ſurculorum reſidente in locis, ubi decidit, qvod admirandum, ideoqve fit, ut nunc in concha, nunc in calvaria, nunc alibi repertus ſit, viſa enim eſt calvaria humana, in qva creverat, qvæq́ue ab eo undiq́ue pertuſa fuerat. Memorantur etiam lapides Indici, qvi dum maturantur, crepitu aperiuntur & diſſiliunt gemmas producentes. Videturq́ue in ætite lapidem generatum eſſe callimum, qvem qvidam putant tandem exiturum ſponte ſua. Exiſtimo priapolithos noſtros vim habere ob ſignaturam ſuam adverſus morbos genitalium partium, venereosqve. Notandumq́ue præterea, eorum qvosdam rectos, alios incurvos reperiri, aliosq́ue cancroſos & tanqvam venereo contagio eroſos, & è contra alios nitiſſimos & ferè cryſtallo usqve ad ſuperficiem refertos.

Fulminei lapides.

OBSERVATIO LXXXVI.

FErunt Avicenna aliiqve multi, ſaxa ingentia è Cœlo cecidiſſe, & ſatis innotuit hiſtoria lapidis à D. Borrilly in Provincia aſſervati 55. Librarum ponderis, qvi è Cœlo deciderat & inſtar dolii ignei cum maximo ſtrepitu lapides omnes terræ circumjacentis ætate noſtra calcinaverat de qva Gaſſendus noſter diſſeruit, ſed adhuc recentior eſt caſus lapidis, qvi Varſoviæ turrim carceris deſtruxit, cujus moles bina vitulina capita æqvare poterat, ſulfuris odorē undiq; fundentia, hujuſce fruſtula ſubnigra & qvaſi vitrea nobis D. de Noyers Reginæ Poloniæ Secretarius oſtendit: talem Nobilis Liergueus Lugduni ex Bartholino habuit, & D. Morinus Mathem. Profeſſor Pariſinus plures lapides vidit è Cœlo delapſos apud Divionenſes, cordis figura donatos & ponderis decem Librarum. Idem legitur apud Albertum Magnum & alios. Parvos ego etiam aſſervo cuneiformes ſubnigri coloris & duriſſimos. Valent ſi ferantur collo appenſi ad Variolas & morbillos ab ovilibus arcendos.

Robiginum origo.

OBSERVATIO LXXXVII.

IGnoratum huc usq; fuit, unde oriantur robigines ſeu tetri qvidam vapores ac pluviæ, qvæ vites, arborum flores, fructus, triticum, &c. per-

dunt maculisqve mortiferis lædunt, ac ſi aqvis fortibus contacta fuiſſent, nec minus animalib9 etiam aliqvando nocent. Sciendum autem eſt, revera vapores illos eſſe naturæ aqvarum fortium, imo aqvas fortes ipſas, erumpunt enim calore ſubterraneo è mineralibus ſpiritus lethiferi. Sed hæc multis innoteſcunt, nec ſunt ea, qvæ dicere inſtitui. In hac obſervatione oſtendere decrevi hæc absq; dæmonis ope à vero mago, id eſt ſapiente fieri poſſe, imo ad certos agros ſolummodo demitti, Meteora enim arte parari poſſunt. Poſſemq; hic pluvias arte paratas, &c. ex Paracelſi arcanis modum recenſere, poſſem fulmineos lapides ſubito generatos arte ex Carteſii invento etiam referre, ſed hæc cum multis aliis ad Magiam meam remitto naturalem, hic tantum dicere inſtitui, me obſervaſſe, qvod è fornacibus, in qvibus Calx, lateres, vitra, &c. coqvuntur & funduntur, imo ex iis, in qvibus metalla magna copia vel funduntur, vel cum antimonio & aliis mineralibus probantur, vapores elevantur ponderoſi & noxii qvi non procul abhinc, niſi ventis agitentur & procul pellantur, in ſata decidunt & qvaſi aqvæ fortes & in Chymicorum fornacibus reſoluti, ea comburunt & deſtruunt. Cœlum enim eſt tanqvam alembici caput, terra vero inſtar cucurbitæ, unde vapores elevantur & ſuperius coagulantur & rurſus in ima decidunt.

De Mercurio plantarum.
Observatio LXXXVIII.

AUſi ſunt non pauci,audentq; adhuc aſſerere, ſe argentũ vivum ad metallorum metamorphoſin ex ſangvine, ex plantis multis utpote Lunaria,argentina, Mercuriali, &c. extrahere poſſe,& ad confirmationem rei iſtius dicunt, in alpibus argentum vivum in arborum foliis & radicibus, ut & radices herbularum & ſub fœni acervis cerni. Hæc multos ad illud credendum impulerunt, ſed certum eſt, nullum educi argentum vivum ex plantis,& niſi mixtis rebus Mercurialibus in operatione, utpote cinnabari, &c. neqve ex animalibus, niſi Mercurio ipſo perunćta fuerint ad morbi cujusdam curam. Sed ſi ſub fœno& radicibus,&c.repertum fuerit, illud factum fuit à vaporibus Mercurialibus qvi juxta radices,folia, aliaqve omnia coagulantur, vel ſub ſaxis & fœni acervis tanqvam in alembico,imo aliqvando à ſolo aëre in terræ ſuperficie. Non ſemel enim circa Urbem caſtrenſem à ruſticis terram arando repertum eſt, ut mihi relatum fuit, viſumq; per ſulcos currere & devolvi. Poteſt enim per aëra vaporis forma volare,& ad prima, qvæ occurrunt, ſeſe inſinuare, ubi condenſatur. Ut accidit Nobili cuidam, qvi enſem cum manubrio deaurato emerat, dumq; coram officina deauratoris cujusdam qvi argento vivo utebatur,aliqvantulũ conſtitiſſet, enſem album

vidit,

dit, & qvaſi carmine qvodam magico mutatum, unde valdè ſtupuit, ſed tandē cauſam agnovit.

Ignis ſecretus.

OBSERVATIO LXXXIX.

MUlti Chymici ardentiſſimè ignem qvendam ſecretum qværunt, qvi diu perduret, & cum parvis tamen expenſis. Utuntur nonnulli carbone trito in Athanore, ſeraturis lignorum, tomentis coriariorum, vindemiæ fœcibus, &c. alii calore proprio, humano ſc. ad ova fovenda Philoſophica utuntur, vel calore Gallinæ, alii calce fimo eqvino mixta aliqvoties renovatâ, qvæ duo ultima non inepta ſunt. Sed ad expenſam omnem vitandam fieri poſſet, ſi juxta balneum vel furnum publicum habitaret operator, & calore ejus in cineribus ad murum aptatis uteretur, vas nunc parum removendo, nunc ê contra admovendo juxta furni calorem auctum. Alii adhuc utuntur motu qvodam ferreæ machinæ perpetuo, qvo calor excitatur, ſed qvidam ſunt Philoſophi, qvi ignem vaſi includere ſciunt diuturnum, & in ipſo alembico, in qvo ignis eſt, pendent etiam ovula Philoſophica cum aurichalchi tranſverſis filis. Viſum fuiſſe ignem in vaſis ſigillatis aſſerere poſſem multorum teſtimonio, qvi ea Lutetiæ viderunt referre. Sed mihi à Sarrano magni Serrani filio revelatum fuit, ſe idem vidiſſe & didiciſſe ab Arabe, dixitq; ignem illum ſulfure & tartaro tritis conſtare, aqvæ vi-

tæ mixtis, qvæ accendi debent in alembico & deinde claudi, dumqve ſtillaverit aliqvid, reponendum erit ſupra fœces. Hæc curioſa de igne tacenda eſſe non cenſui. Hoc unicum addam, qvod non dubitandum eſt, poſſe ignes dari diuturnos, ſi ex materia diſſipatu difficili conſtent, cum lucernis antiqvorum, qvæ per mille annos lucem fuderant, mille hiſtoriis comprobetur, de qvibus fusè egit Licetus, de lucernis antiqvorum, Erneſtus Burggravius in Biolychnio, ſed doctius Daniel Sennertus capite de longa inedia, eſt enim materia qvædam conſumptu difficilis in corpore urſorum, limacum & aliorum animalium, qvæ cibo deſtituta per ſex menſes remanent, oleo harum lampadum inſtar ejus Tulliolæ Ciceronis filiæ analoga, qvæ pituita qvædam eſt.

Mulæ partus.

OBSERVATIO XC.

NUllam eſſe regulam abſqve exceptione, alibi diximus, qvod veriſſimum eſt, natura prolifera non fecit animalia, qvæ ex variarum ſpecierum mixtione ortum ducunt, ſed tamen licet mula ex aſino & eqva oriatur, tamen viſus eſt mulæ partus & inter prodigia à Romanis recenſitus, ut videre eſt apud Julium obſeqventem, Titum Livium & Lycoſthenem. In urbe Albigenſi etiam ætate mea idem accidit. Euſebius Nierenbergenſis hinc qvædam præſagia de-

deſumit, aſſeritqve mulæ partum indicium olim fuiſſe & omen Babylonicæ ſervitutis.

Ad viſum reſtaurandum.

OBSERVATIO XCI.

Piſcis qvidam reperitur alpuit vocatus, qvi ad ranam marinam aliqvo modo accedit, cujus inteſtina in vaſe vitreo ad ſolem Caniculæ tempore ſuſpenduntur & in oleum reſolvuntur, cujus guttæ aliqvot in oculum inſtillatæ viſum ferè amiſſum reſtituunt, idem de lampetra mihi aſſertum eſt fluviatili ab eruditiſſimo Gaffarello, qvi Florentiæ hocce arcanum accepit, qvo curata fuit Nobiliſſima qvædam conſangvinea magni Ducis à Judæo Medico, magno pretio, duxq; ejus arcanum majori adhuc emit pretio, ut illud omnibus patefaceret. Credunt non-nulli & non abs re, piſcem hunc fuiſſe eundem, qvo Tobias patrem juſſu Angeli ſanavit, denotat enim piſcem fluviatilem longum, imo ſerpentem ex qvibusdam, eumq; voracem, ſcimus autem Lampetræ figuram talem eſſe, reperiri in fluminibus, & voraciſſimam eſſe, ut de qvibusdam legitur in ſtagno ſervatis, qvæ vorabant homines.

Mucilago ſeminis Pſyllii optima eſt etiam, ſi cum aqva roſarum extrahatur ad oculorum vitia, ut & Serici tinctura Chymicè elicita.

Tubera plantis reſtituta.
OBSERVATIO XCII.

MUlti imò ferè omnes Phyſici aſſeverarunt, tubera radicibus carere, ideoqve inter plantas non debere annumerari, & nuper idem aſſeverarunt Nardus de rebus Indicis, & Joh. Faber in ſuis commentariis. Sed ſciant velim, ſe non probè rem perſpexiſſe, ego enim radices in iis inveni imo palmi longitudine, qvarum ope ſuſtinebantur, verũ eſt, adeo exiles eſſe radices licet in tubere magno, ut ferè viſum effugiant, qvare ut plurimum absq; illis avelluntur. Hinc orta erat fabula tubera à Tonitru generari.

Vomitus menſtruus qvàm utilis.
OBSERVATIO XCIII.

TRadunt Herodotus & Diodorus Siculus, Ægyptios & Chaldæos vomitum ſingulis menſibus inſtituere ſolitos fuiſſe, qvod fortaſſe à canibus acceperant, ut ab Hippopotamo Phlebotomiam, ab ibide enemata & ab aliis Ægyptii animalibus, alia remedia deſumpſerant. Canes enim ab iis adorati fuere; vel ſaltem Deos habuerunt canicipites, & canes ſolent ſibi graminis eſu vomitum ciere, forſanq; illum ob hæc adorarunt, tanqvam remedii iis ſalutiferi inventorẽ.

Præterea illud obſervatione confirmare poſſum, Pater meus vomitum ſic per ſingulos menſes inſtituit ab alio edoctꝰ, qvi idem faciens longævam

gævam attigerat ætatem, ille vero jam 70. attigit feliciter annum, pennam autem novam vel fuſum accipit, qvibus palatum tangit, ſicq; diu manet caput ad inferiora demitttens & paulatim erumpunt aqvæ claræ tanqvam fonticulum facientes in fuſi oppoſita parte, & poſt aqvas veniunt aqvæ verſicolores & amariſſimæ, qvæ cum difficultate emittuntur, & ſic levari aſſerit à multis infirmitatibus, easqve ſic præcaveri.

Planta monſtroſa.

OBSERVATIO XCIV.

NOnnulli autumarunt inter animalia tantum monſtra reperiri, ſed ſciant inter plantas & Mineralia etiam reperiri. Qvod ad plantas attinet, hic unum tantum referam exemplum cyſti. Plantam vidi cujus folia alia folia & hæc alia rurſus usq; ad ſex qvæ ſic invicem ab unica ordine producebantur, ut in ficu Indica ſeu opuntia. Sic gemmæ junctæ reperiuntur.

Stannum aliaqve metalla à muribus corroſa.

OBSERVATIO XCV.

RIdiculum apud multos eſt, dicere, mures metalla comedere poſſe, res tamen vera eſt, virumqve novi, cui globulorum plumbeorum pro tormentis bellicis ſupra libras centum deſtruxerant, & voraverant, D. la Pierre vocatur, Nobilisq; Caſtrenſis eſt, idq; ei accidit dum bel-

licarum machinarum cuſtos & director eſſet. Idem peſtis tempore de vaſe ſtanneo à muribu apud me corroſo dicere & affirmare poſſum qvod nil eſui aptum forſan reperiſſent, cum urb incolis deſtituta fuiſſet. Qvidam cenſent mure ludi gratia id facere, nec revera metalla vorare at è contra revera illa vorant & concoqvunt a digerunt, ut ſtruthiocamelus & alia animalia qvæ ferrum, aurum, uniones, &c vorare poſſunt

Viſus eſt etiam homo, qvi auream monetan voraverat, qvæ eo mortuo in globulum redacta fuiſſe reperta eſt, in ſtruthione etiam moneta ſemieroſæ repertæ ſunt poſt mortem. Hæc à Langio oculato teſte confirmata fuere. Legimq etiam Lavinii argenteos clypeos à muribus antiqvitus eroſos fuiſſe, & apud chalybes in ferrariis officinis magnam ab iis jacturam facere operarios, qvod mures ferrum eorũ vorare ſoleant.

Ungves ad radicem concavi.

OBSERVATIO XCVI.

Non hic tacendum cenſui novum affectum qvo laboravi, ungues omnes digitorum in medio circa radices eorum concavi mihi facti ſunt, neſcio, an illud mihi ab uſu aqvæ vitæ venerit, qva tunc utebar, cum enim ceſſavi ab ejus uſu curatus fui, & præterea recordor, me legiſſe apud Mizaldum Cent. 3. animalia qvadrupeda vinum bibere ſolita ungvibus carere.

Magi-

Magica multa falsò exiſtimari.
OBSERVATIO XCVII.

MAximam magia ſibi famam comparavit nimia hominum, circa anicularum hiſtorias & mendacium narrationes, credulitate, & ignorantia, qvæcunqꝫ enim ignari non percipiunt ad magiam detorqvent; imo & tanta fuit ſenatus cujuſdam ignorantia ut curioſum Geomantiæ ad mortem damnaſſent, figuras ejus pro rebus nefariis & diabolicis ſumentes, niſi unius eorum amici mei monitu decretum revocaſſent, qvi rem totam iis explicavit. Si autem naturalis magiæ homines gnari & curioſi eſſent, perciperent pleraq;, qvæ dæmonibus tribuuntur, vel ab ea procedere, vel à caſu, vel aliis à cauſis alibi à me recenſitis, multi enim ſunt, qvi ſecreta habentes, ſe magos eſſe coram ignaris jactitant, licet nullo modo ſint. Multa talia referre poſſem, ſed unico caſu contentus ero. Ingentes & qvaſi tormenti bellici ictus ſæpe ſupra caput in lacunari audivit tota noſtra familia aſcendimus ſupra, nilq; percepimus, cum autem ego rem ad magos detorqvendam non eſſe concederem, diu cogitans unde hæc procedere poſſent, tandem inveni, hæc veniſſe à clavis qvibuſdam aſſerum, qvi ob earum tumefactionem à tempore nimium humido conatus facientes, eos extra ſedem expulerant. Sicqꝫ multoties multa detegi ſedulitate mea, qvæ ab aliis pro magia habebantur.

Sic

Sic etiam accidit, qvoſdam caminorum mundatores fuiſſe in cubiculo forte clauſos & clavem amiſſam, qvare per caminum exiverunt ſuum & rurſus per alium deſcenderunt caminum in cubiculum militum ludentium & jurantium qvi nigros illos homines pro Diabolis accipientes aufugerunt non parum perterriti.

Multa talia referre poſſem exempla pulcherrima, ſed ea pro lib. de *magiæ vanitate* ſervabo.

Ad capitis tremorem ſenilem.

OBSERVATIO XCVIII.

ACcipe pavonis fimum & cum aqvæ vitæ ſ. q. diſtempera, eoq; utatur in potu, tribus vicibus matutinis, fimus vero ad dragmam unam pro qvalibet vice ſufficiet, & curabit ſenum importunos capitis tremores.

Ad viſum corroborandum.

OBSERVATIO XCIX.

QVibus viſus adeò imminutus eſt, ut non conſpicillo etiam ſatis videant, vel bina, vel terna, vel qvaterna conjungant ejuſdem ætatis conſpicilla & res multo majores, qvam antea imo & diſtinctiores cernent, qvod non eis parum utile erit, poterunt autem ea unico involucro conjungere.

Mirus

Mirus caſus mulieris ſuſpenſæ.

OBSERVATIO C.

HIc coronidis gratia caſum Pariſienſem à multis mihi confirmatum non reticebo. Suſpenſa fuit anus, qvæ dum à carnifice agitaretur, à capite ſeparatum eſt corpus ejus & ad terram decidit, qvod funiculi vi factum & ob ſenilem fortè ætatem.

Epilogus.

Jamq; opus exegi, tertiæ Centuriæ, qvartam adhuc promiſſam accipe, in qva non minora invenies, nil enim tibi vulgare referre volui, vale & laboribus meis fruere, utinam tibi omnia mea maxima opera communicare & otium & opes permitterent.

APPENDIX,

Ad Tertiam

OBSERVATIONUM CENTURIAM.

AD obſ. 22. D. Ponartin Chirurgus picto hos lapides invenit fortuito.

Ad obſ. 33. Mortui ſunt tres eqvi anno 1656. D. Præclari Belgii legat. Guil. Boreel. in qvorum inteſtinis innumeri longi vermes reperti ſunt, ut & in adipe circa inteſtina.

Ad obſ. 34. Non tacenda eſt cura admiranda, qvæ apud Indos familiaris eſt, qva utuntur ad aqvas & pus educendum, &c. nec relata eſt à Bon-

à Bontio in Libro ſuo de Medicina Indorum
Innumeras acus aureas capillorum vix craſſit
attingentes poris corporis humani inſerunt
deinde eas extrahendo effluit materia : aliqva
do mille ejusmodi acus infigunt.

Ad obſ. 46. dubitant multi de rerum Symp
thiis & præcipuè de pulveris Sympathici viribu
ſed malè, ut ſeqventibus videbunt obſervation
bus. Clariſſimus & Celeberrimus Vir Kenelmu
Digbæus, qvi utraq. minerva ſibi nomen facien
undiq; fulſit, primus eſt qvi è Barbaria pulvere
illum ejusq; arcanum attulit, & tantas ex eo cu
ras fecit, ut pro mago à nonnullis haberetu
Rexq; magnæ Britanniæ effecta hæc propri
cernere oculis voluerit, qvod ad ſatietatem v
dit, dumq; lintea ſangvinea in aqvā vitriolo con
muni ſeu euperoſo imprægnatam (præſtat enin
calcinato,) infundebantur, levabantur ægri a
inflam̃ationibus & doloribus, ſi vero igni admo
verentur, cruciabantur. Idem expertus eſt do
ctiſſimus D. de Loberie Presbyter Pariſienſis cu
rioſiſſimus. Qvo pacto autem hæc fieri poſſin
breviter dicam, tranſpirationes corporum om
nium ad Sphæram maximam devehũtur per lu
minis radiorum reflexionem & per ventum & c
imò aliqvando ad 60. & centum Leucas, hinc fi
qvod qvi Hiſpaniæ oras conſcendunt maritima
odores Roriſmarini à 60. Leucis percipiant, qvi
qve ex India Europam petunt, terræ odorem
longinqvo etiam naribus carpunt; ut Columbu

de

le India fecerat, & inde novæ terræ argumentũ
leſumebat. Sunt præterea magnetes in rebus
omnibus, qvi tranſpirationes rerum alliciunt,
præcipuè ſimiliũ. Sic accidit D. Ferrerio Chymi-
co operatori percelebri, qvod cum roſarum eſ-
ſentiam facere decreviſſet, roſas in cella vinaria
fermentationis ergo reliqverat, deinde oleum
tartari in eadem cella faciens illud oleum roſas
planè redoluit, qvoniã roſaceas atomos per cel-
lam ſparſas attraxerat, poſtea odorem illũ amiſit
ſed año ſeqventi roſarũ tempore eũ recuperavit
& ſic per 12. annos & plures idem fecit adhucq́;
facit, qvia atomos roſarum per totum aerem vo-
litantes dum florent Roſæ, ab aere ſeparat & ad
ſe allicit magnes ille roſaceus in illo deliteſcens.
Sic turbantur vina Anglica etiam in cellis, dum
Gallicæ florent vineæ, à qvibus delata fuerunt in
Angliam, Magnesq́; ille vini Anglici Gallicas vi-
ni atomos attrahit. Idem in tritico, fructibus &c.
accidit qvotidiè, qvæ alterantur florentibus ſi-
milibus, carnesq; in artocreatibus corrumpun-
tur, vel guſtũ perdunt, dum æſtu amoris perci-
ta ſunt ſimilia animalia, qvorum carnes in arto-
create poſuerunt. Per eaſdem Sympathias no-
cemus viris & pueris præcipuè, ſi carbones vivos,
ſulfur incenſum, & ferrum candens in ſtercora
eorum immittamus, nocemus & vaccis, &c. ſi
earum lac in ignem projiciamus; & forſan ob hæc
in lege Moſis prohibitum erat, ne caro hæduli in
matris lacte coqveretur, qvod à nullo Theologo-
rum

rum, ut opinor, obſervatum eſt, dolores eni[m] matri & lactis penuriam vel defectum faceret.

Viſum eſt etiam caput mortuum ambar[æ] qvæ cum juxta eſſentiam ſuam remanſiſſe[t] eam ad ſe rurſus attraxerat.

Fuit & puer apud D. de Claus Medicum (qvem honoris & ſcientiæ ſuæ inſolitæ ergo no mino,) qvi ad mortem ferè deductus eſt cluni inflammatione nimia, qvæ tamen brevi curat[a] eſt abſtinendo à more ejus fœces ad ignem de ducendi ut D. Digbæus ſupra memoratus ob ſervavit, mihiq́ cum horum majori parte retuli qviq; de iis fusè in docta ſua Philoſophia Dygbeana diſſeruit.

Per eandem attractionem admotio venena torum omnium vulneribus ſuis, repetunt vene na propria inflicta cum vulnere, ut ignis digit ambuſti admotione, ardorem ejus tollit.

Sic ergo per aera fit via qvædam (tanqvam radius ſolis per feneſtram,) ex emiſſionibus re rum, per qvam communicantur Sympathicè remedia morbis admota, & per qvam amici & pater cum filio, &c. ſibi communicant acciden tia, ſicq́ horrore, vel ſenſu qvopiam obſcuro, ſi ægrotent, vel moriantur, percipimus, qvod fit retractione ſuarum atomorum vel ſpecierum intentionalium ad magnetem recurrentium, vel morientium Magnete ſuo extincto, ut perit naſus inſitus mutuatus pereunte eo, à qvo mu tuatus eſt. Sed de his plura alias dicemus.

Ad

Ad obſ. 61. Nota Cataractas non eſſe pellicu-lam, qvæ acu removetur, ſed cryſtallinum humorem obſcuratum, qvem à loco depellit acus ruptis ejus nervulis ſuſpenſoriis.

Ad obſ. 71. in conditura fructus (ribes) ſaccharo confecta vidi multas figuras tanqvã è ſaccharo ſponte conflatas folia ejus arboris optimè referentes.

Ad obſ. 86. anno 1656. Diepæ in mare decidit globus igneus, qvo mare ad 7. palmos auctum multas naves evertiſſe aſſeruerunt, qvod forſan à ſimili magno lapide fulmineo proceſſit.

Ad obſ. 93. fuit & vir longævus in Anglia qvi hanc longævitatem attigerat vomitu ſimili, ſed baculo balenaceo id eſt flexibili, cum linteo in capulo probè alligato & usq; ad ſtomachum per guttur immiſſo omnia in eo contenta rejiciebat baculum enim contorqvendo ſtomachum ſuum tanqvam vas mundebat.

PETRI BORELLI, MEDICI REGII CASTRENSIS, HISTORIARUM, ET OBSERVATIONUM RARIORUM Medicophyſicarum, Centuria IV.

OBSERVATIO I.

De Baſiliſco.

T

Dum

DUm Medicinæ apud Monſpelienſes operam navarem, ad aures meas pervenit natum eſſe ſerpentem in ovo galli apud D. Haguenot Medicum, accurri ad miraculum, & vidi rudimenta qvædam in ovo, ſerpentis figuram æmulantia; illud videtur aliqvomodo antiqvam opinionem de generatione Baſiliſci ab ovo galli „ſtabilire. Sed tamen credo monſtrum illud tantum ſimile fuiſſe illi, de qvo agit Aldrovandus, pingit enim ovum, in qvo caput humanum Meduſæum, id eſt, ſerpentibus multis circumdatum videbatur, abſurdum enim eſſet, ab ovo galli Baſiliſcum ortum ducere, cum cantus galli Baſiliſcos ex naturæ rerum antiſtitibus occidat.

Ova enim ſuaptè natura ad monſtra producenda apta ſunt, reperiuntur enim multa, qvæ duos vitellos continent, unde duplices pulli oriuntur, ſi gallinæ incubanti ſupponantur. Vidi etiam ova qvaſi gemina, duas ſphæras junctas effingentia, notandum præterea Romæ, Nardi relatu, ſcorpiones in ovis duobus repertos fuiſſe. Ex variis illis ovorum figuris & duplicibus vitellis vel albuminibus oriuntur pulli qvadrupedes & alis qvatuor, duobusqve capitibus inſtructi inſtar aqvilarum, qvæ in imperii ſtemmate viſuntur. Ego vero ſæpe tripedes gallos gallinasqve vidi. Aliamqve cum duplici cauda.

Picans

Picans puella ſtercora comedens.

OBSERVATIO II.

VAria abſurda expetunt picantes mulieres, ſed nusqvam ut credo, auditum, qvod nobili mihi notæ Virgini accidit, hæc enim ſtercora humana exſiccata avidiſſimè exoptabat, & pulverata tanqvam tragemata comedebat, latrinarum cruſtas chartæ involutas ſecum ferens. Aliam vidi, qvæ corii odore delectabatur, ut ſemper illud pro maſticatorio in ore teneret.

Unde autem pravi illi appetitus oriantur, exiſtimandum, ni fallor, eſt hæc, à vaporibus malignis ex ſemine, vel menſtruis retentis & corruptis lingvam inficientibus provenire, & qvibus guſtus depravatus eſt, vel ventriculi orificium, in qvo appetitus ſedes eſt. Legimus Ariſtophanem qvendam vocaſſe Medicos fecivoros, qvod qvidam adulatores fuerint, qvi excrementa magnatum deguſtare voluerint. Qvare de illo non inſulsè dixit qvidam, eum dignum fuiſſe Xenocrate Medico, qvi excrementis variis animalium omnes morbos curare ſolitus erat. Sic ego exiſtimarem, hanc virginem dignam fuiſſe talem habuiſſe maritum.

Surditas à fulmine, aliaqve rara de eo.

OBSERVATIO III.

M. Virencus D. de Fontfrede Monſpelienſis Senatoris famulus ſurdus ſubitò factus

 eſt,

eſt, audito fulminis ictu, qvod in ſchola, in qva ille erat, decidiſſet, qvod nimium ſenſibile ſenſorium organum ejus læſiſſet, tympanum enim auris vel qvædam ejus oſſicula, aëris nimio impulſu à ſede ſua remota fuerunt.

Vidi etiam virum mulieremq; qvi ſubito ſurdi facti fuerunt, & deinde poſt ſex menſes ſubitò etiam auditum contra ſpem recuperarunt, facto in aure crepitu, qvod exiſtimo, ab humoribus aures obſtruentibus & tandem in vaporem reductis ortum duxiſſe.

Ad genuum tumores aliosq; cœcos dolores, ut & ad vulnera & ulcera remedium.

OBSERVATIO IV.

AMicus qvidam meus, pede brevis, ob genu tumorem antiqvum nerviqve retractionem, rurſus in genu in morbidum procidit, unde ſubitò dolor ingens & tumor in eo apparuerunt. Aſt hæc omnia, aliis remediis non cedentia ſubitò, balſamo de Fioravanti vocato, cujus deſcriptio in ſua Chirurgia &c. reperitur, curata fuere.

Mira idem Balſamum facit ad vulnera, ulcera, doloresq; cœcos.

Peſtis anni 1629. notanda qvædam Symptomata.

OBSERVATIO V.

PEſtis eſt affectus mala omnia induens Sympto-

ptomata, cordiq; inimicus, ideò variæ reperiuntur peſtes, & ferè ſemper diſſimilia producentes Symptomata. Qvibusdam enim ſenſus invertit, ut in bello Peloponneſiaco accidit, de qva Thucydides, cum lapides ea perciti cumulare non deſinerent. Sic peſte anni 1629. in patria mea graſſante multi tanta phrenitide correpti ſunt, ut nudi per campos currerent, ſicq; eis veſtes darentur, ſtatim eas projiciebant, multoties enim pater meus Jacobo Folraſſio cognato meo peſtifera tali phrenitide detento veſtes dedit, ſed ſemper nudus poſt horas aliqvot reperiebatur, alii in aqvas ſe projiciebant furibundiqve flumina tranabant, alii Hypochondriaca qvadam affectione detinebantur, ſeq; ab hoſtibus ad tergora premi credebant, qvæ ſine dubio à calore qvodam interno procedebant, qvo urebantur, ideoqve & nuditatem, & aqvas refrigerii gratia qværebant. Aliis caliditas hæc caput non feriens ad partes generationi dicatas vergebat, adeò ut tentiginibus irritati venerem exoptarent vehementer. Tanta fuit præterea peſtis illius venenũ, ut ſex millia hominum in ſatis parva urbe profligarit, & fœtus in utero matrum non ſemel ab illo veneno expulſos ante tempus viderim, qvi maculis lividis & exanthematibus ſcatebant.

Anatomia infuſoria vel injectoria.

OBSERVATIO VI.

INvenerunt nonnulli inſufflatoriam Anatomiam,

miam, ego vero injectoriam, Syphone enim lac in venas qvasdam, qvas probè diſtingvere non poteram in placenta pueri vi immiſi, & omnia vaſa mirificè percepi, qvæ mirum in modum aucta erant, & ob lactis colorem diſcernebantur optimè, adeoq́ ut non melius fieri vel exoptari poſſet, ſperoq́ hanc methodum non inutilem futuram, primo enim fugantur ſangvinis reliqviæ per carnis ſubſtantiam, & tandem lac ejus loco introducitur, & usqve ad vaſa capillaria manifeſtantur.

Ad hæmorrhagias præſtantiſſima remedia.

OBSERVATIO VII.

D. Charron Pariſinus vir, eruditiſſimus præcipuè in Lingva Græca, cum narium hæmorrhagia ſæpiſſimè urgeretur, nullisq́ remediis levari potuiſſet, jamq́ de vita periclitaretur. curatus eſt oxicrato cum pannis eo madidis, toti ſpinæ admotis ſæpeqve renovatis. Hæmorrhagia alia à vena ſecta, qvam nemo etiam ſiſtere valuerat, ſolo aluminis tactu curata eſt. Credo etiam, vitriolum & colcothar idem facere potuiſſe, hincqve fit, qvod atramentum ad idem utile eſt.

Fer-

Ferrum motu excandefactum.

OBSERVATIO VIII.

PLumbum ſagittarum projectarum ex Ariſtotele liqveſcere per aëra viſum eſt, rotæqve curruum motu nimio excanduerunt. Calorem maximum frictione contra lignum concipit clavus aurichalceus, incusqve, in qva aurum malleant ejus bracteatores, ſed nusqvam auditum, ut credo, ferrum ſub malleo non ſolum caleſcere, ſed adeo excandeſcere, ut rubrum & ardens omninò ſit imò æqvè ac ſi ab igne violentiſſimo exiviſſet & flabellorum vi excanduiſſet, & ſulfur ſubitò accenderet. Illud propriis vidi in patria oculis multoties, ſi chalybs enim digiti minimi craſſitie incudi imponatur & crebris petatur undiq; ictibus, illud nunc à latere uno nunc ab alio percutiendo, idem poſt paucos ictus videbit hujus rei curioſus. Motus enim calorem excitat, ideo agitatione hyberna caleſcimus, & exercitiũ pauperis ignis eſt. Ideò non abſurdum eſt, dicere calorem ſubterraneum & ignem centralẽ terræ à motu terræ procedere; à ſole enim non provenit, cum regiones variæ ſubterraneæ id contra eſſe teſtentur, prima enim terræ Regio & altior, ſeu ejus ſuperficies à ſole calefit, cujus radii ne ad ulnam qvidem penetrant, ſecunda frigidior eſt, tertia & qvarta usqve ad centrum ſemper calidiores exiſtunt, qvod fodinarum inqviſitores ſenſibus propriis perceperunt.

Unde fiat, multos Scævolas eſſe, id eſt, pro dextra uti, & de ſtrabonum & claudorum cauſa.

OBSERVATIO IX.

NEmo, ut opinor obſervavit, unde fiat qvosdam ſiniſtra manu ad omnia facienda uti, & non dextrâ inſtar reliqvorum hominum;at cum illud ægrè multi ferant, cauſam ejus huc usqve ignotam tacere nolui, cum facillimo præcaveri poſſit remedio. Qvemadmodum pueri ſtrabones fiunt, ſi eorum nutrices candelam à latere eorum & non è directo ponant, & non ſecus ac iidem pueri claudi fiunt ſi per tibias vel partes alias inferiores eos teneant eosqꝫ ibi exagitari hinc & inde permittant, oſſa enim eorum tenera hoc pacto contorqventur. Sic etiam, ſi ſemper pueros ſuper brachio eodem ſemper ferant, iis brachium unicum liberum, alterum vero inutile reddunt. Unde fit ut ſcevolæ aliqvando fiant.

Muler ambidextra.

OBSERVATIO X.

DIxit Hipocrates, mulieres ambidextras non fieri, ſed tamen mulierem ambidextram vidi, qvod oſtendit, nullam eſſe absq; exceptione regulam,omnesq́; Aphoriſmos Hipocratis non ſemper veros eſſe.

Poda-

Podagra curata, potuſq; abſtinentia mira.

OBSERVATIO XI.

ABbas Conchenſis Podagra diu detentus fuit, cumqve potum ei nocuum eſſe percepiſſet, paulatim adeò ab eo abſtinuit, ut ſex annos absqve ullo potu tranſegerit, ſicq; curatus fuerit.

D. Vaiſſerius Toloſanus, negotia Monialium divæ Catharinæ Syenenſis faciens, per annum integrum etiam ſine ullo potu remanſit.

Vacuum viſu perceptum.

OBSERVATIO XII.

CUm cortices rerum tantum poſſideamus, paucaq; vera ſciamus de rerum natura, fit plurimum, ut veras cognitiones pro falſis rejiciamus, ſic olim Democritus vacuum in rerum natura neceſſario extare probaverat, nihil enim aliter in orbe moveri poſſet; Ariſtoteles vero, qvi nimiam apud ſcholas famam & imperium comparavit, homines ab ejus cognitione removit, contrarium ſtatuens. Annis præteritis eqvidem experientiis comprobatum variis fuit per tubos & argentum vivum, vacuum extare in rerum natura, tamen ego adhuc exiſtimans, aërem ſubtiliſſimum adytus inveniſſe, rem altius ſpeculatus illud percepi non ſolum ratione, ſed etiam oculis propriis, qvod viſu percipi poſſe aſſero. Dupliciter autem vacuum intelligi de-

bet, vel parvum vel magnum, magnum eſt naturæ inimicum, nec illud ferre ullo modo poteſt ut multis probatur experientiis, & de illo vera dixerunt peripatetici, parvum vero ſeu Democriticũ & Epicureum in minimas partes per aera diſperſum, ut atomis & aliis rebus detur locus penetrandi & movendi ſe, ſic enim aer inſtar ſpongiæ coarctari & dilatari poteſt, ob pororum ejus ut in ſpongia contractionem. Sed ad noſtram veniamus experientiam. Si ergo oculis fixis aerem intuearis per aliqvot tempus, videbis tandem illum tanqvam parvis ſphærulis refertum nigris, qvæ ſemper moventur & aeris vacuum ſunt, ad candelam ſub elychnio fixè etiam aſpiciens idem vidi, imò clarius & qvaſi olei guttulas in aqva reſperſas. Hæ ſpherulæ nigræ apparent cum colores ſuſcipere neqveant, cum accidens ſubſtantiæ tantum adhærere poſſit, hæ vero cum ſint privationes, colorari neqveunt. Inferius etiam deſcendere videntur, qvia locum mutant per corporum loci mutationes, qvibus pelluntur.

Veretrum cum duplici foramine.

OBSERVATIO XIII.

GOudalus Burgundus apud Ruthenos degens an. 1633. duplicem in veretro foramen habuit, unde urinam & ſemen in duas ſimul partes diviſa effunderet.

Mar-

Marrubii ad menſtrua provocanda facultas.

OBSERVATIO XIV.

INnumeris comprobavi experientiis marrubii albi ſummitates in vino albo infuſas per noctem triduò epotas mirè ad menſtrua provocanda, ſtomachum roborandum & cachexiam ac fœdos virginum colores arcendos, appetitumq; reſtituendum valere.

Phlebotomiæ & purgationis noxa in pulmonum morbis detentis.

OBSERVATIO XV.

FEbris lenta difficilè in principio, omnium Medicorum conſenſu percipitur, qvare à multis Medicis, ægri illa detenti tanqvam alio morbo laborantes tractantur, iisqꝫ remedia univerſalia ſua ſolita præſcribunt, ſicqve nobilia hæc remedia & aliqvoties utiliſſima tanqvam cultri in manibus puerorum, id eſt, ignarorum Medicorum, qvi ut Græci ſemper pueri ſunt, ad ægros è medio tollendos inſumuntur. Vidi n. virum & mulierem pulmonum ulcere detentos, qvibus ſanguis miſſus fuit & paucis ab hinc diebus mortui ſunt. Sanguis enim nullo pacto tabidis detrahendus, ſed è contra ſanguis in eorũ venas injiciendus & reponendus eſt, qvod ridiculum primâ fronte ignaris videbitur, ſed ſeqventem legant obſervationem, ut ſuam ridiculam reforment medicinam. Propinanda ergo

eis

eis eſt ſangvinis eſſentia qvinta & non detrahendus vitæ eorum theſaurus; jam nimium imminutus nec minuendum vitæ eorum lampadis oleum.

Hydropis cura ab arcano omnibus non revelando.

OBSERVATIO XVI.

SAngvinis humani Elyxire hydropicos bis curavi deſperatos & conclamatos, intra tres dies unciam dimidiam qvalibet vice propinando per tres vices. Qvod rerum gnaro dictum ſufficiat, qvi hinc majora multa elicere poterit, ſi ſui met ſtudium faciat, & è proprio ſuo fonte remedia promat, ſic enim è contra medicorum ſtultorum ſangvinem ægris ſuis infundet, ſicq; feliciter curabit, qvos laniones & ſanguiſugæ exinanitos incuratos relinqvent.

Hæmorrhagia in coitu, ſeu coitus ſanguineus.

OBSERVATIO XVII.

MOrbum inſolidum profecto mihi curandum propoſuit amicus qvidam meus, nunqvam enim mulieri conjungi ſuæ poterat, qvin largo ſanguinis ejus profluvio ſinus pudoris ejus regurgitaret, qvod valdè ei importunum erat adeo ut ab ejus amplexu abhorreret.

Collum

Collum contortum ſeu Opiſthotonos à caſu.

OBSERVATIO XVIII.

COgnatum habeo, qvi eqvo inſidens & in via dormiens cecidit, ſtatimq; obmutuit, & tanqvam mortuus diu remanſit, tamen remediis revocatus fuit, remanſit dolor in cervice, ad cujus curam ego vocatus aqva vitæ admotione illum abſtuli, ſed remanſit ſemper collum contortum adeo, ut Opiſthotono ſpaſmo detineri videretur. Credo autem, vertebram colli luxatã fuiſſe, aphonia enim ejus id confirmare videtur, proceſſit enim à ſpinali medulla compreſſa, cujus vulnera lethalia ſunt, & qvæ cerebri appendix & cauda eſt, vel cerebrum oblongatum, vel proceſſit à nervo recurrente contuſo.

De arſenici veneno.

OBSERVATIO XIX.

JOhanna de Lois mulier Caſtrenſis, cum in farinæ ſecerniculo arſenicum ad mures necandos poſuiſſet, id oblita tandem farinam in eodem ſecerniculo poſuit & ex illa panem confecit, cum autem percepiſſet dolorem ſtomachi poſt panis illius uſum, veneni recordata eſt, qvod in ſecerniculo poſuerat, qvare panem non amplius comedere voluit, ſed actu valdè nefario illum vendidit.

Qvid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames!

Fa-

Familia vero, qvæ panem illum emerat numeroſa, licet ſæviſſimis cruciata fuit ſymptomatibus, ad eorum curam ego vocatus illos remediis ſolitis omnes liberavi, nempe vomitu & antidotis poſt lactis uſum.

Hic etiam memoratu digna erit Hiſtora ſenatoris Caſtrenſis, qvi cum matre & famulo arſenico in hordeato à famula, ut creditum, vel ab inimico viro clam poſito intoxicati fuere, mater veneno periit, qvod Medicus ejus venenum non percipiens ad matricis ſymptomata omnia revocaret, reliqvi vero ab alio Medico lactis uſu magno & aliis remediis ſolitis curati fuere.

Mihi aſſertum eſt, fellis viperini granum unicum poſt ejus exſiccationem ab omnibus venenis liberare poſſe, debet autem in umbra ſiccari & in vino vel juſculo propinari.

Agnus duplex & Hirculus Anthropomorphos.

OBSERVATIO XX.

IN villa D. de Siege loco de Janes dicto in Diœceſi Caſtrenſi hirculus natus eſt cum capite humano, agnus etiam duplex an. 1653. in villa pauperum in eadem Diœceſi natus eſt extra villam Godonis. Caput autem unicum, ſed duo habuit corpora; alium ejusmodi olim vidi, qvi pro pecunia oſtendebatur. Horum cauſam qvidam ad aſtra, alii ad imaginationem referunt,

runt, ſed mallem cum Plutarcho villarum Dominis dicere, ut ſeniores paſtores pro capris & ovibus accipiant, ne Italorum qvorundam inſtar nefario cum capris coitu conjungantur, hinc enim talia monſtra verum ortum ducunt.

Ad lentigines & menti furfures.

OBSERVATIO XXI.

SI aqva vitæ lavetur facies ſemel in die, à furfuribus & aliis cutaneis morbis eam deturbantibus liberabitur. Dum etiam deraditur barba, utile erit, aqvæ vitæ portionem aqvæ infundere iis, qvi excoriatiunculis cutis ſubditi ſunt, vel elevationibus & qvaſi cutis Ecphimatibus.

A maleficio tripudiatio & mentis alienatio.

OBSERVATIO XXII.

IN villa Erſe dicta, ſex leucis à manſo Aſilii apud Fuxenſes remota, fures qvidam aliqvid ſub oſtii limine imponentes, effecerunt, ut omnes, qvi domum ingrederentur tripudiarent, nec id ceſſavit, donec res ab iis abſconſa detracta fuit, neſcio unde illud provenerit. Dominus Bariçanius Paſtor Eccleſiæ illius Regionis hæc mihi confirmavit; à qvadam re tamen naturali & non à dæmone procedere exiſtimarem, cum morb9 ſit Chorea ſancti Viti dictus, qvo detenti choreas agant perpetuas, idemq́ faciant taran-

tati

tati ſeu à Phalangio demorſi, crederem potiu ego fures vel maleficos viros illos aliqvid in o lam injeciſſe, vel ſuffumigio qvodam domun infeciſſe qvod intrantes haurientes ad Chorear excitabantur, qvemadmodum enim infuſio ſil cis à cane rabido demorſi poteſt hominem la trantem reddere & furioſum, ſic alia varia acti va paſſivis aptis communicando multa mira & ferè magica præſtare poſſunt.

Mira verborum à ſurdo perceptio labiorum motu.

OBSERVATIO XXIII.

MIrabilis eſt hiſtoria nautæ cujuſdam pag vallenſis apud Xantones, is autem à qvinto ætatis ſuæ anno morbo violentiſſimo correptus omninò ſurdus factus eſt, difficultatemq; in loqvela etiam retinuit, qvæ omnia adhuc annum hodie vigeſimum agens retinet, is tamen beneficæ naturæ qvâdam admiranda compenſatione, qvæ una manu largitur, qvæ ab alia ſuſtulit, loqventes ſubmiſſa voce, imò labia tantum motitantes nullo emiſſo ſono, audit & qvæ dicant capere poteſt, & ad petita reſpondet, hujus hiſtoriæ ſtupendæ teſtis oculatus eſt D. Iſaac Thomas de Riolet, celeberrimus ac doctiſſimus apud Xantones Medicus, mihiq; amiciſſimus, qvi eum ita conſtituit, ut 25. pedum ſpatium inter eos intercederet, eumq; ſuo nomine compellavit & ſubmiſſa voce adeo, ut vix

ſemet

ſemet audiret, petiit, an uxorem ducere vellet, & ſtatim reſpondit, qvod nolebat uxori conjungi. Rurſus petiit, an navem conſcendere vellet bellumqve Turcis inferre, & reſpondit ſe nolle, qvia paucis abhinc diebus in pugnâ malè ab illis exceptus fuerat, qvod verum erat. Unde autẽ tanti miraculi cauſa, hærent Doctores. Veriſimile eſt, ſpiritus, qvi auris & lingvæ organa agitabant, ad imaginationem recurriſſe, unde fortior facta fuit, unde fit, ut perſpicaciſſimos videamus qvos natura viſu, vel alio ſenſu aut aliis partibus orbavit. Vidi qvidem alium ſurdum, qvi amicum ad motum labiorum intelligebat, ſed non alios, licet amicus ille balbus eſſet, aliosqve, qvi ea qvæ digito in aëre conſcribebantur, etiam percipiebant, ſed iſtud hæc omnia ſuperat. Ego exiſtimarem potius, qvod qvemadmodũ ſenes è longinqvo vident, mutata oculi eorum ob extenuationem circumferentia, cum tamen olim è propinqvo vidiſſent, eſt enim punctum aliqvod pro legitima diſtantia ad ſenſibilia percipienda, ſic poteſt in auditu mutatione organi fieri, ut parvos ſonos tantum excipiat, & non violentos. Sic ſunt aulæ, qvas etiam vidi, in qvibus remoti audiunt, qvæ in angulo inſuſurrantur, licet qvi proximi ſunt, nil audiãt, imo voce ſublimi audiunt, qvæ ſubmiſſa emiſſa fuerunt, repercuſſione ſoni, qvæ etiam inſtar echus fieri poteſt in ejus aure, vel viſus ei pro auribꝰ eſt & vi conceptionis imaginativæ labiorum motus enodare valet.

Phlebotomia in partu.

OBSERVATIO XXIV.

ULtimis menſibus noxiam eſſe prægnantibus phlebotomiam cenſet Hipocrates, uſusqve jam invaluit, ut rarò in ultimis menſibus, in partu ipſo nunqvam celebrari debeat. Idem tamen laudat9 vir in ipſo partu feliciſſimè illâ uſus eſt; uxor lanii Salvioduni febre Synocha ſimplici, ſed violentiſſima cruciabatur cum levi delirio, doloreq; capitis & lateris dextri, aderat ſitis intenſiſſima, oculi rubeſcebant vultusq; totus, corporis ejus habitus euſarcus, venæ plenæ, pulſus magnus & durus plethoram in ea indicantes, morbus acutus ille phlebotomiam qvidem petebat, ſed cum in utero gereret, & jam in fine noni menſis eſſet, metus erat, ne venæ ſectione abortus, aut mors, vel utrumq; ſuccederet. Rebus tamen probè omnibus perpenſis & ponderatis viſum eſt, præſtare matrem ſervare, ex duobus enim malis pejus vitandum eſt, & tamen qvantum fieri poſſet fœtum etiam ſervandum eſſe, qvare die ſecunda vena ſecta fuit, tertia rurſus ſecta ex eodem brachio dextro, ſub veſperâ ex ſiniſtro pro tertia vice, noctu vero juſculis cum confectione de Hyacintho roborata & refocillata fuit ægra adeo, ut qvarta fœtum vivum emiſerit, materq; ſenſim curata, adhucqve ambo vitali aura fruuntur.

Num-

Nummi deglutiti unde colicus dolor ſæviſſimus.

OBSERVATIO XXV.

VIr qvidam Nobilis, cujus nomen tacebo, centum nummos aureos in muſæo alterius accepit & voravit, ne redeunte Domino eorum amico ejus eosqve petente ſupra illum reperirentur, ſed poſtqvam diſceſſiſſet, maximo colico dolore cruciatus fuit, imo tanto, ut de vita periclitarit, ſed tandem magna enematum copia evacuati fuerunt paulatim, ejus autem aurea excreta ſedulo à famulis excipiebantur fœlicibus, ſi Domini infœlicitas diuturnior fuiſſet, inſtarq; ejus qvi juxta apologum gallinam aureum ovum qvotidiè dantem habebat. In alio Helvetio nummi remanſerunt in ſtomacho & qvaſi fuſi & conglobati in ejus corpore reperti ſunt.

Graviditas inaudita.

OBSERVATIO XXVI.

AD generationem reqviruntur erectio intromiſſio & ejaculatio. At amicum habeo, qvi absq; ulla intromiſſione, ſed externa tantum in vulvam puellæ ejaculatione, eam gravidam fecerit. qvod ægerrimè ambo tulerunt, ſed hæc fieri poſſunt dum rigidæ tentigine vulvæ, occurrit

ipſa & ad ſpermatis acceſſum ſe ſponte invita domina confert. Legitur adhuc res magis admiranda de qvadam puella, qvæ in balneo magneticè attraxit ſperma à viro in eodem balneo emiſſum, unde concepit utero. Sed cum hæc fidem ſuperet hiſtoria, ad aliam certam qva meæ veritas confirmatur me confero. Eqvam vidi, cujus vulva annulis ferreis clauſa erat, & tamen utero geſſit, (qvod ſine dubio eodem pacto factum fuit,) oportuit enim, ut partum edere poſſet, annulos ei rumpere. In alia puella idem fermè accidit Biterris, dum enim ignem publicum aſpiceret, retro amaſius ejus ſubito intromittens veretrum, unica illa intromiſſione, qvam illa renuens repulit, tamen gravida remanſit. Talia ferè refert Zacutus.

Raucitas inaudita.

OBSERVATIO XXVII.

FAmulum vidi tanta raucitate oppreſſum ob frigus in cerebro perpeſſum, ut tandem reſpirare neqviens tanqvam moribundus ſterteret & jaceret qvaſi conclamatus, hauſtu tamen fumi florum ſulfuris per os excepto cum ſalviæ foliis curatus fuit.

Aqva fortis epota, &c.

OBSERVATIO XXVIII.

TRiſtem hiſtoriam urbis meæ referam, ut à re ſimili caveant homines. Fuit enim aurifaber,

ber, qvi aqvam ſeparationis ſeu regiam in officina reliqverat; cum vero diſceſſiſſent, puellæ duæ aqvam, cum liqviritiæ credidiſſent fuiſſe, illam acceperunt & hauſerunt, unde valdè dolorificam mortem obierunt. Sic nimia incuria res condendi multa intulit mala ſimilia. Fuit etiam Pharmacopei ejusdem loci filius, qvi tabellas purgantes pro condituris optimis furatus eſt & aliis pueris eas diſtribuens, ob magnam purgationem à morte vix revocari potuerunt.

Raucitas ferè per totam vitam.

OBSERVATIO XXIX.

VIrum vidi, qvi raucus adeo erat, idqve à multis annis, ut vix ullum effari poſſet verbum, niſi ſubmiſſa voce, qvod exiſtimo proveniſſe à ſtillicidio qvodam pituitæ à cerebro in fauces, vel à venenatâ qvadam qvalitate, id enim poſt qvandam purgationem ei relictum fuerat. Præſcripſi ei cauterium occipiti, & uſum Betonicæ fumi inſtar tabaci hauſti, & interea conſervæ roſarum uſum & ſyrupi de tuſſil., qvibus curatus fuit.

In calcem vivam ſubmerſio.

OBSERVATIO XXX.

FAmulus R. P. Deydonii Ord. Prædicat. amìciqve mei, incautè in calcem vivam in caput ruens decidit, qvæ mors ſane horrenda fuiſſet, ſed cum ſtatim extractus lotusqꝫ fuerit, & con-

fect. de hyacint. corroboratus ad vitam revocatus fuit, erat enim tanqvam mortuus & ferè ſuffocatus.

Icterus à tabaci fumo.

OBSERVATIO XXXI.

PRocurator mihi familiaris ad tabaci uſum provocatus à ſociis, tandem accepit ejus fumum ore, ſed neſciens illum rurſus evomere, fumum illum hauſit, unde ſe malè adeo habuit, ut icterum contraxerit, qvo tamen liberatus fuit uſu conſervæ florum geniſtæ & calendulæ, ſed hæc teſtantur, qvid venenati in tabaco latitare. Muſcas obſervavi mortuas utplurimum in officinis juxta tabacum.

Congelatio & paralyſis univerſalis à ſale vel ſaccharo Saturni.

OBSERVATIO XXXII.

MAxima Chymicorum pars proprio jugulatur gladio.

Nec proſunt Dominis, qvæ proſunt omnibus artes.

Nam dum remedia qvædam parant, tantam in iis habent confidentiam, ſeqve adeo probos autumant artiſtas, ut in ſeipſos ea tentare non dubitent, unde ut plurimum mortem ſuam acceſſunt ante tempus. Multos vidi in hac praxi errantes, ſed inter cœteros amicum habui, qvi Satur-

Saturni ſalem hauſit nimia qvantitate, unde tanqvam paralyticus & ferè mortuus factus deinde eſt, tandemqve conclamaretur, rigebant membra ejus & tanqvam congelatus & apoplecticus erat. Tamen revocatus eſt uſu theriacæ aliorumq; cardiacorum cum vino, frictionibus calidis & aliis remediis ejusmodi, cautiorqve in poſterum factus eſt.

De purgationis noxa in qvartana.

OBSERVATIO XXXIII.

D. Maſnavius digniſſimus Toloſanus Senator, non ſemel mihi Patris ſui mortem enarravit, qvi Medicorum nimiis purgationibus & phlebotomiis, dum qvartana laboraret, periit; morbus enim ille cum difficultate curatur majori, qvam reliqvæ febres, qvia illis remediis exacerbari ſolet, & in duplicem & triplicem mutatur, qvare ab iis abſtinendum eſt & ad ſpecifica recurrendum.

Cancrorum fluviatilium reſurrectio ſeu regeneratio.

OBSERVATIO XXXIV.

QVædam olim retuli in primarum mearum centuriarum editione prima de plantarum & aliarum rerum reſurrectione, ſed nil de inſectorũ regeneratione aliorumq; animaliũ dixe-

ram, cum tamen & ranæ, & bufones, & alia multa è cadaveribus propriis repullulent, & muſcæ demortuæ per totam hyemem, verni ſolis calore, vel ipſa hyeme, ſi igni admoveantur, reſurgant. Idem fertur de hirundinum cumulis in lacuum profundo deliteſcentibus. Sed ab amicis expertis duobus accepi, ſe cancros fluviatiles reverberio calcinatos reſtituiſſe, ſi enim eorum cinis in loco humido, vel in vaſe terreo ſinatur cum aqva modica, hinc intra 20. dies innumeræ atomi animatæ viſuntur, qvæ ſi ſangvine bovino irrorentur, in cancros paulatim commutantur. Sic aſſerit Rocheus & alii, ardeas in piſces commutari, qvibus nutritæ fuerunt, ſi una tantum ſpecie, in hanc tantummodo ſpeciem. Sicq́ʒ ajunt, anates ſub limo in bufones mutari, qvod libenter bufonibus veſcantur, qvodqʒ qvid bufonium & voce & aliis modis referant, adeo ut aſſerant nonnulli, cum iis coire. Sic latent rerum ſemina in animalibus ipſis ut aliqvando data anſa rurſus prorumpant, hæcqʒ eſt antiqvi Pythagoræ metempſychoſis, vel potius metaſomatoſis. Sic ex excrementis animalium naſcuntur iterum plantæ, qvibus orta ſunt, ſicq́; patet, immortales eſſe animas, etiam rerum minimarum, nullumq; in mundo angulum eſſe animis deſtitutum, ut cum Jamblico ex doctrina Chaldæorum & Aſſyriorum loqvar. Corporibus enim ſeu animarum ergaſtulis corruptis, avolant per aëra, & ſic errant, donec ſibi novum aliqvod corpus

bus ipſæmet progenerent magnetica attractio-
ne ſubſtantiæ ſibi neceſſariæ ad corpus ſibi præ-
deſtinatum & juxta ſuam ſcientiam architecto-
nicè conſtruendam. Hinc fit, qvod in turribus
naſcantur plantæ & in locis inacceſſis, &in terris
profundo erutis.

Mors á croci vaporibus.

OBSERVATIO XXXV.

FUit famulus mercatoris, qvi juxta magnam copiam croci decumbebat & dormiebat, cum vero nullum malum inde procedere poſſe exiſtimaret, pergebat ſemper in eadem officina remanere, ſed hinc dolorem tantum capitis, & cordis tantam debilitatem contraxit, ut vitam cum morte commutarit, qvod ni fallor à majori, qvam decebat, cordis dilatatione, delectatur enim croci vaporibus, & ſic ſpiritus nimios effudit, unde exinanitum fuit corpus, & alia prava, (eorum ſpirituum defectu,) ſymptomata orta ſunt. audivi etiam eqvos mictu ſauguineo periclitos dum croci copiam ferunt.

Sudores perpetui cum pruritu.

OBSERVATIO XXXVI.

N. Matignon lanificus per ſex menſes ſudoribus perpetuis detentus, nullo lanificio incumbere valens, & ſemper decumbere coactus erat, totusq; in aqvas convertebatur, cum pruritu maximo univerſo, vocavit me ad ejus cu-

ram ſuſcipiendam. Id ab humoribus bilioſis & acribus procedere autumavi, qvoniam vir era vino indulgens & eo temperamento præditus imperavi, ut à vino abſtineret, qvod difficillim obtinere potui, qvodq; curam ejus non parun prorogavit, tamen evacuata bile, & uſu ptiſana rum aperientium, ut materia hæc alias via qværeret, victuq; incraſſante humores imperato, ut pori obſtruerentur & bilis non prædomi naretur, curatus perfectè fuit.

Piſces inſcripti.

OBSERVATIO XXXVII.

SUnt in Hyacintho litteræ qvædam. Und Poeta:

Naſcuntur flores inſcripti nomine regum,

Et Ovidius de literis ai. Ajacis nomen & clamorem Hyacinthi pueri denotantes ait.

Hæc nominis, illa qverelæ.

Similes characteres in multis rebus obſervavi, ut Solis figuram in viſco qvercino, aqvilæ in radice filicis, literarum qvarundam in flore fabæ & Delphinii. &c. imò & in alis papilionum. In uno enim apud curioſiſſimum Morinum legi optimè utrinq; 1646. in conchis etiam notas muſicas & litteras Arabicas & Hebraicas ac Græcas, &c. non ſemel legi, & apud me adhuc videri poſſunt. Sic naturæ luſu reperiuntur ſcombri, qvos & vidi, in qvibus multi characteres legebantur, idemq; vidit eruditiſſimus noſter

ſter D. Alegrius Biterrenſis & alii, unde qvidam ſtultè ſatis Prophetiam Halieuticam concinnarunt. Idem enim luſus in cucurbita, in marmore, gemmisq; mihi multa rara depicta oſtenderunt, nuperq; in cortice arboris obſervavi columbam, & multos magnos ſoles & alia ejuſmodi, qvæ non recenſebo.

Ad ſcrophulas oleum bufonum.
OBSERVATIO XXXVIII.

TRes bufones in oleo olivarum in vaſe terreo eoq; lutato cocti oleum faciunt præſtantiſſimum ad ſcrophulas, ſed cujus vapores, dum fit, noxii ſunt, iis enim morbum contraxit maximum amicus qvidam meus. qvare ab iis cave & probè vaſa tua lutentur. Scrophulæ primo arſenico admoto veſicante excorientur, pars deinde ſublimati admotione corrodetur, & tandem oleo dicto utere, qvod adhuc præſtantius erit, ſi in eo ſalem bufonum infuderis. Hinc forſan orta ſunt antiqva Galliæ inſignia, qvæ erant tres bufones juxta multos authores, cum Reges Galliæ hujuſce morbi curam ſuſcipiant.

Ignis lambens admirandus.
OBSERVATIO XXXIX.

OCcurrunt ſæpe ignes fatui ſeu lambentes viatoribus, dum noctu loca adipoſa perambulant, die enim non ſunt conſpicui ob majorem ſolis lucem, viſi ſunt olim in capite Regis

Ro-

Romani ſed ab illo tempore nil ejuſmodi audivimus præter ætate noſtra in obſidione Salſularum, cum poſt magnas pluvias multi igne lambentes armis militum multorum incubuerunt. At magis notandum eſt, qvod egregio veraciꝗ viro D. de Laſplanes accidit, cum enim noctu iter faceret, qvaſi Lunam ab alto deſcendentem vidit, qvæ erat tantum ignis ille fatuus cujus portio myſtaci ejus ſeſe impoſuit, ut comites ejus perceperunt: ignari hiſce non mediocriter perterrerentur, ſed ſapiens & doctus illa naturalia eſſe agnoſcens irridet & contemnit & ſine ulla admiratione contemplatur.

Atramentum epotum.

OBSERVATIO XL.

MErcatorem Monſpelienſem vidi, cui cum allata eſſet potio purgans ſubnigra & faſtidioſa, noluit illam haurire, ſed ancillæ præcepit, ut eam camino imponeret, deinde vero ſententiam mutans illam petiit, ancilla vero aliam accepit phialam ſimilem atramento plenam, qvã ille ſubito deglutiit, ne guſtu potionis amaritudinem perciperet, ſed tandem ob oris nigredinem nimiam & ſtipticitatem percepit cum aliis errorem, unde ſe malè habuit, ſed deglutita multa aqva calida ſubito illud rurſum evomuit atramentum, & reiteratis vicibus, & tandem lactis uſu & ultimo ſyruporum reſtitutus fuit.

Ad

Ad viſum.

OBSERVATIO XLI.

MUlta parantur ad viſum remedia, amicum habeo, qvi ea omnia tentavit, & tandem in ſolo ſarmentorum lixivio curam ſuam invenire potuit, qvo pro collyrio utebatur, omnia enim, qvæ à vite procedunt, oculis utilia ſunt, utpote ejus lachrymæ, & aqva vini inter duas lances ſtillata, ut & vini ipſius uſus.

Epidemici morbi cura.

OBSERVATIO XLII.

ANno 1552. in Aqvitania morbus contagioſus graſſatus eſt, qvo major ſtrages qvam ferro exorta eſt inter milites, vocatus fuit amicus meus D. Thomas de Riolet Medicus Xanctho eruditiſſimus, qvi ſe huic peſti opponens ſtrenuè percepit eſſe Synochos putridas & cauſones, tertianasq; continuas, qvandoq; duplices tertianas impuras, qvæ poſtea in cauſones degenerabant, omnesq; cum horrore & intermittentia ac petechiis & papulis circa primos dies præcipuè in faciè & hypochondriis in urinis craſſa rubraq; ſedimenta percipiebantur, turbidæq; erant, qvod dominantis ſangninis erat indicium. In aliis pulſus parvus & freqvens cum levi inordinatione, urina laudabilis initio, jactabundi & inqvieti erant & omnia alimenta exoptabant, ſed oblata reſpuebant, qvæ veneni in ſpiri-

ſpiritibus, non in partibus carnoſis latitantis ſignum erat, hiq; utplurimum ſeptimo aut nono die moriebantur. Aliis parotides apparebant, unde materia expulſa curabantur, alii perpetuo delirio angebantur, & licet ſanarentur, per annum circiter ſtolidi & fatui remanebant, & ſic variè & inſtar protei juxta temperamenta ut vinum in ebriis agebat eos contagioſus ille ac inſolitus morbus.

Indicatio ejus præcipua fuit incendium humorum compeſcendum eſſe, & putredinem prohibendam & expurgandam, primo ergo in corporibus plethoricis largam venæ ſectionem præſcripſit è malleolis, qvâ revulſione à phrenitide liberabantur, vel eam non patiebantur & humorum fervor mitigabatur. Poſtea roſarum tincturas præſcribebat & uſum ſuccorum purificatorum ex pomis, ceraſis, fragis, citro, arantio & herbis refrigerantibus, qvi poſt levem ebullitionem filtrabantur & cum ſaccharo & tantillo cinamomi dulcorabantur & aromatiſabantur, qvibus uſus eſt feliciſſime innumeros ſic ab orco revocans, non inutiles ei etiã fuerunt cucurbitulæ ſcapulis & lumbis cum ſcarificatu admotæ. Sed palmam præcipuè reportavit hoc remedium, ſpiritus ſalis & vitrioli vel ſulfuris uncia una in aqvæ roſaceæ optimæ libra una cum confect. de Hyacintho & Alkermes ana dragm. una; qvæ ſtillata lento igne ad dragmam unam injuſculis aut cum julapiis vel emul-

mulſionibus pro diverſitate affectus contagioſi, dabat, minorativis interim utebatur ſed præcipuus ejus ſcopus fuit, ne remediorum activitate aut calore, humorum impetus aut malitia acueretur & cum hoſte adeo effero lenta & ſuavi curatione agens illum placidè expellebat.

Sed inter magnam hanc ægrorum varietatem unus in admirationem omnes rapuit, qvi, curatus licet, dum per urbem vagaretur, ſubitô delirio correptus fuit & omnia illæſa memoria, etiam arcana domeſtica & pudenda revelabat, cumq; cachinnis publica faciebat,) pervigil interea erat, facieq; rubra, tempus erat æſtivum, magnoq; urgebat Syrius æſtu, noctu & remediorum frigiditate humores ejus maniaci demulcebantur, cum per decem dies talem comœdiam egiſſet morbo perſonatus, nullaq; remedia profeciſſent, vi ei cucurbitulas cum multa flamma ſuturis imponendas curavit, poſtea phlebotomiis & topicis capiti admotis, ſed præcipuè uſu balnei aqvæ dulcts in integrum reſtitutus eſt; tamen poſt menſem rediit morbus, unde mortuus eſt. Crederem ego Meninges inflammatas & tandem gangrena affectas fuiſſe, ſic olim Abderitana plebs inſaniverat qvod nimio ſub æſtu Tragœdiam audiviſſet, unde poſtea Carmina ejus inſanientes dicebant, ſic iſti ardore nimio caniculæ cum inſanirent urebantur, qvidam enim ſe in puteos projiciebant interno acti incendio.

Scin-

Scintillæ ex capitis frictione.
OBSERVATIO XLIII.

ALibi narravi me vidiſſe ſcintillas ex corpo ac induſio mulieris exire, antiqvi idem refe runt de capite Servii Regis, idq; in felium frict one & eqvorum percipitur, ſed non in friction capitis humani ullus adhuc obſervaverat, eg autem amicum habeo, qvi ſcintillas noctu emi tit à capite, ſi fricetur. qvod ego non tam à va rio ſitu ſqvamularum qvarundam hinc erum pentium pendere autumo qvam ab adipoſis va poribus & aqvæ vitæ naturæ, qvæ ab aere frigi do antiperiſtaſεως vi accenduntur.

De luce, ſole aliisqve rebus luminoſis
OBSERVATIO XLIV.

HÆc non pro obſervatione certa, ſed tantum pro cogitato ſatis curioſo accipe ad luci cognitionem & aſtrorum, cum nullus enim cum verâ ſciat ſcientia, qvid hæc ſint, dubiam hanc tibi propalabo ſententiam meam, qvæ an vera ſit, nec ne, tu ipſe judica. A terræ motu perpetuo calor in ejus centro generatur, motu enim violento omnia caleſcunt, rotæ accenduntur, metalla funduntur, &c. Calor ille centralis vapores pellit ad ſuperficiem terræ, ſubtiliores autem vapores primi emittuntur, ut in chymicis operationibus videre eſt, mundus autem eſt tanqvam opus chymicum; cum terra ſit fex, &

cœ-

cœlum ac nubes partes ſubtiliores, qvæ ſponte ſua ſedes ſuas acceperunt, & rurſus acciperent, ſi immiſcerentur, ut in qvibusdam videre eſt liqvoribus, utpote, aqva vitæ aqva, tartari & ſpiritu Therebintinæ, qvibus junge ſmaltum nigrum ut 4. elementa in Phiala conficias. Vapores ergo ſubtiliores elevantur à terra, hi vero aqvæ vitæ naturam habent, qvæ accenduntur ſine manuum læſione ob tenuitatem ſuam ut videbis, in linteo vulgari ſpiritu vini madido, ſi accendatur cumqve ê rebus infinitis utpote dactylis, pomis, cereviſia, melle, &c. elici poſſit ardens ſpiritus, eaqꝫ omnia à terra provenerint, non dubitandum eſt, in terra talem eſſe ſpiritum & ab eo erumpere vi caloris centralis. Erumpit ergo ille ſpiritus idqꝫ indeſinenter, & ſtatim ab ortu ſuo accenditur ſolis calore, qvoniam ſubtilior eſt milleſies, qvam aqva vitæ communis, & ideo nos adhuc minus lædere poteſt, qvoniam vero aqva vitæ refocillantur ſpiritus, ſic etiam eſt in aëre ſpiritus ille occultusqꝫ vitæ cibus, de qvo loqvitur Sendivogius, unde fit ut absq; aëre ſubſiſtere neqveamus, cum vero ejus flamma perpetua ſit & perpetuo emittatur nullosqꝫ habeat terminos, ideo illam percipere neqvimus, tum ob amplitudinem, tum maximam tenuitatem, & flamma hæc beneficca eſt, id qvod lucis nomine nuncupamus, ſic ergo lucent omnia corpora terreſtria, qvæ aſtra vocantur, ſed nox ob umbras ipſorum & montium dum circum-

gyrantur procedit ab unaqvaqve vero harum terrarum ſeu congerierum materiei in aëre, pendularum lucentiumqve mittitur lux alibi, & omnes in idem punctum ſeu centrum concurrentes illud, qvod ſolem vocamus, producunt, qvi immobilis eſt, & ſemper lucem à multis terris & aſtris recipit, ubi lux illa coacervata augetur ut in ſpeculo, & rurſus ad omnes cum ultra communicatur, & majori vigore per radios deſcendit.

Dementia ab eſu radicis hioſciami.

OBSERVATIO XLV.

RUſticus mihi notus incautè radices Hioſciami cum Napis miſcuit & comedit, unde in dementiam miram decidit tota familia, ſed ludicram valdè, cum inſtar ſimiarum multa ridiculas ederent actiones, tandem vero hæc ſponte ceſſarunt & priſtinum mentis ſanum habitum recuperarunt.

Ad aſthma.

OBSERVATIO XLVI.

FLores roriſmarini & defectu eorum folia, ſi coqvantur cum vino opt. & melle ad dimidiæ partis conſumptionem capianturqve ante ſomnum, aſthmati mirè conferunt, vocemqve clarificant optimè.

Demo-

Dæmoniacus ſimulatus

OBSERVATIO XLVII.

INdies videntur falſa miracula, amicus qvidam meus ad dæmoniacum ductus illum ſpumantem vidit, dentibus ſtridentem, ululantem & mirè ſe circumvolventem, attamen vir audax auſus eſt pulſum ejus digitorum ad carpum admotione explorare, eumq; ſanum invenit, unde agnovit impoſturam, & tandem qvæſtionibus ei factis latine vidit, ignarum fuiſſe diabolum, & totum perturbavit myſterium. Alia multa referrem, ſed ſponte illa taceo, ne eos qvorum intereſt, excandeſcere faciam.

De Balena.

OBSERVATIO XLVIII.

CRediderunt ferè omnes, Jonam deglutitum fuiſſe à Balena, nec aliter ejus refertur hiſtoria. niſi qvod per triduum in ventre Balenæ delituit, ego vero qvæ comperta habeo à viro meritiſſimo, qvi innumeras vidit Balenas, hic referre volui, ut tantum auferrem errorem.

Balena habet œſophagum adeo anguſtum, ut vix humanam coxam ſuperet, & ſic nullum hominem vorare poteſt vivum, præterea non eſt carnivora, ſed herbas tantum in fundo maris naſcentes depaſcitur, ejus enim inteſtina herbis referta reperiuntur, nec qvicqvam aliud in eis adhuc obſervatũ eſt, qvare cum D. Bocharto viro

maximæ & ſtupendæ eruditionis, canem carchariam piſcem Jonæ fuiſſe cenſerem, cum in eo viri integri reperti olim fuerint.

Labia magna.

OBSERVATIO XLIX.

VIrum loqvacem vidi, cui labia ſæpiſſimè intumeſcebant, adeo ut molem horrendam attingerent, hæc tamen priſtinum habitum ſola aqvæ cum linteis frigidæ admotione, qvoniam hac humores alibi repellebantur.

Arcanum mirum ad ſangvinem conſtringendum.

OBSERVATIO L.

CHirurgum novi, qvi crura & alia membra amputabat nullis ferris candentibus admotis, & tamen ſangvinis imperium ſiſtebat qvaſi incantamento, qvare pro magno à nonnullis habebatur & profectò ferri illius candentis admotio res horrenda eſt qvare remedium iſtud jam propalandum, non parvi momenti eſſe debet, nec mihi parva gratia pro ejus revelatione debetur. Alumen ſolum eſt, cujus turundulas faciebat, ſed illud atramento, vel aliis rebus tegebat, ne agnoſceretur, & poſt membrorum extirpationem eas in magnarum venarum orificia intrudebat, qvantum poterat deinde ſplenis multis admotis & pulveribus adſtringentibus omnia ei feliciter & absqve ullo unqvam pravo ſym-

ſymptomate ſuccedebant, curaq́; jucundius, facilius & cum minori dolore fiebat. Sic fuit alius, qvi venæ brachii ſangvinẽ ſiſtere non poterat, qvam ego impoſito alumine conſtrinxi ſtatim.

Oculorum hydrops.

OBSERVATIO LI.

OCulos Monachi cujusdam Trinitatis adeo ingentes vidi, ut vix in orbita continerẽtur, & ſemper prolapſum minari viderentur qvod ab affluxu humorum fiebat, hic tamen præſcripto cauterio potentiali ad occiput collyrioqve adſtringente ex vitriolo albo curatus fuit.

Cornu in pede & plantabile.

OBSERVATIO LII.

VIdi nuper cornu cum gyro ſolito ſuo, in pede vervecis, videram olim in vacca, & illud à Cabrolio è gena vetulæ amputatum, qvod qvidem mirum eſt, naturam in locis adeo à capite remotis cornua producere poſſe, ſed credo hæc è materia nimia ungularum provenire, ut alia à defectu dentium ſuperiorum, qvorum materia ferè eadem eſt cum cornibus, vel medium qvid, ut videre eſt in cordibus Rhinocerotis, qvæ in naſo & dorſo naſcuntur, & in dentibus elephanti, qvæ à nonnullis inter cornua reponuntur. Cornua etiam vervecina & bubula vidi, qvæ radices in terra egerant, ut cornu plantabile Linſchotti.

Qvatuor cornua etiam in vervece vidi peregrino & magno, qvorum duo erant curva, alia vero media recta ſurſum, in qvo ab aliis vervecibus duobus, qvos videram, differebant cujus 4. cornua incurva erant.

Vaccam rurſus vidi, qvæ qvinqve cornua in pede habuit, in qvo inſtar manus digitorum diſpoſita erant.

Fiſtulæ cura notanda.

OBSERVATIO LIII.

D. N. de Lautrico, ab antiqvo bombardæ ictu in podice fiſtulam habuit, pro incurabili habitam ab omnibus Chyrurgis, ſed tamen miro naturæ conatu & qvaſi miraculo ſanata fuit, labia enim fiſtulæ lapidefacta ferè erant, hæcqve inſtar annuli calloſi exuta eruta & ejecta ſola naturæ vi fuerunt, & inde cura integra facta fuit, ſic natura monſtrante viam, Medici enim boni ejus tantum imitatores ſunt, hæc enim artium magiſtra eſt. Retuli alibi, Chyrurgum qvendam callum ſimilem removiſſe à fiſtula incurabili antea, ſed poſt ejus amotionem ope novaculæ ad curam optimè deductam fuiſſe. Sic multi fiſtulas importunas per totam vitam cum maximis ferunt incommodis, qvæ ſic curari poſſent ſatis facili negotio.

Fœdi

Fœdi colores puellæ.

OBSERVATIO LIV.

NIl freqventius eſt, qvam fœdi in Virginibus colores, ſed qvod in puella 8. annorum reperiantur, hoc qvidem inſolitum, & tamen à me viſum fuit, ſangvinis etiam qvodam mictu ſeu potius ſtillicidio detenta fuit, qvæ cum inſolita valdè ſint, ea tacenda eſſe non cenſui.

Dolor Iſchiadicus pertinax curatus.

OBSERVATIO LV.

VOcatus fui ad fabrum ferrarium optimum loci de la Bechonie, non procul à patria mea curandum, is autem Iſchiadicis cruciatibus immanibus ſemper ferè afflictus erat, adeò ut incedere nullo modo poſſet, præſcripſi Jalapii infuſionem ad dragmam unam in vino albo per tres vices easqve ſingulis menſibus reiterandas, ſi opus eſſet, & tamen poſt primas benè ſe habuit & absqve fulcimine incidebat, aqvas enim purgat optimè Jalapium. Levamen etiam affert veſicans regioni Iſchii admotum remedium, ex ejus enim veſicis forſiculis apertis effluunt aqvæ, qvibus evacuatis levatur dolor.

Vir araneas innoxiè vorans.
OBSERVATIO LVI.

DOctor Muſicus, Organorum Muſicalium Magiſter Londinenſis, isq; peritiſſimus araneis deglutitis ſuos omnes tanqvam panaceâ optima, morbos curare ſolitus erat. Sic Mouffetus in inſectorum theatro memorat, Nobilem etiam magnæ Britanniæ puellam idem facientem, ac ſi illud huic inſulæ peculiare eſſet. Sic ferunt, aliam puellam ab Alexandro amatam feciſſe. Gallinæ qvidem & multæ aves araneas innoxiè vorant, qvare hæ mulieres aut viri potuerunt ejusdam naturæ fuiſſe, vel non tale eſt venenum ut credimus in illis, cum à qvibusdam etiam ſine noxa comedantur bufones, vel non ejusdem ſpeciei fuerunt cum noſtris illæ araneæ, qvædam enim non venenatæ reperiuntur ex Mouffeto ſupra memorato, & cum in Anglia aliisq; inſulis venenum inſecta amittere multi retulerint, hæc ideo ibi facilius fieri potuerunt.

A laudani nimia doſi vena aperta.
OBSERVATIO LVII.

MAxima utendum eſſe cautela in Narcoticorũ uſu, ſeqvens monebit Medicos omnes obſervatio. Medicus mihi familiaris, cujus nomen honoris ejus ergo reticebo, licet plura mihi nocumenta invidiâ illâ horrendâ, qvà figulus figulo & Medicus Medico invidet, intulerit in

praxi

praxi Medica: is ergo viro etiam mihi noto ſomni conciliandi gratia laudani duplicem dedit doſim, immemor ei venam nuperrimè ſectam fuiſſe, qvare dum membra langventia & ferè inſenſibilia hoc ſomno reddita eſſent, effluxit ſangvis è brachio adeo, ut ejus effluvio nocturno perierit.

Hæmorrhoidum ſtupendus fluxus.
OBSERVATIO LVIII.

N. Raulinus veſtium ſartor Caſtrenſis tanto hæmorrhoidum fluxu aliqvando detinetur, ut ad decem libras & qvaſi torrentes ſangvineos effundat, eſt autem vir qvadratus & Joviali præditus temperamento. Syrupo de roſis ſiccis nimius ille fluxus cohibitus fuit meo conſilio.

Ad alvi fluxus omnes.
OBSERVATIO LIX.

TUrcheſiæ novæ rupes, qvæ dentium figuram habet, albaqȝ eſt, non enim colorem pulchrum cyaneum niſi in igne fraxini capit ad dragmam unam, ſi propinetur, valet ad omnes alvi fluxus & contra vermes, & præcipuè ad dyſenteriam.

Anginæ ſtupendæ.
OBSERVATIO LX.

D. Riverius Caſtrenſis Chirurgus vir ſangvi-

neo & biliofo præditus temperamento, multoties angina detentus fuit tanta, ut pro mortuo ſemper & conclamato remanſerit, attamen phlebotomiis freqventibus tum brachii, tum ranularum ſub lingva ſemper curatus fuit, cumq; hæc ſæpe recurrerint, totus phlebotomatus fuit, ut non amplius tundi poſſint ejus venæ, niſi in præcedentium vulneribus.

Vir qvi nunqvam lac guſtavit.

OBSERVATIO LXI.

SEnem vidi à ſancto Amantio circa Urbem Caſtrenſem oriundum, qvi ab ortu pro lacte odium tantum habuit, ut nunqvam illud deguſtare voluerit, qvare juſculis ſolis nutritus fuit. Sic qvædam ſunt antipathiæ, qvarum ratio difficillimè referri poſſet, cum ab ortu puerorum veniant & non conſvetudine. Sic illuſtriſſimus D. de Schomberg cum multis Germanis felis non ſolum aſpectum, ſed etiam latentis odorem absq; lipothimiis ferre neqvit, idem de mure facit alter mihi notus, & de cane nobilis mulier mihi etiam nota.

De admiranda rerum reſurrectione.

OBSERVATIO LXII.

LIcet multoties de hac re diſſeruerim, tamen adhuc crambem recoqvere non pigebit, cum nova qvædam de hac re habeam dicenda, cumqve hinc innumera in natura admiranda adhucq;

nucq; deliteſcentia erui poſſe cenſeam, imo novam Phyſicam hinc aliqvando emerſuram non dubitem, nullumq; adeo ſtupendum arcanum poſt lapidem Philoſophorum in rerum natura eſſe exiſtimem. Probavi alibi ſemina rerum in ſalibus deliteſcere, illudq; confirmavi eo, qvod ſerendo plantarum ſales iterum naſcuntur, ut & ex animalium excrementis ob ſalem copioſum, probavi iterum illud glacie lixivii plantarum, & multis aliis exemplis, qvibus figura in glacie percipitur plantæ combuſtæ, vel umbratilis ejus figura in liqvore emergit, ut vidit olim Qvercetanus, utq; multi amici mihi retulerunt. Huic incũbere ſtrenuè decrevi, ut poſſim tanta arcana admirãda, qvæ ſeqvũtur, publici juris facere.

Cum anima tota ſit in qvalibet parte, certum eſt, qvod è fruſtulis fructuum, vel liqvorum, vel radicum videbimus in glacie vel umbra eorum phantaſtica integram plantam, & ſic controverſiæ authorum de certis plantis dirimentur, ſicq; poterit qvicunq; hortum Botanicum phialis incluſum in cubiculo ſuo aſſervare cum inſcriptionibus, adeo ut planta optata qvæcunq; absq; ulla cultura ad placitum ſeſe oſtendat cũ propriis coloribus. Spero me brevi rem propalaturum, non enim penitus ejus ſecreti ignarus ſum, ſed rem imperfectam tradere non adhuc volui, ſufficit, ut revelem, qvæ inde emergere poſſunt, cum arcana ad immenſa conſcribenda volumina hinc erui poſſint, nemo tamen illud

vide-

videbat, ego ergo animos ſtimulo, ut ſi qvis me potius hæc attingat, mihi gratias agere dignetur, qvod res indigitarim, neq; è contra mihi inventi gloriam, ut aliis fieri ſolet, ſurripiat.

Neq; ſolum de plantis cognitis, ſed & de incognitis ſcientiam habebam, per fructns, ſemina & fruſtula, qvæ maris inconſtantia ab incognitis deponit ripis, qvæq; in muſæis curioſorū aſſervantur. Et qvod magis mirum, idem de animalibus fiet, habebis Arcam Noæ in Muſæo. Sicq; videbis formas rerum omnium immortales eſſe, maximum reſurrectionis argumentum; & ſpiritum illum archeumq; rerum ſibi corpus ſolitum juxta ſcientiam ſuam & prædeſtinationem concinnare poſſe, magneticè materiam ab elementis attrahendo, cumq; in aqva illa non habeat craſſa elementa, umbratile tantum ſibi corpus effingit.

Sed qvod omnem admirationem ſuperare debet, id de hominibus fieri poterit, & in phialis licita nigromantia, patrem, avum, atavum, totamq; proſapiam, imo antiqvos Romanos, Hebræos, & qvemcumq; volueris absq; Pythoniſſa ad libitum accerſebis cum propriis figuris, modo eorum cineres vel oſſa ſervaveris, aliaq; majora, qvæ non adhuc revelanda eſſe exiſtimo.

Utq; experimentis hæc confirmentur & non ſolis verbis innitamur, N. de Richier ſaponarius & Bernardus Germanus ex relatu D. de Gerzan & aliorum, ſanguinem humanum Lutetiæ diſtil-

ſtillantes,qvem veram lapidis ſui materiam credebant, (& non adeo malè forſan,) viderunt in cucurbita phantaſma humanum, è qvo ſangvinei radii proſilire videbantur, & rupto vaſe invenerunt tanqvam cranium humanum in fœcibus. Eandem refert ferè hiſtoriam eqves Anglus Flud de qvodam la Pierre vocato, qvi mugitum ingentem audivit, qvo hoſpites ejus perterriti fuerunt, & Phantaſma vidit humanum, ajunt autem hæc accidere tantum, cum ſanguis petitus eſt à viro, qvi mortuus eſt, à capite truncato enim carnificis manu ſanguinem habuiſſe ferebatur, hincqꝫ qvidam concludunt, in ſanguine animam reſidere juxta antiqvorum doctrinam, imo & Hebræorum, qvi ideo à ſanguine abſtinebant. Fuerunt etiam tres curioſi, qvi terram S. Innocentii, id eſt, loci innumeris corporibus mortuorum pleni. Lutetiæ etiam, pro vera acceperunt alchimiæ materia, & phantaſmata etiam in phialis perceperunt, à qvibus non parum perterriti fuere. Hinc fit qvod à ſole elevata hæc à terra Phantaſmata utplurimum in cæmeteriis videantur, qvæ pro diabolis habentur; cum tamen naturaliter erumpant. Sic Albertus Magnus figuras è terra olim evocabat, ſed hæc noctu tantum conſpicua ſunt, qvoniam cum luminoſa parumper ſint, à ſolis lumiue ut ſtellæ confunduntur, adeò ut apparere neqveant, licet tamen ibidem ſint.

Qvod ad plantas attinet, vidi nucis figuram

in

in oleo nucum exſiccato, pomorum ſuccus congelatus mali figuram etiam apud amicum exhibuit, alter in lixivio cancrorum, figuras eorum vidit, ſed qvod majus eſt, qvidam non ſolum figuras vident à ſale reſurgentes, ſed revera animata corpora è ſale illo exſurgunt, ut de cancris calcinatis & in aqva ſtagnante projectis expertus eſt D. de Chambulan & alii mihi cogniti ut & de bufonibus calcinatis. Sicq; aſſeverat Rochas in Phyſica ſua, bufones ex anatis corruptione oriri, qvod eos comedat, & ex ardea luciis nutrita lucios rurſus oriri copioſos, ſi vero ex carpionibus carpiones. Hinc fit, qvod terra ſtagni ſiccata, & rurſus aqvæ commiſſa rurſus piſces progenerat.

Sed redeamus ad plantarum figuras ſeu eveſtra rerum Paracelſi. Erneſtus de hiſce agit, ut & Tenzelius, & ego paſſim loqvutus ſum. Petrusq; Mormius in Collegio ſuo Roſiano ait, qvod ſciũ ſpiritũ vegetabilem elicere ſcilicet ex animalib; perfectis, inſectis & plantis. Hæc ſunt initia & rudimenta reſurrectionis & renovationis ac regenerationis rerum, ſic piſcis in vulnere generari potuit à ſe inflicto, ut alibi notavi, & canum figuræ in urinis demorſorum. Pingit Libavius figuram plantæ in vaſe genitæ eodem pacto.

In aceto viridi æris imprægnato D. Breſſius amicus meus folia vitis ſtratum ſuper ſtratũ invenit, eaq; viridia & qvaſi è vite. Alter in clyſtere congelato folia multarum plantarum obſervavit,

vit, ſed nota, qvod licet urticas & cum ſpinis viderint qvidam, ut Qvercetanus & alii ſupra glaciem, res melius videbis in corpore altæ glaciei, qvare vas profundum lixivio plenum congelationi exhibendum eſt, & deinde glacies eximenda & per transverſum contemplanda. Hæc ſunt archeorum conatus, qvi corpora ſibi analoga prioribus, qvæ amiſerunt, facere conantur, ſicut vero calore modico evocantur roſarum, &c. figuræ, ut retulit de Polono Qvercetanus, & poſt illum Mullerus & Roſenbergius: ſic etiam vere noſtro veniente igne orbis excidii, urgente fornas, reſurgent rerum omnium animæ cum tenuibus corporibus & ſpiritualibus. Et ſi ex ſangvine humano forma evocaretur, neſcio an ex ſangvine amici viventis poſſet eo procul remoto revocari forma, qvæ ejus ſtatum verum oſtenderet Sympatheticè, & ſic arcanum illud ideo qvæſitum reperiretur è longinqvo comunicandi. Aliud præterea admirandum ſecretum reperietur ex formarum iſtarum evocatione, cum enim erit aliqvis, qvi arcanum ſuum Medicum vel Chymicum noluerit detegere, modo ſet medicamentum ab illo formas plantarum rerumq; omnium qvibus conſtabit evocabis, & ſic deteges ſecretum ejus.

Et ne qvicqvam ſuperſit, è mineralibus etiam formæ evocantur & ramificantur, ut cum in miſeris ſuis exiſtant, ſic fit arbor Dianæ ſeu Philoſophica per aqvas fortes & aurum, argentum,

Mer-

Mercurium, &c, qvod nemo ignorat. Nuperq; D. Bariet mihi è Tartaro Vitriolato arborem mirificam oſtendit in medio vaſculi ſtantem & innumeris ſurculis albiſſimis cum his copioſis ſubdiviſionibus & ramificationibus conſpicuam qvam D. La Novio noſtro dono dedit, mihi vero figuram plantæ in fœce cujuſdam medicamenti conſpicuam inſtar juniperi conceſſit, qvam adhuc aſſervo. Hæc omnia propalare volui, ut ſint tanqvam ſtimulus curioſis omnibus ad penetralia iſtius arcani ſtupendi inqviſitionem, & ſi qvis potius me, meo monitu, meq; felicior illud attingat, mihi maximè pergratum faciet, ſi illud communicare dignetur, alia enim ejus vice omnia, qvæ apud me erunt, communicabo libentiſſimè.

Macies à nucis myriſticæ fruſtulo gutturi inhærente.

OBSERVATIO LXIII.

D. De Catyli dux Rothomagenſis cum incautè nimis nucis Myriſticæ fruſtulum deglutiiſſet, incidit in tracheam arteriam, qvod tamen ille non exiſtimarat, qvare licet tuſſi magna premeretur, ad hæc non animum convertebat, emaciebatur interim indies, tandemq; ad extremam devenerat emaciationem, cumqve jam morti propinqvus crederetur, ſemiputre fruſtulum illud nucis myriſticæ cum tuſſi ac magno conatu ejecit, acidis irritata remediis aſpera

ſpera ejus arteria, & abhinc paulatim priſtinum recuperavit habitum.

Oris ulcera magna.

Observatio LXIV.

PEtrus Trinqves textor Caſtrenſis tantis ulceribus os excoriatum habebat, ut vix loqvi, vel cibos, liqvidos licet, ſumere poſſet, vocavit me ad curam, curavi illum uſu gargariſmorum cum aqvis plantaginis & roſarum, & lapide mirabili Crollii. Qvod ad alia ulcuſcula alumine optimè ſanantur, ſi veró venerea ſint, ut nuper in lingua cujusdam vidi, qvæ exeſa parum erat, aqva forti tangenda ſunt leviter.

De ligaturis nuptorum.

Observatio LXV.

EXiſtimarunt multi, genitalia ita ligari poſſe, ut nupti coire neqveant, ſed tamen hæc impoſſibilia ſunt, amicumq; vidi ab alio jocosê ligatum & ſolutum poſtea. Hæc enim non accidunt revera, ſed proveniunt à reverentia qvadam à nimio gaudio, vel è contra ab odio, ut accidit cuidam mihi noto apud meretricem, vel à nimio ardore, aut imaginatione læſa, à metu vel pudore.

Hæcq; apud Michaelem de Montagnes confirmata reperies.

De ambari griſei origine.
OBSERVATIO LXVI.

UT plurimum rerum cauſæ noſtram effugiunt ſedulitatem & ratiocinium, & è contra qvandoqꝫ ſeſe nobis ultro offerunt. Sic Archimedes in balneo ſuo coronæ mixtionis optatæ rationem tamdiu fruſtra inveſtigatam reperit, unde præ gaudio nudus, exclamans ΕΥΡΗΚΑ ΕΥΡΗΚΑ per Urbem proſiliebat; ſic etiam exiſtimo, me veram ambari naturam & originem detegiſſe qvod tamen non tacebo, ut ſi vera ab aliis reperiantur, rem altiùs inveſtigantes tandem ad ejus generationem copioſam deveniant, ut ſanitati humanæ parvo precio conſecretur.

Qvod autem nemo adhuc clarè qvid ſit ambarum ſcripſerit, hinc percipi poteſt, qvod 1. qvidam dicant bitumen eſſe, qvoniam flammam concipit. Sic enim Burdigalæ ruſticus erat, qvi fruſtrum ejus invenerat poſt naufragium, & in candelas redegerat. 2. Alii fungos marinos eſſe dicunt. 3. Alii gummi arborum, unde ab undis decutitur, 4. Alii excrementa avium qvarundam per rupes ſtillantia in aqvas, vel in maſſam redacta & à fluctibus marinis inde avulſa. 5. Alii à piſce azel provenire, eſſeq; qvaſi ſperma ejus, 6. Alii adhuc ſibi alia finxere, ſed nullus meâ ſententia rem attigit.

Primum enim eſſe neqvit, cum bitumina ut plurimum fœteant, neç in mari potius generentur,

tur, qvam in fontibus qvibusdam, cumq; bitumina eſui non apta ſint, neq; calori vitæ noſtræ convenientia alimentoſaq; ut ambarum.

Secundum eſſe neqvit, cum figuram fungorum unqvam illud habere nullus perceperit, fungiqve putreſcant, nec naturam inſtar illius corroborantem habeant.

Tertium etiam eſſe neqvit, cum ab arboribus gummi nulla maſſa tanta, ac qvæ ambari viſa eſt, exiſtat. Præterea gummi diſſolvuntur in aqva, nec vires ejus miras obtinent.

Qvartam etiam eſſe neqvit, cum avium excreta fundum petant & diſſolvantur in aqvis, nec naturæ conveniant, ſed è contra cauſtica & utplurimum fœtida ſint, neq; nutritiva ſunt, ut ambarum.

Qvintum tandem eſſe non poteſt, cum ſpermata animalium ſolvantur & non coagulentur in aqvis, neq; ſint edulia, & viſa ſunt balenarum ſpermata ab hoc longè diverſa, & tandem raro reperitur ambarum in locis, in qvibus abundant balenæ, & fertur, qvod è contra azel & alii piſces vorato ambaro moriuntur. Qvare concludo, nil horum eſſe, ſed potius ceram melle imbutam, qvod hac obſervatione confirmabo. Accidit, ut an. 1653. D. Comitis Deflers filii Lutetiæ natantes ceræ fruſtum in aqva repererint odorem ambari habens omnino, adeo ut omnes advenientes id olfactu perciperent, credendum

ergo eſt longa ceræ in aqva malaxatione & digeſtione ceram hunc odorem ſibi comparaſſe, qvod facilius in aqva marina forſan ob ſalem, accidere poteſt. Inde ego collegi ambarum ceram ſic tantum eſſe; ſunt enim multæ Regiones & Sylvæ in maritimis oris, in qvibus apes mel in arboribus conficiunt, ut paſſim in Moſcovia, Ruſſia, &c. Adeo ut ex Lud. Guyone in variis ſuis lectionibus, vir qvidam in mel ſimile ad collum usq; cecidiſſet, ibiqve mortem obiiſſet, ni ab urſo, qvi ad mel vorandum venerat, pedem ejus capiens extractus inde fuiſſet. Maris autem inundationes poſſunt mel illud cum favis auferre, ut & arbores integras, fluitant autem hæc diu, & neſcio an agitatione, an ſalina maris qvalitate, an calore ſolis, an antiqvitate, melle hoc in aqvis ſoluto, cera reſtans ab undarum percuſſionibus conſtringatur adeo, ut loculos ejus favosqve percipere neqveamus, ſed nigredines qvædam, qvæ ſunt apes mortuæ vel arborum fruſtula, qvodq; arcano obſ. 62. hanc præcedentis, tantum detegi poterit, ni ſorte vel ſedula inſpectione melius, qvam huc usq; hac aperta porta inqviratur. Dulcedine autem mellis allecti piſces mel illud cum favis deglutiunt, cumq; à parvis maſſa integra deglutiri neqveat, à magnis deglutitur & cera inteſtina eorum obturans eos occidit, fertur enim ambarum in ventre cetorum repertam mortuorum ac fluitantium averſo ventre fuiſſe. Unde natus eſt error,

ror, in iis generari forſanqve ambarum griſeum vel album, vel nigrum fit à varia piſcium digeſtione, qvi illam ceram vorant, vel juxta variam in mari ac diuturniorem agitationem varios gradus bonitatis acqvirit & colores. Præterea ambari fractura eadem eſt cum illa ceræ & eosdem colores capit cera, ſi ſoli exponatur. & rori vel aliis aqvis humectetur, fit enim griſea & alba, ut ambarum. Tandem Chymica arte è melle & cera parantur elixiria & eſſentiæ miræ ad ſanitatem, ſicq; ambarum vires exerit ad corporis vires portentoſas, ob tantas ergo vires neceſſe eſt ambarum rem animalem eſſe, nulla enim planta, nullumq; minerale adeo naturæ noſtræ amicum eſt, ut qvæ ex animalibus proveniunt, nilq; æqvè ac mel naturæ noſtræ proficuum eſt. Qvod exemplo Democriti, Zenonis, Babyloniorum, Pythagoreorum, Pollionis, Macrobiorum, &c. qvi diu ejus uſu vixerunt, centeſimum annum absq; ullo morbo ſuperantes comprobatur; cum enim fructus, imò & cadavera conſervet, ut de Alexandro refert Statius & Plinius de Hippocentauro, potiori jure viventia incorrupta ſervabit, probatur ambarum ad candelam aciculam calidam ei indendo, undè qvaſi oleum erumpit. Idem autem faciet cera. Qvod ad qvisqvilias & roſtra ſepiarum, &c. qvæ in eo reperiuntur, fieri poteſt, ut facilè ceræ agglutinentur.

Nota qvintam mellis eſſentiam fragrantiſſimam eſſe, ambarumq; reperiri, qvod ſubito odo- dorem

dorem non habet reqviſitum. De ambari origine diſſeruerunt Simeon Sethus, Aëtius, Avicenna, Serapio, Averroës, Ferd. Lopez, Scaliger, Garcias ab Horto. Monardes, Cluſius, &c. Sed omnes diſcrepant & ridicula credunt.

Tandem qvod ab ambarum luteum, qvo feſtucæ attrahuntur, attinet, crederem etiam eſſe mel congelatum & à frigore antiqvo qvaſi lapidefactum, ideoq; ob mellis dulcedinem allecta inſecta ei adhærent, & in Moſcovia & aliis Regionibus frigidis ac melliferis reperitur. Odorem enim multum & oleum, ut mel & cera, dat (ſi non aliud ſuccinum, qvod eſt tantum lapis fulvus, accipias,) & ad eosdem morbos valent.

Sed ut rurſus ad griſeam revertamur, Andr. Baccius ambram animale qvid cenſet, & Terentius Faber ac Columna de rebus Mexicanis ajunt, repertam fuiſſe ponderis 300. librarum. Qvare non eſt fungus, nec alia qvæ credita fuere, atq; expeti ab avibus, cancris & aliis piſciculis, ut & à Vulpibus, qvorum ope venatur in maris littore, qvare cum alimentum ſit, excluditur à Bituminum familia.

Lethalis periodus.

OBSERVATIO LXVII.

PEtrus Bonetus Vivarienſis incidit in ſubeth, à qvo tamen curatus fuit, iterum tamen anno ſeqventi & eadem die in idem incidit ſymptoma, à qvo rurſus liberatus fuit, ſed tan-

tandem tertio eadem adhuc die ab eodem petitus fuit ſubeth cum maximo, repentino & omnino inopinato humorum affluxu convulſioneq; adeo ut lingva intumuerit,& loqvelam amiſerit,unde mors brevi ſucceſſit, remedia enim ſolita, ut cucurb. cum ſcarif. &c. neqvicqvam profuere. Hinc patet,periodos eſſe varias qvemadmodum enim in febribus reperiuntur unius diei, duorum, trium, imò 7. & 15. ſic etiam anni & forſan majores reperiri poſſunt.

Ad dolorem dentium.

OBSERVATIO LXVIII.

EMplaſtrum ex pice Burgundica cum pulvere nucis Moſchatæ arteriæ temporali admotum multis contulit, eosqve à dentium dolore liberavit.

Hamus labio infixus.

OBSERVATIO LXIX.

D. Tirefortius Chirurgus Caſtrenſis puerum curavit feliciſſimè, cui hamum alius labio infixerat, hamus autem erat triſulcus ut ſerpentis lingva, qvare avelli neqvibat absq; cruciatibus maximis & laceratione, vel novacula dilatandum vulnus erat, qvod etiam doloroſum valdè fuiſſet, cum multoties illa utendũ fuiſſet, qvare conſilium fuit, hamum adhuc magis intrudere, ut in averſam partem penetraret, qvod faci-

facile factum fuit, & ſic brevi curatus fuit puer, ut in vulnere vulgari fieri ſolet.

Tabes uſu melonum curata.

OBSERVATIO LXX.

I. F. Uxor cognata mea ad tabem vergens cum peponum uſu in cibis ſe melius haberet, in eorum uſu magno perſeveravit & planè curata hoc ſolo remedio remanſit: Cum enim dulcibus recreetur pulmo & pectus, dulciaqve nutriant, non abſurdum erit, eadem aliis tabidis præſcribere.

De cuſtodia phreniticorum.

OBSERVATIO LXXI.

D. Thomaſius Senator Monſpelienſis, D. Raſſium Medicum mihi familiarem ac eruditum virum, pro præceptore filiorum ſuorum habuit, is autem ægrotavit & in delirium ac phrenitidem incidit, dum autem optimè à D. Vigierio Medico Caſtrenſi doctiſſimo curaretur, cuſtodes illum per tantillũ temporis ſolum reliqverunt, qvo momento ille ſurrexit & aperta feneſtra, altiſſima licet, ſe præcipitem dedit, unde brevi mortuus eſt. Hinc colligendum, nunqvam ægros delirantes ſolos relinqvendos eſſe, ne qvidem momento, ſunt enim aſtuti in proprium damnum, & ſibi fingunt, ſe injuria captivos retineri, & evadendum eſſe per feneſtras arreptâ occaſione.

De

De potu in itinere.

OBSERVATIO LXXII.

DUm iter faciunt homines præcipuè vigente calore & hoſpitium appellunt, potum ſtatim petunt, vel ſi alia ſit tempeſtas, ad ignem accedunt & ſubito lipothimiam patiuntur, idq́ mihi accidit aliisqve multis, ut ab hoſpitibus audivi, qvoniam cum jam ſpiritus agitatione viæ excentrari & ad circumferentiam evocati eſſent, potu frigido penitus expelluntur, unde defectu ſpirituum ſincope ſuccedit, idemq́ ad ignem contingit, qvia ſpiritus jam evocatos ad peripheriam ad ſe elicit. Qvare oportet primo manus levare & potius extra corpus aqvam ponere, qvia ſpiritus rurſus ad interiora frigiditate recurrunt, unde fit, ut aqvæ externa reſperſione revocentur, qvi in lypothymiam inciderunt potius qvam potu, præterea mejendum eſt, & aliqvantulum qvieſcere, anteqvam potum illum hauriamus.

Arcanum ad Podagram & lithiaſim.

OBSERVATIO LXXIII.

EN Arcanum, qvod cum magna habui à Germano qvodam difficultate. Acc. menſe Majo Scarabæorum ſubcœrulæorum ſpeciem amygdali nudi craſſitie, qvæ in viis reperitur matutino tempore ſtatim atq; tanguntur, aqvã gummoſam qvandam emittunt tanqvam invidia qvadam naturæ. Qvare nè digitis tangan-

tur ſed chartæ ſubito excipiantur & exſiccentur igne, projectis pedibus, alis & capite, fiat inde pulvis & cum Caryophilli modico à 4. ad 7. grana in vino manè per tres dies propina, ſi ſit neceſſarium nec prima aut ſecunda vice ſufficiat.

Nævi rari.

OBSERVATIO LXXIV.

LOcutus ſum de muliere figuram Soleæ marinæ in fronte habente, ſciunt etiam omnes curioſi Pariſienſes fuiſſe in Palatio linteorum ſutricem qvæ in fronte mentulæ figuram habebat. Sed novi adhuc virum cancri fluviatilis figuram corpori inſculptam gerentem, aliumqve piſcis figuram marini circa cordis regionem, qvæ omnia procedere exiſtimo à Seminaria formarum idæa qvæ non ſemel per aëra volitat (ſic enim in ſummitate turrium plantæ naſcuntur) & inſeruntur non in Matre qvia fortius reſiſtit ſed in fœtu ob teneram ejus carnem. Sic fulmen agit non in marſupium ſed in aurum incluſum & ſic juxta patientium diſpoſitionem agunt agentia.

Scalpella magica.

OBSERVATIO LXXV.

QVidam ſunt qvi dentiſcalpia auriſcalpiaqve habent, qvæ tactu ſolo dolores dentium, aurium & oculorum tollant, ego vero cum certò acceperim eſſe tantum magnete tacta, id tibi revelare volui.

Secre-

Secretum mirum ad tranſcribendos libros & imagines æri inciſas.

OBSERVATIO LXXVI.

PRopoſitio iſtius Arcani mihi à Doctiſſimo curioſiſſimoqve Domino Samuele Hartlib. communicato fidem ſuperat, & neqvidem à dæmonibus fieri poſſe videtur, proponit enim librum tranſcribi poſſe intra horam, magnum licet, & qvavis lingua etiam orientali, idqve absq; ſumptibus & ab ignaro, imo à famulo vel ancilla & idem de figuris æri inciſis. Id tamen ſic fieri poteſt.

Acc. ſaponem venetum, rade minutim, & cineris qverni tantundem nec non calcis vivæ propemodum addas. Tria hæc in olla nova coqvantur aqvâ, tum cocta iſta materia, pluma leniter illinatur liber exſcribendus, atqve inter qvodlibet folium inſeratur chartæ mundæ aliud folium, qvod & ipſum illini poteſt leniſſimè, vel nec illini, modo impreſſa charta lita ſit. Sic claudatur liber probè & poſt paululum temporis torculari inſeratur, vel malleo tundatur; ſed prior modus præſtat, & expertus eſt. Ita exprimitur Typus in foliis mundis accuratè, & tantũ abeſt ut liber impreſſus corrumpatur, ut mundior potius eò fiat; qvam ante fuerat. Exempta folia colliguntur & in ſpeculo directè & perfectè leguntur ac ſi revera impreſſa eſſent. Sed pro imaginib9 ſpeculo non opus eſt. Sic pauper

licet

licet ſis, poteris parvis ſumptibus Bibliothecam facere, eamq́ʒ qvaſi incantatam, cum tu ſolus in ea legere poſſis nempe ope ſpeculi, vel translucem. Alii cum ſale nitro ſapone & aqva vitæ idem peragere volunt, vides lector, qvam ingenuè tibi omnia, etiam rariſſima revelem, qvare iis fruere, nec nimium indignos doce.

Ad febres omnes.

OBSERVATIO LXXVII.

ACc. Vitrioli Cyprii fruſtum, & in libris qvinqve aqva infunde per horæ qvadrantem, bibe hujus aqvæ ceruleæ uncias ſex mane, per ſex dies duabus horis ante cibum, ſi vomat æger curabitur, (remedium reiterando intra decem dies.) Martis crocus etiam bonus eſt ad idem.

De blemmis ſeu viris acephalis.

OBSERVATIO LXXVIII.

NArrat Plinius, Solinus, Münſterus & multi authores poſt illos homines ſine capite ſeu qvi capita in pectore habent in India reperiri, cum autem nil absq́ʒ fundemento dicatur, & à novis qvibuſdam authoribus iſtud confirmetur, nolui tacere qvæ de illis comperta habeo, audivi autem ex viro integerrimo qvi illos vidit homines, eos eſſe viros altis humeris præditos adeo ut capita ferè in humeris ſepulta habebant, habent præterea collum breviſſimum & ferè nullum, & comas longas qvæ caput cum humeris

ris adeo confundunt ut revera videantur acephali & caput in pectore habere. De hiſce vide Lycoſthenem de monſtris VI. Aldrovandũ, &c.

Abortus ſimulatus.

OBSERVATIO LXXIX.

NUnqvam ſatis magna uti poteſt Medicus cautela in morbo ſimulantibus detegendis, qvare Galenus librum de morbos ſimulantibus fecit. Alii enim ut carcerem vitent, vel ut ab illo egrediantur, alii ut à domo qvadam recedant, alii ut pro ægrotis habeantur ut ſcholaſtici, Monachi, Amaſii, &c. ut viros amatos cernere poſſint, alii ut vindictam de eo, qvi eos verberavit ſumant & ob multas cauſas morbos ſimulant. Ob ultimam hanc rationẽ mulier fuit in patria mea, qvæ ut abortum ſimularet ſe paſſam eſſe & ſic in carcerem conjicere faceret eum qvi eam verberaverat, & pecunias ab illo extorqveret, ſanguinem & leporis fruſtula in matricem injecerat ut obſtetricem vocatam falleret, qvæ teſtaretur eam abortum paſſam fuiſſe.

Prognoſticum mortale.

OBSERVATIO LXXX.

NIl nos Deo proximos facit, ex Hipocrate, æqvê ac prædictiones rerum qvæ ægro acciderunt vel ſupervenire debent ideſt præteritarum & futurarum. Qvare iis incumbere debet Medicus. Sic virum vidi, qvem terram olere per.

percepi, ponderoſior etiam ſolito erat, non tamen ægrotabat multum, ut dicebat, is tamen brevi mortuus eſt, ut prædixeram. Odor enim ille erat diſſolutionis maſſæ ejus prodromus, ſic naturaliter fieri poteſt ut aves qvædam ante obitum diſſolutionem viri cujuſdam olfaciant & domo ejus incumbant vel eum nimium ſeqvantur utpote corvi, cornices, picæ, &c. tanqvam cadaver ejus brevi futurum expectantes.

Pulmonis fruſtula exſcreatu reddita.

OBSERVATIO LXXXI.

FUit mulier nobilis qvæ pulmonis fruſtula exſpuebat viva, qvod omnes mirati ſunt, nec tamen tabeſcebat, unde qvidam obſervationes fecerunt. Ego vero audivi hæc certas ob rationes ſimulata fuiſſe & fruſtula, hæc vervecina fuiſſe & non propria, qvare ſemper in miraculis diffidendum.

Ani dolores à Salamandræ affrictu, &c.

OBSERVATIO LXXXII.

QVidam alvum exonerans herbas ſumpſit ut ſeſe mundaret & inter eas fuit Salamandra, qvæ cum carnem ſuam tetigiſſet, non parvam in ano paſſus eſt inflammationem, idemqꝫ alii contigit, ob chartam cui vitriolum involutum fuerat, aliiq; ob perſicariam & arum, qvæ lactis fotu & aqvæ roſac. curata fuerunt.

Pleuri-

Pleuritis valdè freqvens.

OBSERVATIO LXXXIII.

VIr fuit apud nos qvi ſeptuaginta qvinq; vicibus pleuritide detentus fuit tandemq; hydrope periit. Mulierem etiam vidi Nobilem multoties pleuritide conflictatam, qvam ſæpe cum vitaſſet, tandem illa periit.

Lapis in pene.

OBSERVATIO LXXXIV.

VIcinum Cadalenum vocatum habeo cujus puer poſt dolores multos conqveſtus eſt de pene & urinæ ſuppreſſione, re inſpecta viſus eſt tumor in ejus apice, tactu perceptum eſt calculum eſſe, digitorum vero compreſſione verſus ventrem incipiendo & forinſecus mulgendo ejectus fuit & ſic curatus. Non diſſimilem retulit Zacutus hiſtoriam.

De Parotidibus.

OBSERVATIO LXXXV.

D. De Verger procuratoris Caſtrenſis uxor Epidemico morbo maligno laborans tandem mortua eſt, obſervaveram autem parotides ante mortem ejus erupiſſe ſine coctione generali tam in urinis qvam, &c. Unde freqventi experientia fultus malum feci prognoſticum. Qvia materia morbifica copioſa nimium eſt

cum

cum ante coctionem ad externas usq; divagetur partes, & ſic corrumpit interiores partes, ne debilis natura incoctas materias extra totas pellere valet neq; in parotid. contineri qveunt.

Capitis irroratio.

OBSERVATIO LXXXVI.

SEnem Monſpelienſem eumqve Chirurgum peritiſſimum vidi, Formium vocatum, qvi æſtivo tempore aqvam frigidam ſibi ſupra caput effundere præcipiebat & ajebat hæc ad ejus ſanitatem conferre. & optimè ſeſe habebat nullum enim eo ſaniorem virum vidi, aliqvid ſimile apud Celſum legi, non tamen omnibus indifferenter hæc bona eſſe cenſeo, ſed tantum ſangvineis & bilioſis.

Morbus poſt nimium coitum.

OBSERVATIO LXXXVII.

AMicus qvidam meus in morbum incidit ad qvem omnes vocati Medici Urbis fuere qvi de ſangvinis miſſionibus & purgationibus de more ſolito, ut Pariſienſium ſimiæ eſſent, agebant, ego vero illum absq; Phlebotomia curavi, corroborantibus & optimis juſculis, qvoniam nuptias iteratas æger noſter cum amica celebraverat & nimium exolutus fuerat. Medici vero rei illius rationem habere nolebant, & ſine dubio illum jugulaſſent; cum enim ut ait Hippocrates Aph. 22. Sect. 2. qvicunq; morbi fiunt à pleni-

plenitudine eos curat evacuatio, contrarium etiam cenſendum eſt.

Ad Herpetes.

OBSERVATIO LXXXVIII.

ACc. radicem Lapathi, minutim inciſam & à nervo medio ſeu corde mundatam & in aceto per viginti qvatuor horarum ſpatium infunde & eo aceto ſæpe frica herpetes.

Tuſſis, macies & Agrypnia curatæ.

OBSERVATIO LXXXIX.

ÆGros multos vidi macilentos, tuſſiculoſos, ſomno deſtitutos & qvaſi omnino tabidos & moribundos hi tamen uſu hordeatorum freqventi cum Saccharo pulverulento (calx enim eſt in eo qvod in panes conficitur qvare præſtat ab illo abſtinere, ut & conſerva roſ. rubicundiore qvia ſpiritum vitrioli continet) ante ſomnum ſub veſperam & mane etiam, parum ſuper dormiendo curati fuerunt. Uſus enim hordei vel avenæ ſanitati utiliſſimus eſt eoqve utebantur Hebræi, & inde fit ut cereviſia utentes ut Scoti, Helvetii, &c. benè ſe habeant & pingueſcant. Mel album ad idem optimum eſt, ut & ad eqvos brevi reficiendos ſi cum furfure detur.

De umbræ ſeu phantaſmatis apparitione.

OBSERVATIO XC.

AMicum habeo, qvi cum in Monomachia virũ

occidiſſet & aufugeret ante ſolis ortum, vidit alterius eqvitis umbram illum comitantem; unde non parvum horrorem concepit. Sed hæc non ab ulla anima veniebant redeunte, ſed à propria umbra ſeu imagine in aëre craſſo, & rorido, idem viderat olim Vitellionis amicus relatu Joh. Penæ in docta ſua in opticam Euclidis præfatione. Sic Oreſtes ſuam imaginem pro furia accepit & Antiphon ex Ariſtotele ſpectrum ſimile à ſe ipſo manans videre ſolitus erat.

De planta hæmagoga.

OBSERVATIO XCI.

REm admirandam jam revelaturus ſum diuturnoq; ſilentio obvolutam. Loqvitur Galenus de qvodam, qvi plantam invenerat hæmagogam ſeu Vegetalem ſanguiſugam id eſt herbam qvæ ſolo contactu ſanguinem magneticè è venis per poros dilatatos eliciebat. illud ſecretum tamen non ad hominum notitiam pervenit licet utiliſſimum foret, ſic enim gratiſſima & jucunda celebraretur ſangvinis miſſio, absq; ferro, cujus nomine ſolo multi horrent.

Multis ab hinc ſeculis nempe patrum noſtrorum tempore D. Laugerius Delphinas Medicus & Botanicus incomparabilis, eam repererat juxta Laterrã ut mihi relatum fuit, & hæc à Bauhino in pinace de eo referuntur. Sed abhinc nemo qvicqvam de hac re audiverat: fato etiam præventus, cum ſecreto obdormivit, relicto parvu-

lo

lo filio qvi tamen hodie & Medicus & celeberrimus Botanicus eſt. Nuper vero emerſit tertius hujus Arcani poſſeſſor qvi Dno. Simeoni Curtaudo Doctiſſimo, digniſſimo, ac curioſiſſimo Academiæ Medicæ Monſpelienſis Decano hanc oſtendit plantam ut ipſe retulit in Apologia ſua ſecunda adverſus Academiam Pariſienſem, non tamen illam nominavit & qvoniam ſenex eſt, ne adhuc ſilentio obrueretur Arcanum, qvæ ab illo didici inter arcana reticenda hic declarare volui. Nempe plantam illam habuiſſe folia inſtar Salviæ, plantam eſſe montanam & reperiri inter pyrenæos montes & ab illis usqve ad alpes.

Vidit effectum D. Curtaudus cum ſtupore, & nomen viri refert. Hic addam verba ejus, p. 201. Secundæ Apol. ſuæ adverſus Paris. Med. viros duos novi qvi Galenicæ herbæ Hæmagogæ notitiam habuerunt nempe Laugerium Delphinatem & Franciſcum Dumaſium Vallis viridis, vel Loci de la Crouſete, optimum Empiricum, qvi ambo cum arcanis ſuis mortui ſunt. Ultimus eam fœmori ægri ſanguinei admovit & undiqve rivulatim ſanguis manavit & ad Magnetem recurrendum fuit ut ſiſteretur, vidi actionem & herbam ſed nomen non didici locum verò me docuit.

Addam adhuc Galeni locum l. de purg. Med. facult. Sect. 6.

In Bythinia apud Thraces me adhuc puero contigit, ut qvis invenerit herbam qvam ſi qvis aſſumpſiſſet ſangvinem primo tum vitam emittebat, cumq; morerentur multi, ductus fuit ad magiſtratum, & dixit qvod ſuillum jecur urgente ventre depoſuiſſet in herba, unde manavit ſanguis, & ſupplicio affectus fuit. Non easdem herbas fuiſſe ego crediderim cum hæc interius aſſumerentur, alia externè.

Ad colicum dolorem.

OBSERVATIO XCII.

ACc. Juſculum cum allio & oleo olivarum & calidè hauriatur cum vini optimi dimidia parte; ſæpè enim expertum eſt.

Opii grana x. in enemate optima etiam ſunt; ſed cave ne nimiam doſim ponas: nam ſic ſuffocatum virum fuiſſe memini ab imperito Medico qvi renuente docto Pharmacopæo ipſe doſim nimiam à ſe præſcriptam propria manu clyſteri immiſcuit.

Cum hic de opio agatur, obiter dicam rem notandam; nempe pleroſq; ſemine capitum papaveris uti, projectis corticibus tanqvam inutilibus cum tamen in iis maxima làteat vis ſoporifica qvæ ad dimidium granum ſi Chymicè extrahatur miros præbet effectus.

San-

Sanguis craſſiſſimus.

OBSERVATIO XCIII.

D. Tirefortius Chyrurgus Caſtrenſis ſanguinem ab ægro detrahens nunqvam potuit illum elicere niſi vulnere trium digitorũ transverſorum longitudine inflicto licet vaſa ampla & apparentia eſſent, qvoniam ſanguis ſemicongelatus in venis erat.

Phrenitis curata.

OBSERVATIO XCIV.

CUram Phrenitidis jucundam hic inſerendam cenſui, qva ruſticus alium curavit, uſus enim eſt tantum cucurbitæ taleolis, qvas frigide capiti toti imponebat ſæpe renovando.

Serpentes innoxie vorati.

OBSERVATIO XCV.

LOcus eſt qvinqve aut ſex leucis à Caſtris diſtans, in via qva itur Monſpelium ſitus, in qvo innoxiè ſerpentes ab hominibus comeduntur, ut à loci Domino audivi, eosq; viatoribus offerunt coctos, eos vocantes anguillas ſepium: qvi eos comedunt nunqvam ſcabiem patiuntur & curantur ſi ea detineantur.

Anſeres ſcotici ſeu concha anatifera vel arbor conchifera.

OBSERVATIO XCVI.

MUlti qvendam de arboribus conchiferis ſermo-

monem fecerunt, ſed qvoniam viſa ſunt oſtrea qvæ arborib. maritimis conjuncta caſu fuerant glutine qvodam, creditum eſt ſic de reliqvis omnibus fuiſſe& authores fuiſſe hallucinatos, ſed cum nullus adhuc Phyſicus obſervarit, qvæ ego obſervavi, ea hic inſeram. D. Groſſius D. Puteano Regio Bibliothecario ramum qvendam arboreum dedit absq́ foliis, ſunt enim tantum longi qvaſi ſurculi&in apice uniuscujusq́; eſt concha ſed hæc concha non habet marinarum figuram ut à me primo obſervatum eſt, nam eſt inſtar amygdali, & è contra aliarum concharum qvæ vel una tantum, vel duabus ad plus conſtat partibus, hæc qvinq; partibus conſtat, qvinq; tales apud illum videntur adhuc eodem in ſurculo, qvæ forma nova oſtendit rem eſſe inſolitam & non oſtrea caſu conjuncta.

Calcis plumbi pondus auctum.
OBSERVATIO XCVII.

AMicum habeo qvi ex centum plumbi libris calcinatis 118. calcis habuit. Alios habeo qvi ex antimonii libra, unicas 18. etiam extraxerunt, ſtanno idem contigit, unde hæc autem veniant difficilè dictu eſt, fertur etiam tegulã crudam leviorẽ eſſe cocta licet aqva multa ex illa evaporata fuerit. Ariſtoteles etiam ait virum jejunum ponderoſiorem eſſe cibato. Credendum eſt illud ab aëre incluſo fugato id provenire vel à ligni ſpiritibus allectis & collectis, vel à vaſe, &c.

Pilulæ

Pilulæ optimæ.

OBSERVATIO XCVIII.

ACc. aloës hepatici & cum ſucco roſarum ad ſolem extractum ab illo para, evapora deinde & da ad grana decem per dies qvindecim circa veſperam ante cœnam, mane vero capienda ſunt tria grana extracti juniperi. Hiſce pilulis cholagogis utitur feliciſſimè illuſtriſſima Domimina de Rohan mater, & à D. Lagneo, & Vignavero feliciter à longo tempore (inter arcana illas habentes) uſi ſunt, venit autem illud ſecretum à Fabricio ab aqva pendente.

De herba judaica ſeu tetrahit & callo cerebri.

OBSERVATIO XCIX.

PLanta hæc tantis pollet viribus ut balneo ſuo paralyſes, & fotu pleuritides ſanet.

A Chirurgo audio repertum fuiſſe os mirum multis cuſpidibus horridum, in dura matre cerebri unde dolores æger capitis diu paſſus fuerat.

Naſus mirus, & glandula.

OBSERVATIO C.

DIximus animalia, mineralia & plantas in homine progigni poſſe & exemplis confir-

mavimus, de animalibus adhuc addam, eſſe mulierem qvæ mures partu ſæpè ediderit. Sed de vegetantibus nunc agere decrevi. D. Breſſius Medicus Spagyricus Solertiſſimus virum circa Urbem Granatæ juxta Montalbanum vidit, qvi naſum omninò inſtar ſempervivi habebat, cui folia apparebant, & alium qvi in tumore digiti indicis habuit glandulam, qvæ poſtqvam aperta fuit, ſeſe explicavit in formam roſæ centi foliæ: qvod provenire poſſet à Roſæ ſpina infixa, ut olim de prunulo accidit, &c. ut dictum.

EPILOGUS.

PLures adhuc addere poſſem, ni numerus optatus completus eſſet, utpote de vi noviſſimè detecta in lapide] Phoſphoro qva argentum etiam remotum nigrum reddit, de lapide indico melancholiam ſi teneatur fugante, de lapide flexili, Lutetiæ binis in locis viſo. De viro qvi cum purgans medicamentum accepiſſet & coitum ſtatim exercuiſſet, uxor ejus pro illo purgata remanſit, de Vetula Biterrenſi qvæ nuperrimè poſt ingentem hæmicraniam 40. vermes aſcaridiformes per nares emiſit & ſic curata remanſit curis Chariſſimi noſtri Laurentii Medici eruditiſſimi Rubricampenſis. De famulo qvi in fœno jacens, inſectulum auripetum in aurem ejus irrepſit, qviq; dolores ei tantos incuſſit ut in maniam ferè inciderit, & ibi ſonum edebat qvi è longinqvo audiebatur, tandemqve oleis

ama-

amaris occiſus fuit curis doctiſſimi & celeberrimus Iſaaci Caterii Medici Monſpelienſis; credo etiam qvod ad mel, vel pomum coctum veniſſet. Item de Serario Fabro cujus crus noctu undiqꝫ per mille poros ſangvinem ſponte emittebat in altum tanqvam per innumeros ſyphunculos, cujus rei admirandæ, à varicibus ut opinor proveniente (iis enim detinebatur) teſtis oculatus eſt ſvaviſſimus noſter ac omni doctrina imbutus Claudius Martinus Medicus, Pariſienſis.

Deqve alio ova tanto adeoqꝫ acerrimo proſeqvente odio ut bullas in corpore ſolo contactu ei excitarent. Et tandem de puella cujus oſſa omnia flexibilia fuere, ſed hæc pro qvinta & ſexta, &c. obſervationum centuriis ſervabimus. Vale.

APPENDIX
Ad Qvartam
OBSERVATIONUM
CENTURIAM.

AD Obſervationem 28. Fuit mulier, qvæ cum illi aliqvis dixiſſet ut aqva forti dentem dolentem tangeret, gargariſma ex illa faciens omnes amiſit dentes & à maxim. faucium excoriatione difficillimè curata fuit aqvis plantag. & roſar. cum melle roſaceo.

Ad Obſ. 34. D. De Chambulans & D. Grandor, hanc cancrorum reſurrectionem fecerunt.

Ad Obſerv. 62. Crederem hæc fieri poſſe ſi calcinentur plantæ in vaſe clauſo, ne ſal volatile in qvo latet vis reſurrectiva evaporetur, deinde illud colligendum eſſe cenſeo & fixo ſali miſcendum ope aqvæ vitæ optimæ, vel roris majalis & vaſe ſigillato, calore mediocri hæc circulari debere per aliqvod tempus ut probè uniantur principia purificata.

Ad Obſ. 68. De dolore dentium. Alii ſaponem pedum plantis apponunt ut qvaſi veſicante remedio excorientur, & ſic dentium dolor minuitur, humore alibi derivato.

Ad Obſ. 97. D. De Chambulans plumbum illud calcinavit.

FINIS.

INDEX.

PRIOR NUMERUS
Centuriam, ſecundus obſervationem indicat.

A.

ABorſus mirus, 2.98. Simulatus, 4.79
Abſceſſus mirus, 2.86
Abſceſſuum evocatio, 1.72
Abſceſſus in ventriculo, 1.54
Abſinthii vires, 1.41
Abſtinentia mira, 3.35
Acephalus puer, 3.3
Accretio ſubita, 1.1
Agnus Duplex, 4.20
Alcheron haratzin lapis bovinꝰ ejusq́ꝫ vires, 1.5
Aloë planta caulem molis ingentis emitens cum ſtrepitu, 1.1
Aluminis vires, 4.50
Alvus pigra, 2.14
Alvi fluxus, 2.40. 4.59.
Ambulandi impotentia, 1.59.
Ambari origo, 4.66
Ambuſta curare, 1,50. 1.76
Anatomia infuſoria, 4.6
Anginæ miræ, 4.60
Anſeres ex arbore nati, 3.50.4.96
Ani dolores, 4.82
Anus imperforatus curatus, 3.9
Antipathia mira, in Epilog.

Apes

Apes miræ in qvibus floſculi nati ſunt, 1. 10
Apoplexia in ſang. 2.34
Aqva vitæ in aëre lucem faciens, 1.3
Aqvæ magneticè agentes, 2.6
Aqva fortis epota, 4.28
Aranea deglutita, 1.81. 3.19. Rara de araneis, 3.19.
Innoxie voratæ, 4.56
Arbores natæ in homine, 1.10
Arbor vocifera, 3.63
Archei architectonici, 2. 1
Arenæ vis, 3. 65
Arg. vivi potio, 2. 29.
Ariſtomachi occupatio, 2.10
Ariſta in Collo, 2. 61
Arſenici venenum, 3.36. 4.19
Aſtrologia certa, 2. 94
Aurum potabile, 1.6
Articuli vitiati, 1.26
Aſthma, 4. 46
Atramenti potio, 4.40
Aureliani virtus, 2. 90
Aures mobiles, 2. 16

B

BAaras planta lucida, 1.3
Baculi ad fracturas & contuſiones, 3. 77
Ad hæmorrhag. 3.78.
Balenæ muſcoſæ, 1.10. In hominis venis, 3. 4
Obſerv. raræ de iis, 4.48
Baſiliſci falſi, 2.74. In ovo, 4. 1
Betonicæ vis, 3. 8
Bilis

Bilis bullientis vomitus, 2.1
Biolychnium, 3.89
Blemmi ſine capite, 3.3.4.78
Bononienſis lapis, 1.3
Boum lapides, 1.5
Bufonis remedium ad peſtem, 1.22. Eſus, 2.37.
Bufo falſus & arte factus, 2.74. Ex ſudore nati, 3.50. Ab homine ejecti, 3.57
Bufonis oleum ad ſcroph. 4.38
Butyri effectus, 3.26

C

Cacaotetl. lapis, 2.38
Cachexia, 2.82
In calcem delapſus, 4.30
Calculi veſicæ rari, 2.62
Cura ejus, 3.22. In pene, 4.84
Calculi deglutiti, 1.69
Cambreti potus, 2.85
Cancri cura, 2.51. 2.67.
Cancrorum regeneratio, 4.34
Canities ſubita, 1.26
Cannabis inſita mulieri, 1.10
Canis triceps, 2.83. & cum 6. tibiis, &c.
Canis rabidi venenum diu latens, 1.1. 1.74. Sagacem reddens, 3.68. Figuræ canum in urinis, 1.28. Ad morſus eorum, 3.38. De cane notanda, 3.68
Capilli in ſerpentes mutati, 1.23. & in ulcere.
Capillos denigrare & exſiccare, 3.2
Capitis tremor, 3.98
Capitis avulſio, 3.100. Irroratio, 4.86

Cap

Capra cornua in pede habens, 1. 10
Carbunculi ſpecies rara, 2. 12
Caro nocte lucens, 1.[illegible]
Carpio muſcum in dorſo gerens, 1. 10
Carunculæ cura, 1 79
Caſſiæ uſus, 3. 5
Catuli ad podagram, &c. 3. 28
Cataractæ raræ, 3. 61
Ceraſus in aure, 1. 10
De cepa, 3. 79
Cerebri ſubſtantia deperdita, 1. 88. Diu incorrupta ſervata, 2. 36. Abſceſſus, 2. 49. Defectus ejus, 3. 3
Cervi lachryma, 1. 1
Chymicæ fallaciæ, 3. 21
Cholera morbus, 2. 27
Cimicum origo, 3. 53
Circulatorum arcana, 2. 74
Clandeſtinæ vires, 1. 30. & ſpecies, ibid.
Clandi ſponte facti, 1. 7. unde, 4. 9
A Clavo gangrena, 1. 82.
Clyſter inebrians, 1. 56.
Cochleæ lapidefactæ, 2. 62. 3. 83
Colores fœdi, 4. 54
Colicus dolor, 4. 92
A coitu morbi, 4. 87
Coitus mirus, 2. 31. & in epilog. Sanguineus, 4. 17.
Colli contorſio, 4. 18
Cometa, 2. 80
De conſpicillis, 3. 99

Con-

Contuſio, 3.77
Concha anatifera, 4.96
Cor vulnera patitur ſine morte, 1.88
Cornarus vivax, 2.39
Cornu plantabile, 4.52. Rara de cornibus, 4.52.
Cornua in pede, 1.10. 4.52. Inſeri poſſunt, 1.10.
In facie, 1.14.
Coryli vis, 3.77
Cranii fracturæ, 2.20
Crania inſolita, 2.63
Cryſtallinum corpus, 3.66
Crotaphyti muſculi ſectio. 2.20
Croci noxæ, 4.35
Cucurbitularum effectus, 1.60
Cyclops, 3.3

D

DElirium ab inedia, 3.81
Dementia ab embrocatione, 2.13. A menſtruis retentis, 2.30. A matricis Symptomatibus, 3.80. A hioſciamo, 4.45
Demoniaci cura, 1.37. 1.51. Simulatus, 4.47
Dentium dolor horrendus, 3.8. 3.27. 4.68. 4.75.
Dentes dealbare, firmare & carne tegere, 2.65. In ſenectute, 2.81. In Palato, ibid.
Dentes tactu avulſi, 1.2. Avulſi iidem, radices rurſus agere poſſunt, 1.10. Curare dentes Puerorum, 1.97. Adultorum, 1.98. 3.13. Nulli, 2.41.
Digiti juncti & ſuperflui, 1.85
Diſſolventes liqvores in nobis ſunt, 2.1
Doloris cura, 2.99

Dra.

Dracones muſcoſi, 1.10. In tibiis, 1.28. Falſi, 2.74.
Draconum dentes ad venena, 2.85
Dyſenteriæ remedia, 1.13. 1.57. 2.40. Epidemica, 1.36. Remedia, 2.82.

E

EBullitio, 2.43
Echo mira, 3.63
Eclipſis, 2.80
Ecſtatica mulier, 2.54
Elephas qvando proferre qveat fœtus, 1.1
Embrio in ſtomacho, 1.10
Emplaſtrum ſtellatum, 3.40
Epicuri diſcipuli, 1.95
Epidemici morbi, 4.42
Epilepſiæ, 1.1. Remed. 1.18. 3.15.
Epileptici cranii apertio, 2.78. A pollice, 2.95
Eremitæ Toloſani mira vis, 1.74
Erucæ verbis fugatæ, 1.19. Innumeræ, 3.18
Erucoaranea, 3.12
Eſſei cur vivaces, 2.35
Exanthematum prognoſis, 2.35

F

FAcies mutata, 2.89
Fallaciæ Medicæ, 1.2. 3.30
Fal. Phyſicæ, 2.74
Fal. Chymicæ, 3.21
Faſcinum ad odium, 1.91
Febres tertianæ, 3.56
Febres malignæ, 1.6. 1.55. Cauſa earum, 2.32
Febrifuga, 1.32. 4.77
Febres Epidemicæ, 2.35. 3.5. Ephemeræ miræ 2

Febrium cura, 1.6.3.6.1.14
Feces per veſicam emiſſæ, 3.16
Ferri in cuprũ converſio, 3.75. Excãdefactio, 4.8.
Figura pulli & plãtæ in ovo & ſemine, 3.42.3.54.
In glacie, 3.71
Filicis ſemen mobile, 3.54
Fiſtulæ cura, 1.83. 2.67.4.53.
Flammæ ex aqvæ ductu, &c. 2.75
Fletus nimius, 2.99
Flores in naſo nati, 1.10. In ape, ibid.
Fontes lapidifici, 1.5
Fractura, 3.77
Fragorum vires, 3.32
Fraxini vis, 3.78
A frigore gangrena, 3.24
Frigore congelati, 1.84. 3.32
Frigus, 3.11. Præſagire illud 3.79
Fructus barbati, 1.10
Fulminei lapides, 3.86. 3.87
Fulminis effectus & arcana, 2.38. 4.3. Ejus ſimpathia cum pulvere pyrio, 2.38
Fungus ſtellatus, 1.3
Fungi per totum corpus, 1.34

G

GAlgerandus Med. 2.55
Gallina plantam natam in collo gerens. 1.10
Biceps. 2.57
Gallorum Calcaria, 1.10
Ganglii cura, 1.15
Gangrena à clavo, 1.82. Ab immunditie, 3.17

Gangrenæ cura, 2.7. A pericarpio. 2.91. Ab acicula, 3.7. A frig. 3.24. Curata, 3.65.
Gaſſendus laudatus, 1.3.1.21. 1.28
Gemellæ, 2.95
Genuum dolores, 2.10. 4.4
Gigas puer, 1.42
Gigantis omoplata, 2.63
Glaciei figuræ, 2.21 3.11. 3.71. Noxæ, 3.11
Grandinis formatio, 1.5
Graviditas mira, 4.26
Guttur mirum, 2.8

H

HÆdera in cornibus cervi, 1.10
Hadriani virtus, 2.90
Hami extractio, 4.69
Hemicrania, 1.61. Mira in epilog.
Herpes, 4.68
Hæmagoga planta mira, 4.21
Hæmoptois rara, 1.24. 2.35. Mira in Epilog.
Hæmorrhagia perpetua, 2.87. In coitu, 4.17
Hæmorrhagiæ, 1.95. Verbis curatæ, 1.94. Alia, 3.55. 3.78. 4.7.
Hæmorrhoides, 1.63. Stupendæ, 4.58
Hepaticus fluxus, 1.99
Hermaphroditi cura, 1.100
Hioſciami vis, 4.45
Hircus monſtroſus. 4.20
Hominum proprietas, 2.90. 3.6
Hordei vires, 4.89
Hidroceles cura, 1.4
Hidrocephalus, 1.38

Hi-

Hidrops ab epilep. 3.34
Hidrops,1.70.2.23.2.24. Matricis,2.26.2.53 4.16.
Hipochondriaci, 1.37.3.47
Hipercatharſis, 2.54
Hirudo in faucibus, 1.24
Homo Muſcoſus, 1.1
Homuncio 1.10

I

JAlapii virtus, 2.23
J!deris, 1.14
Icterus mirus, argentum tingens, 1.68.2.40. à tabaco, 4.31
Ignis triplex, 1.3. Emiſſus ab hominibus, 2.70. Mirus,2.75.3.70. Diuturnus,3.89. E ferro,4.8. Lambens rarus, 4.39
Imperforati pueri & virgines, 1.77.1.78
Incendiaria mulier, 3.47
Inebriatio à Clyſtere, 1.56
Inediæ cauſa, 3.89
Inflammatio magna, 3.65
Inguinum tumores, 1.12
Inſania à maleficio, 4.22
Inſectum venenatum, 1.33. Horrendum in homine,2,79, Baleniformia inſecta in ſanguine, 3.4. In aure. In Epilog.
Inſitiones miræ, 1.10
Inſufflationis vis, 3.58
Iſchiadici dolores, 2,10. 4.55.
Iudaica herba, 4.99

L

LAbia craſſa, 4.49

Lac in viro, 1. 49
Lactis copia mira, 3. 82
Lacerti morſus, 1. 43
Lacerto ſerpens, 2. 15
Lactis horror, 4. 61
Lachrymæ ſanguineæ, 2. 56
Lampades antiqvæ, 3. 89
Lapis Hiſpanus cruciger, 1. 32.
Lapis imperialis, 1. 98
Lapis melanch. fugans, 3. 36. Flexibilis in Epil.
Lapis Bononienſis, 1. 3. & in epilog. In cyſtide fellis, 1. 4. in ulcere tibiæ, 1, 4. 3. 22. In humero 1. 87. In veſica bovis, metallicus, &c. 1. 5. In omnibus partibus corporis, 1. 5. Tuſſi rejecti, 1. 67. Sub lingua, 2. 17. in veſica humana miri & maximi, 2. 22. Tonitru edens, 2, 38. Sub cranio, 2. 61. Mirus, in epilog.
Lapideus puer, 1. 5.
Lapidea veſica, 1. 5
Lapides in toto corpore, 1. 67. 1, 5
Lapides dentiformes. 2. 85
Lapidefactorum cauſa, 2, 62. 3. 83
Lapidifici ſpiritus, 1. 5
Laudani noxa, 4. 57
Legumina in aure & naſo, 1. 10
Lentigines, 4. 21
Lepræ cura, 2. 37
Lethargus, 1. 52
Ligaturæ nuptorum, 4. 65
De limacibus notanda, 3. 23

Sub

Sub lingua lapides, 2.17
Linguæ tumor, 2.43
Linguis variis loqventes ægri, 2.54
Lingua duplex, 2.63
Locuſtarum origo. 3.41
Longævi, 2 39
Lucentia multa ut caro, plantæ, &c. 1.3
Lucis cauſa eſt qvædam aqva vitæ, 1.3.4.44
Luis venereæ cura, 2.37.2.96
Lux captiva fit & retinetur à multis rebus, 1.3
Lupi rabies, 1.75
Luxatio coſtarum ſpontanea, 2.71

M

MAcies curata, 4.89
Macies à ſuperpurgatione, 2.64
A nuce myriſtica, 4.63
Magiæ vanitas, 2.21.3.87.3.97
Magnes, 2.88.3,14.3.80
Maleficium ad inſaniam, 4.22
Mammæ ingentes, 1.48. Tres, & cum papillis duabus, 1.49
Mandragoræ falſæ, 2.74
Mania à philtro, 1.65
Manus ictus & paralyſis, 2.55
Marrubium, 4.14
Caroli Martelli ſepulchrum, 1.23
Maſclous, qvid. 1.80
Matricis cruciatus, 2.66.3.48
Medulla ſpinalis eſt cerebrum oblongatum, 1.8
Ad Melancholiam, in epilog.
Mellis vires, 4.89
Melonum vires, 4.70.

Membranæ tegentes aures,oculos,&c. 1.85
Menſtrua, 4.14
Menti furfures, 4.21
Mercurius plantarum, 3. 88
Metalla in animalibus nata, 1.10
Eorum nutritio, 3.37
Meteora nova, 3. 41. 3. 74. Arte parata, 3. 87
Milvi piſcis lingva lucens, 1. 3
Monoceros, 1.22.2.74. 4.52. 4.78.
Monſtra, 2. 83. 3. 3. 3.43. 4.20.
Monſtra arte fieri poſſunt, 1. 10. 1. 100.
Biceps, 2. 57. In plantis, &c. 3.94
Morbi Hæreditarii, 1. 7
Tranſplantantur, 1.10.3.36
Ad morbos incognitos, 3.28
Simulati, 3.30.4.79.4.81
Morus tardè folia emittit prudentiæ Symbolũ 1. 1. In aure, 1. 10
Vir muco carens, 2.68
Mulæ partus, 3.90
Mumiæ humanæ tranſplantatio, 3.36
Mures à muliere partu editi, 3. 73
Comedentes metalla, 3. 95
Muſcarum origo, 3.41. 3. 50.
Muſcilionum vomitus, 3. 50.
Mutus mirus, 4. 23

N

NAſi, aurium & labiorum, abſciſſorum reſtitutio, 1. 10. Miri, 4.100
Naſus duplex, 3. 43
Nævi miri, 3. 49. 4. 74.

No-

Noſtoch, 3. 41
Nubes peſtifera, 1. 21
Nuces miræ, 1.1
Nummi deglutiti, 4. 25
Nympha, 3. 59

O

OBſtructio, 1. 12
Oculi varii, 2. 63
Oculorum morbi, 2. 77. Cauteria, 2. 97.
Strabiſmus & motus inſolitus, 3. 1
Oculi eruti à morbis, 2. 97. Repoſiti, 3. 64.
Oculis an vinum conferat, 2. 77
Oculorum radii vitrum perforantes, 3. 1. 3. 67.
Hydrops eorum, 4. 51
Onopordi virtus, 2. 51
Ophthalmia, 3. 1
Oris ſpaſmus, 2. 84. Ulcera, 4. 64
Os cruciforme in liene, 1. 14
in corde cervi, bovis, eqvi, 1. 4
Os dilatatum, 1. 85
Oſſa lapidea, 3. 76
Oſſa gigantea, 2. 63
Oſſicula in urinis, 2. 5
Oſſium vires, 2. 85
Ova rara, 3. 42. 4. 1. 1. 10.
Odio proſeqvuta, in epilog.

P

PAlma qvando fructifera, 1. 1
Papiliones rari, 4. 37
Paracenteſis, 2. 76
Pareliæ, 2. 92

Parotides, 4. 85
Partum facilem reddere, 2. 25. 3. 52. 4. 24.
Partus numeroſus, 2. 44
Monſtroſus, 3. 73
Pavi ſtercus. 3. 15. 3. 98
Pediculi ex ſang. 3. 50
Pedum dolores & tremores, 1. 84
Peireskius laudatus, 2. 3. 1. 10
Penis monſtroſus, 4. 13
Pentaphylli vires, 1. 32
Periapta, 3. 36
Periodus lethalis, 4. 67
Peripnevmonia, 1. 17
Peſtis olfactu percepta, 1. 74
Peſtis cum nube cadens, 1. 21
Ejus remedia, 1. 22
Ejus ſymptomata, 1. 83. 4. 5
Eruens oculos, 2. 97
Phantaſmata qvid, 4. 90
Philtra, 1. 65
Phlebotomiæ noxa, 2. 45. 3. 11. 4. 15. 4. 24
Phrenitici, 3. 69. 4. 5. 4. 71. 4. 94
Phthiſis puerorum, 2. 59
Piloſus puer, 1. 58
Pilulæ optimæ, 4. 98
Picantes Virgines, 3. 19. 4. 2.
Pinguedo nimia, 2. 11
Piſa in ulcere, 2. 86
Piſcis Tobiæ, 3. 91
Piſces lucentes, 1. 8

Foſſi-

Foſſiles, 1. 9 Scripti, 4.37
Vomitu ejectus, 1. 9
In digito genitus, 1.28
Plantarum phantaſmata, 2. 21. 3. 71.
Nutritio in aqva, 3.37
Pleuritis, 4. 83
Plumbi cum homine ſympathia, 2. 9
Salis noxa, 4. 32
Plumbi calx aucta, 4. 97
Pluvias facere, 3. 87
Podagræ cura, 2. 10. 2. 42. 4. 11
Levamen, 3. 28. 4. 73.
Podex ſine foramine, 1. 77
Pollicis punctura, 1. 96
Potus in viis, 4. 72
A potu abſtinentia, 2. 68
Priapolithi, 3. 85
Prognoſtica, 1. 59. 4. 80
Prunellæ plantæ vires, 1. 21
Prunulus in pectore viri & collo gallinæ, 1. 10
Pruritus, 2. 43
Puella hirſuta, & barbata, 1. 10
Imperforata, 1. 78
Pulmo exſcreatus, 4. 81
1. Puer canus, 1. 11
2. Pulmonici, 4. 15
Imperforatus. 1. 77
Purgationis noxa. 2. 45. 4. 15. 4. 33.
Facilis, 3. 29
Mira, in epilog.

Puris mictus, 1.17
Evacuatio ut inſtituenda, 1.72
Per os, aures, nares & oculos, 1.73
Pyrius Pulvis allicit fulmen, 2.38
Pyrrhi virtus, 2.90

Q

QVartanæ qvid nocuum, 4.33
Qvercinus fungus, 2.95
Viſcus, 1.10

R

RAbies à lupo, 1.75
Vide, canes.
Rami hiſtoria, 2.77
Ranæ in ulcere, 2.86
Raucitas inaudita, 4.27. 4.29
Regeneratio partium, 2.18
Plantarum, 2.21
Cancrorum, 4.34
Renovatio, 2.81
Reſurrectio plantarum, 2.21
Rerum omnium, 4.62
Rhei uſus, 2.82
Robiginum origo, 3.87
Ros aurum ſolvit, 1.6
Auri hæret paleis, 1.6
Coagulati figura, 3.71
Rubus in ventre pueri. 1.10
Ructus diuturni, 1.62

S

SAgæ, 2.59
item, 1.45. 1.46, 1.55.
Earum notæ & puerorum raptus, 1.92
In gehenna dormiens, 2.50

Sal figuras dat glaciei, 2.21
Salis Saturni noxæ, 4.32
Venenum, 4.82
Salamandræ vomitu rejectæ, 1.23. 3.57
Sanguis congelatus cryſtallinus, 2.28
Sanguis albus, 1.25
Sanguineæ maculæ, 1.45. 1.46
Sanguinis miſſio, vide phlebotomiam.
Sanguis frigidus, 3.58
Sang. craſſiſſimus, 4.93
Sanguinis vires, 4.16
Sang. ſiſtens arcanum, 4.50
Saponariæ vis, 1.18
In Scabie præcautio, 2.92
Scabies curata, 2.7
Cum vermibus, 2.78
Scevolæ, 1.9
Scintillæ in induſio, 2.69
E capite, 4.43
Scorpio marinus, 1.28
Scrophulæ, 2.67. 4.38
Scalpella magica, 4.75
Scriptura ſubita mira, 4.76
Semen, non in teſticulis tantum, 1.28
Semina morborum, 1.74. vide morbum,
Senes juveneſcentes, 2.81
Longævi 2.39. 3.10
Senſitiva planta noſtras, 1.100
Septimeſtris partus notæ, 1.71
Sepultura nimis accelerata, 3.44

Sericei vermes, 3.12
Sericeum filum in muliere vegetans, 1.10
Serpens à puero ejectus & ab homine gignitur, 1.23.
E capillis nati, 1.23. & in ulceribus,
Ab hominis ore eductus, 3.31
Eorum ictus curare, 1.27
Ex iis cibus, 2.37
Comeſti innoxiè, 2.37. 4.95
In ovo, 4.1
Sigilli mariæ virtus, 2.10
Signaturæ, 1.30
Soles duo, 2.93
Speculorum uſus Medicus, 2.52
Spina diu in digito latens, 2.16
Spiritus lapidifici, 1.5
Vir absqve ſputo, 2.68
Sterilitatem arcere, 1.29. 1.30
Strabones, 4.9
Stultitia ab ictu, 2.73
Sublimati uſus, 2.92
Succinum, 2.88
Sudor viridis, 2.56
Bufones producens, 3.50
Perpetuus, 4.36
Sudorificum, 1.35
Suffocat in aqva, 2.2
A multi vaporibus & fumo, 2.4
A matrice, 2.66
Sus Duplex, 3.3

Sur-

Surdus mirus, 4.23
Suturæ cranii raræ, 2.83
Sympathiæ miræ, 2.42
In epilog.
Sympathicæ curæ, 3.46

T

TAbaci noxæ, 4.31
Tabes verbis curata, 3.62
Melonum uſu, 4.70
Hordeo, 4.89
Tamariſci ſemen mobile, 3.54
Tendo regeneratus, 2.18
Terræ motus cauſa, 2.38
Teſticuli tumor, 2.42
Tres & unicus, 2.60
Teſtudineus tumor, 2.57
Tetrahit, 4.99
Theæ vires, 3.39
Therebentinæ odor violaceus, unde, 2.33
Tiberius nocte videbat, 1.3
Tibiarum morbi, 1.44
Tonſillarum inflammatio, 3.84
Tranſplantationes miræ, 1.10.1,28.4.100
Tripudiatio à maleficio, 4.22
Tubera radices habere, 3.92
Tumor vento plenus, 1.8
Genarum, 1.86
Mirus in cap. & ut aliud caput, 2.57
Turcheſiæ, 2.85

V

VAcca multicornis, 1.10
Vacuum, 4.12

Vagi-

Vagitus uterinus, 3.72
Variolæ 1.34. 1.64
Variolæ recurrentes & ætate provecta, 3.10
Cum vermibus, 2.72.
Vena Renata, 2.18
Venena topica, 2.3
Venti lapidifici, 1.5
Verbaſci vires, 1.27
Verborum vis, 1.19. 3.62.
Vermes in naſo, 3.45. in epilog.
Vermes necantia, 1.90. 2.70
In ſanguine 3.4
Hirſutus, 2.70. 3.33
Vermes in omnibus partibus corporis, 1.5
In Scabie & Variolis, 2.72
In capite 1.19 &c.
In Epilogo, & 1.39. 1.40, in umbilico, cranio, proliferi, 1.89. In dorſo, 1.80
Veronicæ virtus, 2.53
Verrucæ cunatæ, 2.46
Verticis dolor, 1.38. 1.39. in Epilogo.
Vervecis caro lucens, 1.3
Veſicantium effectus, 1.60. 2.58
Veſpaſiani virtus, 2.90
Vitæ ratio qvam conſideranda, 3.60
Vini uſus ad oculos, 2.77
Violarum odor in urinis unde, 2.33
Viperæ vires, 4.19
Vir muſcoſus, 1.10
Viri videntes in tenebris, 1.3

Vir-

Virgo arcta, 2.77
Viſus recuperatio, 2.81. 3.91. 3.99
Ad viſum, 4.41
Viſcus qvernus inſeri poteſt, 1.10
Vitrivorax, 1.52
Vitulus Duplex, 3.3
Ulcera pediculoſa, 1.20
Alia, 1.16
In ventriculo, 1.66
Cum inſectis, 2.48
Unguenta optima, 1.96
Ungues Renati, 2.70
Cavi, 3.96
Unicornua, 2.74
Unio in dente, 1.10
Vomitus muſcilionum, 3.50
Qvam utilis, 3.93
Vomitus piſcis, 1.9
Clyſteris, 1.17
Suppoſitorii, candelæ, &c. 1.17
Araneæ, 3.19
Diuturnus, 1.53
Bilis bullientis, 2.1
Urticæ vis, 1.95
Vulnera & ulcera magna curata, 1.16. 1.47
In corde, cerebro, hepate, 1.88
Ob amaſiæ præſentiam non curata, 1.93
Ea curare, 1.96. 4.4
Oculi, 2.19
Mira, 3.20

Citius

Citius clauſa, 3.25
Uvæ barbatæ, 1.10
Vulva duplex, 2.83
Uvulva. 3.84

Z.

Zoolitha, 1.100
Zoophyta, 1.100

SPECTATISSIMO VIRO D. P. B. Τῷ πάνυ ἰατρῷ in editioribus Pindi jugis & receſſibus philoſophanti, circulares diſciplinas impenſius callenti, de hoc libro nuper edito, deq́ altero prope diem edituro, elogium, ἡ μαρτυρία.

Volutanti mihi hunc codicem, viſenda, mirandaq́ undiq́ oboriuntur, obſervatur Thaumantiæ proles, animoq́ recurſat, ſive ſubſtrata materia, ſive ſeries, & methodus penſitentur. Hac Iride percuſſus, & perculſus, ſolo obtutu hæreo defixus, qvid enim in eo concinnatum, qvod non ſuſpicienda, & ſtupenda redoleat, arcana magis recondita, qvæ à vulgi tenuitate abhorrent, multis ſeculis latentia, nec ſatis diſcuſſa, reſerat, excorticat; ænigmata obducta involucris non findit aut ſcindit, ſophiſtarum more, ſed ſingulari qvodam ingenii acumine, ſophorum inſtar, diluit, & ſolvit, omnesq; Phyſiologiæ, & Medicinæ calles, ſalebras, ſuo marte, exaciat, adæqvat, in qvo ſcintillant ſententiarum lumina, & numeri innumeri, qvi in oratione pedeſtri paucis innoteſcunt. O immenſum oraculorum pela-

pelagus nuſqvam ſatis emenſum, non eromatis, problematis, opinationibus, conjectationibus refertum, qvibus mens fluctuat & titubat, ſed definitionibus, axiomatis, principiis, concluſionibus, tanqvam corollis redimitum, qvibus intelligimus, & ſapimus; ô prædives theſaure, non deliteſcens in viſceribus terræ, ſed divina virgula erute, defecate, rutilans; ô gleba ferax bibliopolarum non egens pertica ut væneat, qvam turmatim circumſtant, emaces ſtudioſi; ô macte liber, fermentum bibliothecæ, in qvo parturiendo non opus Lucina, aut obſtretrice, opus elucubratum & multæ muſæ, imo potius, ut tua pace dicam, opella, habita ratione eorum qvæ vigiliæ tuæ antelucanæ, & indefeſſa remigia literariæ Reipublicæ ſpondent. Sed prodeat, & ſexta tuarum obſervationum promiſſarum Centuria, prodeat promiſſa Magia tua naturalis, prodeat Zoophytorum & Zoolythorum promiſſus etiam libellus, prodeat naturæ amphitheatrum in qvo animaliũ, vegetantium mineralium hiſtorias, & omnes artes breviter edoces, prodeant adhuc alia tua Chemiſtica opera; prodeat curioſa mollis tui Mæcenatis vita, prodeat tandẽ in auras luminis doctus tuus Gelaſinus, Democritus promiſſus cachinnos efflans, cum ſuis atomis, & eorum angulis, ab Epicuro plagiario tantopere deprædicatis, prodeat intrepidè demens ille cordatus, veſanus ſapiens, exóculatus Lynceus, aruncis hirſutus, macie & pallore con-

fectus, in ſepulchretis tanqvam in tomentis degens, ſed tamen Apiciorum ligurientium, qvidqvid obganniant imperiti, popinarum & cupediorum profligator acerrimus, de cujus animi pulchritudine & dotibus, ſine æmulo & livore fulgentibus, alias majoribus plauſibus diſcutiendum cenſeo, ſatis lotus, & lictus, urſulus, ingenii tui fœtus, hunc tanqvam amaſiam venuſtulam efflictum depereunt philomuſi, efflagitant ſymmiſtæ, neſcio qvo Loto ineſcati, aut qvibus lenociniis pellecti, ne timeas aſſiduis contrectationibus ſordidari, neqve pœdorem, neq; pudorem, contrahunt libelli, pumice expoliti, aureis umbilicis in muſæis literatorum ſuperbientes, horum attritus & rugæ, oſtia famæ ſibi pandent, nomenq; tuum nullo temporis curriculo deciduum, dabunt faſtis. In tanta rerum, qva obruor copia, ſufficiant hæc libamina in monumentum amicitiæ, obſeqvii, & obſervantiæ, ne ingrati animi labem, nævumqve incurrat

Tibi addictiſſimus P. Dumaſius
Juris utriusq; Doctor. Caſtr.

ELEAZARI CAMPDOMERCI, Medicorum Caſtrenſium Decani, pro Petro Borello Medico, teſtimonium.

NOs Eleazarus Campdomercus, Podiolaurenſis Toloſas, artium & Medicinæ Doctor Monſpelienſis, Monſpelienſium Medicorum in Gal-

Gallia Narbonenſi, Fuxenſi Provincia, & ſuperiori Aqvitania, Medicinam facientium, Decanus, Baſtideæ & Troupiaci Dominus, omnibus præſentes literas viſuris, ſalutem in Domino, qvi eſt omnium vera ſalus. Omnibus notum eſſe volumus chariſſimum apud Caſtrenſes collegam noſtrum Dn. Petrum Borellum Medicinæ Doctorem, ἀδιαλείπτως Manſvetioribus Muſis invigilaſſe, Philoſophicis ſtudiis diligenter incubuiſſe, uberiores ardentiore ſtudio, in Medicina, & materia Medica, feciſſe profectus, nobis & aliis Doctoribus, ſupremam Apollinarem Lauream adeptum, ſingularis doctrinæ ſpecimen, exhibuiſſe, Philoſophicas, & Medicas diſputationes, & utiliter, & doctiſſime ſubſtinuiſſe, ita ut unanimi conſenſu, & nemine refragante dignus fuerit judicatus, qvi Medicorum Caſtrenſium albo adſcriberetur. Qvare jurejurando collegio noſtro glorioſe nomen fidemq; dedit: unde poſtea per decem annos Medico operi dans operam & ſedulam & non pœnitendam, plures ægrotantes graviſſimis morbis conflictatos, arte & methodo curavit; & nobiſcum ſæpius conſiliũ agitando, præclara ſemper præbuit, & ad rem ſcientiæ Medicæ & theoreticæ & practicæ documenta. Præterea eo, qvo pollet ingenii acumine, materiæ Medicæ ſtudioſiſſimus, improbo labore, eam ſibi ita ſuam fecit. ut ampliſſimam & perqvam raram ſibi ſtruxerit Φαρμακοθήκην ſeu nobiliſſimum ΙΗΤΡΕΙΟΝ ex lectiſſimis

ſimis familiis Botanicorum, animalium, metallorum, ita ut ἸΑΤΡΙΚΩΤΑΤΟΣ & ſingularis Profeſſor hujus materiæ Medicæ, jure dici mereatur; unde qvoſcunq; viros doctos, nobiles, & magnates, qvos ad ſe qvotidie allicit, ſummus ac integerrimus Senatus, ex variis oris, ad ſe etiam qvotidie pelliciat ſcrinium illud ornatiſſimum, imò & ipſos Senatores, ac præſides ampliſſimos, non ſine magna viri Medici; & rerum in eo ΘΑΥΜΑΣΙΩΝ admiratione, qvibus abunde & oculos & animum explet: hæc nobilis ſcilicet tanti viri in materia Medica fama eſt, bonum qvippe,

Quo non velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acqvirit eundo.

Majores vero præter hæc, viri vigilantiſſimi, Aſtrologiæ, Chymiæ & antiqvitatum, peritiſſimi gloria. Ad qvorum omnium fidem cuivis notiſſimè faciendam, has præſentes literas propria manu exaravimus, & ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro roboravimus, datum apud Caſtrenſes Calend. Decemb. 1651.

CAMPDOMERCUS Medicorum
Caſtrenſium Decanus.

ELENCHUS AUTHORUM
in hoc opere laudatorum.

ABinzoar.
P. Ægineta.
Ælius Spartianus.
Ætius.
Albertus magnus.
Albucaſis.
Aldrovandus.
Amatus Luſitanus.
Ariſtoteles.
Cr. Avega.

Aven-

Aventinus.
Avicenna.
R. Baco.
Ballonius.
Bartaſſius.
Bartholinus.
Beguinus.
L. Bellantius Sienenſis,
Benivenius.
Blancanus.
Bocatius.
Bochartus.
Bodinus.
Anſel. Boëthiꝰ à Boodt.
Boaiſtuæus.
Bontius.
Cabrolius.
Calceranus.
Campanella.
Cardanus.
Carpentarius.
Carteſius.
Celſus.
Cicero.
Conrad. Rubeaq.
Strozzi Cigogna.
Cluſius.
Columbus.
Coſmopolita.
Cornarius.
Daubignæus.
Dalecampius,
Democritus.
Diodorus.
Dion.
Dodoneus.
Dygbæus.
Donatus.
Erneſtus.
Eraſmus.
Euſebius Nieremb.
P. I. Faber.
Faber alius.
Fabricius ab aqva pendente.
Faſellus.
Epiph. Ferdinandus.
Io. Fernelius R. Flud.
L. Fuchſius.
Galenus.
Gentilis.
Gaſſendus.
Corn. Gemma.
Geſnerus.
Gordonius.
Goulartius.
Gruterus.
Gualterus.
L. Guyo.
Harveus.

Helmontius.
Prophetica halieutica.
Hipocrates.
Herodotus.
Heſiodus.
Holterius.
Horſtius.
Ingolſtetterus.
Jonſtonus.
Juvenalis.
Kircherus.
Lacerda.
Langus.
A. Laurentius.
L. Lemnius.
Lermæus.
H. Linſchottus.
Tit. Livius.
I. Lipſius.
Lobel.
Lycoſthenes.
Cæſar magatus.
Marcellus.
Mangia Saſſi liber.
Maſſacus.
A. Matthiolus.
P. Meſſias.
Mizaldus.
Mouffetus.
Mullerus.
Nardus.
Obſeqvens.
Oribaſius.
Origanus.
Oſorius.
Ovidius.
Pareus.
Paracelſus.
Pecqvetus.
Picus.
Platerus.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponarius.
Qvercetanus.
Alex. de Rhodes.
Rhumelius.
Gualt. Riff.
L. Riverius.
Rochas.
Rondeletius.
Roſembergius.
Rouillardus.
Ruffus Epheſius.
M. Rulandus.
Salmut.
Sambucus.
I. Scaliger.
Schola Salernitana.
M. Sendivogius.

Diod.

Diod. Siculus.
Seneca.
D. Sennertus.
Schenkius.
Severinus Danus.
Stephanus.
Taliacorius.
Tenzelius.
Thucydides.
Torrentius.
Valerius Maximus.
Valeriola.
Van Helmontius.
La Mothe le Vayer.
Virgilius.
Vveckerus.
Veinrichius.
Æ. Vinetus.
Vincentius.
Vvitflietus.
Vopiſcus.
Zacutus Luſitanus.
Zuingerus.

Alii.

Ariſtomachus.
Xenocrates.
Ariſtophanes.
Epicurus.

Alii viri Docti in hoc libro memorati.

D. Alegrius.
D. De Balde.
D. Baricavius.
D. Barletus.
Bonellus.
D. Borellus legat9 Hollandus, ejusq; frater.
Borrilly.
D. Breſſiæus.
Bruſſonius.
D. De Campdomerc.
De Caſtel-franc.
D. Catterius.
Chatardus.
De Chambulans.
Cheſneau.
De Claus.
Curtaudus.
Dalaret.
D. Digbæus.
Du Cros.
Duncanus.
Le Faucheur.
Ferrier.
Le Fevre Med.
Formius.
De Fregevile.
Gaffarellus.

Gaignerius.
Haguenot.
Hardy.
Henricus.
Lagneus.
D. Laurentius.
Liergueus.
De Linga.
De Loberie.
Lumague.
D. Martinus.
Maſnavius.
De Mons.
D. Morinus.
De la Mothe le vayer.
De Noyers.
La Novius.
De Peireſc.
La Pierre.
De Peuchmeja.
De Riolet.
De Ponartin.
Qveſnot.
D. Robinus.
Riverius.
Rouſſeau.
Rupefortius.
Saporta.
De Serres.
De Stamples.
Solegrius.
Tamponetus.
D. Vigerius.
D. Vignavetus.

F I N I S.

ISAACI CATTIERII,

IN CELEBERRIMA
MONSPELIENSIUM
MEDICORUM UNIVERSITATE
DOCTORIS, ET MEDICI
REGII,

OBSERVATIONES
MEDICINALES,

PETRO BORELLO,
Medico communicatæ.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
MEDICO

P. BORELLO,
MEDICO REGIO
ISAACUS CATTIERUS, S. P. D.

RAtum eſt & indubitatum, artem Medicam ratione & experientia duci, qvæ duo ſunt veluti crura, qvibus ſtat firma tota ejus compages atq; ſtructura; horum namq; alterutrius ope ſi careat, vacillat; ſi utriusq; fulcro deſtituatur, corruit, jacetq; penitus iners & inutilis. Et qvemadmodum ait Hippocrates lib de Fracturis ὅλον τὸ ἄχθος τοῦ σώματος οἱ πόδες ὀχέουσιν, ita hæc duo ſunt veluti columina, qvibus hæc ars innititur & ſtabilitur: ſive duo ſunt lumina, qvorum alterutrius uſura orbatus qvi ampliſſimum Medicinæ ſtadium percurrit, in multis ſalebris hæret, & periculis ineluctabilibus objicitur, Ἀμφιδέξιος debet eſſe, qvi hancce artem exercet, & utroq; hocce organo veluti bina manu ad agendum expeditâ inſtructus, qvi ægrotanti homini ſuppetias laturus eſt. Artem primum experientia fecit, ratio vero deinde perfecit; nec enim ejus theoremata atqve dogmata, niſi ex variis obſervationibus

&

& collectionibus fuere conſtituta; proinde Empiricorum ſecta omnium prima extitit, cujus ſectatores Philinũ Coum Hippocratis concivem, vel Acronem Agrigentinum Empedoclis diſcipulum authorem prædicant: Empedocles autem ſub Artaxerxe an. mundi 3540. & ante Chriſtum 465. vixit, qvo tempore floruit etiam Hippocrates. Experientia primùm diæteticam invenit, ut teſtatur Hippocrates l. de veteri Medic. cum homines per ægritudines cibos mutantes juvarentur, compertumq́ fuiſſet, eos, qvibus ventriculus erat infirmior, ἀπὸ τῆς ἰσχυρῆς καὶ θηριώδεος διαίτης lædi; ſic & Galenus lib. de ſubfigur. empirica ſcribit. Primis temporibus, ut credi par eſt, noxia pariter & innoxia, ſimiliq́ modo utilia & inutilia obſervari cœperunt, & ibidem: cum unius hominis vita ad omnium inventionẽ ſufficere neqveat, longi temporis obſervationes hiſtoria colligit, ut ejus beneficio tanqvam ex multis tot ſeculorum hominibus, unus efficiatur eruditiſſimus dicitur autem experientia cognitio rerum ſingularium per uſum reperta, differtq́ ab arte, qvod hæc ſit rerum univerſalium; hancq́ eſſe cauſam ait Ariſtoteles, propter qvam experti id, qvod intendunt, magis conſeqvuntur, qvam qvi rationem ſine experientia ſeqvuntur. καὶ μᾶλλον ἐπιτυγχάνοντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους, τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. & paulo infra ſubdit, ſi qvis rationem absq; experientia teneat, & unniverſale qvidem cognoſcat, qvod autem in eo particulare eſt,

igno-

ignoret, ſæpenumero à ſanatione aberrabit: id enim magis ſanabile eſt, qvod ſingulare eſt. Experientia ex Galeno, eorum eſt, qvæ ſæpius eodemq́; modo viſa fuerunt, obſervatio & memoria; addit verò lib. de ſubfigur. empir. forte præſtaret ſolam ponere memoriam, cum ſub illa obſervatio contineatur; neq; enim memorari poſſumꝰ ea, qvæ ſæpe eodem modo perſpecta ſunt, niſi prius illa obſervaverimus; nec poteſt comparari illa cognitio experimentalis, niſi factis pluribus obſervationibus circa ſingularia, tripliciſq́; inſtrumenti beneficio, nim. αὐτοψία ſeu propria inſpectione, hiſtoria ſeu aliorum relatione, & tranſitu ad ſimile, propterea ait ibidem Galenus, obſervatio memoriam, & memoria experientiam peperit à qva proxime emanat. Plurimum igitur utilitatis adferunt obſervationes in arte Medica, nec à Medico rationali contemnendæ veniunt: in morbis enim, qvorum cauſa latens atqve abdita eſt, vel curatio difficilis, fluctuantem medentis animum erigunt, & à verò curationis tramite ſæpe deflectentem dirigunt: harum auxilio progreſſus fit ad analogiſmum, dogmaticorum ſcilicet Medicorum (qvi propterea ἀναλογιστικοὶ dicuntur) rationem, qva ex re evidenti & ſenſibus manifeſta deducuntur in alterius obſcuræ cognitionem; dumqve morbi cauſa ignota eſt, & remedium non manifeſtè indicatur, coguntur à ſimilibus ad ſimilia tranſire: ſic hydrargyroſis luis venereæ extrema anchora, ultimumqve præſidium, excogitata fuit atq;

in-

inventa, poſtqvam obſervaviſſent Medici, hydrargyrum ſcabiem,ulceraq; maligna ſæpius ſanare, qvæ cætera remedia non poterant: cumq; ſimiles affectus in lue venerea ſæpius contingentes animadverterent,idem qvoq; remedium ad hunc morbum profligandũ uſurpare poſtea decreverunt. Aliter tamen ſe gerunt in hoc tranſitu ad ſimile dogmatici,qvam empirici: hi enim credunt tantũ iis, qvæ vel ſenſui patent, vel memoriæ per ſenſum mandata ſunt, atq; plurima indeterminatè agunt, & plus æqvo confidunt hiſtoriæ: dogmatici verò præter hæc illa qvoq; qvæ ex naturali rerum conſecutione per rationem acqviri ſolent, fidem adhibent, ut ait Gal. lib. de ſubfig. empirica: utq; in utriusq; ἡ τοῦ ὁμοίου μετάβασις diſtingueretur, factum eſt ut empiricorum diceretur epilogiſmus, ratio ſcilicet non recedens ab his qvæ ſenſibus percipiuntur,& manifeſta ſunt; dogmaticorum verò analogiſmus. Qvàm diverſa ratione tranſitu ad ſimile utantur Empirici. & rationales, præclare docet Gal. lib. de opt. Sect. ad Thraſybulum,aitqve,Empiricum Symptomatum omnium concurſum obſervare, non ſecernendo utilia ab inutilibus, & variante qvocunq; modo Symptomatum concurſu, curationem qvoq; mutare: qvæ curandi ratio non ſemper convenit. qvia aliqvando mutanda eſt,aliqvando non: ſic ἐμπροσθότονος & ὀπισθότονος licet diverſam habeant faciem,& ſymptomatum catervam,eandem tamen curandi rationem obtinent: ; aliqvando vero ſimilis eſt

pror-

prorſus ſymptomatum concurſus, non tamen eadem competit curatio, veluti in ſangvinis rejectione ex ruptione & eroſione; proinde rationalis Medicus diſtinctione utitur, atq; ubi ſymptomatum concurſus in aliqvo inutili diſcrepat, curandi rationem non ideo immutat: utilia autem ſymptomata ſunt, qvæ deſumuntur à cauſis, à locis affectis, & à virtute: ad hæc enim tria reſpiciens Medicus rationalis, etiã in morbo occulto ſemper remedium accommodatũ virtute analogiſmi comperiet, auxilii qvidem genus à cauſa, utendi modum à loco, menſuram vero à virtute, ita ut cauſa eadem exiſtente, loco vero & facultate diverſis idem remedii genus inſinuetur, ſed mutetur utendi ratio, & contra: egregie Galen. initio lib. 3. meth. med. Empiricorum & dogmaticorũ diſcrimen unâ cum experientiæ & rationis conjugii neceſſitate his verbis declarat, οἱ μὲν οὖν ἐμπειρικοὶ δι' ἐμπειρίας εὑρίσκεσθαι πάντα φασίν. ἡμεῖς δὲ τὰ μετὰ ἐμπειρίας, τὰ δὲ λόγῳ. μήτε γὰρ ἐκείνην ἱκανὴν εἶναι πάντως, μήτε μόνον εὑρίσκειν τὸν λόγον. i.e. Empirici qvidem per experientiam inveniri omnia contendunt: nos partim experientia, partim ratione: neq; enim illa ad invenienda omnia ſufficiens eſt, ut neq; ſola ratio. Fallit ſæpe experientia niſi ratione illuſtretur & corroboretur, propterea Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 18. multos, inqvit, fortuita ſanant, nec ideo remedia ſunt, & alicui in flumen cecidiſſe frigore magno cauſa ſanitatis fuit, qvomodo qvorundã flagellis qvartana diſcuſſa eſt. Hæc ob oculos poſui (mi Borelle) ut qvæ inter medendum ſedulò à te

amo-

annotata fuere & fideliter conſcripta, veluti empirica & rationali Medico indigna non temere damnentur; nec propterea ab incœptis tuis deſiſtas, qvæ tuam induſtriam, diligentiam, indefeſſumq; laborem, addo & πολυμαθίαν ſingularem produnt, cujus egregia ſunt monumenta variæ illæ lucubrationes, qvarũ vel ſoli indices libro antiqvitatum Gallicarum nuper à te in lucem edito præfixi, in tui admirationem nos trahunt; tot enim peragendis nedum ætas tua; ſed nec hominis ævum ſufficere poſſe videtur; ex his tamen qvamplurima ad finem tam feliciter perducta ſunt, qvæ propediem publicæ utilitatis ergo in vulgus emiſſurus es. Nunc vero prodeunt obſervationes tuæ Medicæ multò auctiores & locupletiores qvàm antea, ex qvibus ſalutares fructus ſemper colliget, qvi has ad legitimos uſus referet, qviq; ejusmodi caſus varios & experimenta attente leget & ponderabit, in artis operibus prucul dubio evadet exercitatiſſimus; iter enim ad exercitatonem indicant, inqvit Galenus. Cæterum dum ad hoc ſcribendi genus animum appuliſti, qvamplurium celeberrimorũ virorum veſtigiis inſtitiſti, qvi obſervationes ſuas & experimenta poſteris benigne communicarunt, è qvorum numero ſunt Schenckius, Diomedes Cornariꝯ, Valleriola, Foreſtus, Marcellus Donatus, Epiphanius Ferdinandus, Felix Platerus, Jacobus Oëtheus, Jeſſenius à Jeſſen, Joan. Rudolphus Camerarius, Gregorius Horſtius, Dominicus Panarolus Romanus Medicus, Joan. Wierus, Joan, Wittichius, Jodocus Lommius,

Matthias Cornax, Petrus Matthæus Roſſius, Philippus Hechſteterus, Wolffgangus Gabelchoverus, Philippus Gruelingius, Joannes Henricus Freytagius, Amatus Luſitanus, Rembertus Dodonæus, Antonius Benivenius, Joan Chifletius. Marſilius Cagnatus, Joan. Langius qvi multas obſervationes epiſtolis ſuis inſeruit, Henricus ab Heer, Severinus Eugalenus, Nicolaus Fontanus, Petrus Lotichius, Joan. Fabricius Hildanus, Zacutus Luſitanus, Philippus Salmuthus, & alii, qvi ſimilibus obſervationibus tum ad praxim, tum anatomiam pertinentibus, opera ſua Medica exornarunt, ut Fallopius, Julius Cæſar Arantius, Barthol. Cabrolius, Ambroſ. Paræus, Alexander Benedictus, cujus opera Nancelii manu correcta, in muſæo ſuo libris refertiſſimo ſervat vir clariſſimus, mihiqve amiciſſimus Dom. Stamples Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis & Regis avunculi Medicus. His adde Sebaſtianum Meierum, qvi de obſervationum utilitate ſcripſit epiſtolam, qvæ Fabricii Hildani obſervationum Chirurgicarum centuria ſecunda, Genevæ in 8. excuſa extat. Poſſent ſymbolum ſuam multi conferre, qvi ex artis operibus non parvam gloriam adepti ſunt; ſed vel illud bonum nobis invident, vel ipſis per otium non licet ſingula, qvæ qvotidie obſervant, litteris mandare & publici juris facere; pauca qvorum nunc recordor, tibi expetenti communicare non renuo, plura ſuppeditaturus, ſi occaſio & tempus darentur. Vale.

Dd CAL-

CALCULI INNUMERI inter mejendum excreti.

OBSERVATIO I.

VIr qvidam ad Lutetiam litis deferend: cauſa profectus in inſula Palatii hab tans apud D. *Le Cler.* piſtorem, anno natus circiter 45. renum calculo labo rans diris admodum cruciatibus vexabatu per tres aut qvatuor dies. Hic poſt uſum e nematum, venæ ſectionis, purgationis blar dæ, ſemicupii, & olei amygdalarum dulciu per expreſſionem absqve igne extracti, cu aqva ſtillatitia parietariæ intus ſumpti, ta dem excrevit unâ hebdomade, plusqvam cer tum calculos, cicerum magnitudinem, col rem & figuram referentes, lateribus, qvib ſcilicet adhæſerant qvodammodo depreſſo Cumqve ab his tormentis per menſem liber tus eſſet, in ea denuò incidit, totidemqv unà cum urina excrevit lapillos: ſic auter miſeram vitam degens, qvia non amplius n gotiis poterat eſſe intentus, de reditu in p triam cogitavit; Sed iter ſuum peragendo morbi coactus eſt in diverſorio commorar ubi ſymptomatum ſævitia è vivis diſceſſit. Qvis miſeram illam fœcunditatem non mir bitur?

SCH

SCHOLIUM.

Similem fere legimus hiſtoriam apud Felicem Platerum lib. 3. obſervationum pag. 838. Qvam Franciſcus Colutius Veliternus tranſtulit in ſuum librum de qverelis nephriticis: ibi enim refertur, Theologum qvendam Milhuſanum, calculos bis mille & plures mingendo paucorum annorum ſpatio reddidiſſe. Miror ſane in hominis renibus talem reperiri lapidicinam, è qva tot lapilli eruuntur ad corporis fabricam evertendam potius, qvàm conſtruendam comparati: Renum amplitudo talis non videtur, ut poſſit numeroſam illam calculorum fruticationem ſuo ſinu complecti, qvare neceſſe eſt, ut de novo illi generentur multi exiguæ magnitudinis, veluti in ovorum productione fit, unusqve poſt alium continuò ſuccreſcat. Hæc renum calamitoſa feracitas deploranda eſt; tantùm enim abeſt, ut illa ætatis progreſſu imminuatur atqve eundo. *Λίθων μὲν ὦν εὐφυῆ γῦναι ἐς ἄγονον τρέψαι ἀδύνατον. ῥηΐτερον μὲν γὰρ μήτρην ἄτοκον θέμεναι ἢ νεφροὺς λιθιῶντας ἀλίθους* inqvit Aretæus l. 2. de curat. diuturn. c. 3. Qvare autem ætas provecta ſit calculorum renalium feracior, rationem petendam eſſe exiſtimo, cum ex parte excrementorum, qvæ hac ætate magis redundant, cum ex caloris innati debilitate, cujus eſt coqvere alimenta, excrementa

ſecernere & expellere, & omnia naturæ opera, qva in nobis peraguntur, perficere: Hicqve debilitatur tam ab intemperie frigida, qvam calida ut in febribus videre eſt, ita pueris calculus veſicæ familiaris eſt propter ejus partis imbecillitatem; proindeqve in utrisqve intemperaturis reperiri poteſt calculorum concretio non qvod exiſtimemus tantum in corpore dari frigus, ut illo concreſcat materia calculoſa, nec tantùm calorem, ut illam inſtar laterum excoqvat atqve induret, ſed qvod nativus calor partium, in qvibus calculus generatur, ita ſegnis hebesqve reddatur, ut materiam illam excrementitiam digerere, excernere, atqve expellere non valeat, ſed fiat veluti tranſcolatio tenuioris partis, craſſiori atqve terreſtriori ſubſiſtente, veluti fit in lixiviis; qvod autem adeo facile in renibus ſubſiſtat, cauſa eſt anguſtia viarum atqve meatuum, per qvos tranſit materia illa calculoſa, qvæ ipſis prompte adhæreſcit, citoqve concreſcit, aqvoſiori parte ſeparata, propter ſcilicet internum coagulationis principium, qvod qvidem nihil aliud eſt, ut exiſtimarunt pleriqve recentiores, qvam ſpiritus qvidam ſalinus, materiam terrreſtrem & fæculentam in tophos calculosqve coagulans, qvi per novum materiæ appulſum augentur & multiplicantur: idqve per experimenta chymica comprobant, qvibus videre eſt ſpiritum urinæ, aut ſpiritum ſalis aliis ſpiri-

ſpiritibus vel oleis affuſum, ea in butyri vel unguenti formam coagulare, qvorum exempla legi poterunt apud Matthiam Unterum tractatu de nephritide. Hujus ſententiæ fuit Theophraſtus Paracelſus lib. de morb. tartar. qvem plures ſeqvuti ſunt, ut Crollius in præfat. baſilic. nec ab ea opinione recedunt Matthiolus præfat. in 5. Dioſcorid. Felix Platerus praxeos tom. 2. cap. 12. Anſelmus Boëtius lib. 2. de gemmis cap. 302. ubi præclare docet, qvomodo in corpore humano lapides generentur: Sennertus lib. 2. inſtitutionum partic. 2. cap. 9. & practicæ medicinæ lib. 3. partic. 7. ſect. 1. cap. 6. & capite 11. libri de conſenſu & diſſenſu Galenicorum & Chymicorum: Beverovicius eleganti qvem de calculo conſcripſit libro cap. 6. & Riverius praxeos medicæ lib. 14. cap. 1. Hofmannus in inſtitutionibus medicis lib. 3. cap. 123. non multum ab his diſſentire videtur, dum ſerum calculi cauſam materialem ſtatuit, qvatenus ei mixtæ ſunt exhalationes plurimæ qvibus ineſt ſalſedo; ſed humorem qvemlibet craſſum & præſertim pituitoſum adjungit; atqve inde eſt ratio, cur calculi generentur in omnibus partibus; cum enim ſerum ſit ὄχημα τῆς τροφῆς per omnes decurrit, & poteſt illi jungi pituita.

Calculus inſignis & inæqvalis pulveris cujusdam aſſumpti uſu per urinam excretus.

OBSERVATIO II.

DOm. Salé pictor ingenioſus, doloribus nephiriticis iisqve acutiſſimis conflictatus fuit, variis exhibitis & adhibitis remediis, tum generalibus, tum particularibus, & præſertim emulſionibus ex qvatuor ſeminibus frigidis majoribus mundatis, & decocto radicis altheæ, & taraxaci paratis, non ceſſavit dolor, ipſum miſere excrucians; ſemicupii tamen uſu remittebatur, ſed mox idem recurrebat: tandem morbi crudelitatis & diuturnitatis pertæſus, à fœmina qvâdam accepit pulverem, qvem ad ʒ i. cum vino albo ſumpſit, à cujus hauſtu calculum inſignem inæqvalem non ſine dolore per urethram excrevit, meliusqve inde ſe habuit. Hunc pulverem, qvem vidimus & manu tractavimus, ex odore & ſapore, è radice enulæ campanæ exſiccata factum fuiſſe judicavimus. Ex hac obſervatione colligi poteſt, in nephriticis doloribus corpore convenienter vacuato, viisqve emollientium uſu relaxatis, & humorum fervore contemperato, interdum locum dari diureticis, ut arenulæ ſive calculi ad veſicam detrudantur, modò grandior calculus non conjiciatur, alioqvin illum in caput ureteris propellendo graviores dolores excitarent.

Calculus veſicæ grandior, qvam ut potuiſſet ægro ſuperſtite extrahi, cum alio minore inter veſicæ membranas deliteſcente.

OBSERVATIO III.

ANno Domini 1647. menſe junio inviſi apud Dom. le Ferreur Pharmacopæum Regium una cum peritiſſimo lithotomo dom. Collo, D. Challier dictum vulgò la Sonde Chirurgum in cohorte D. de Verneüil apud Batavos, annos natum circiter qvadraginta, ſtatura mediocri, corpore qvodammodo craſſo; in qvo urinam laborioſam & ſtranguriosſam admodum comperi, viresq; ex itineris labore fractas; adeo ut poſt ipſius calculi per catheterem explorationem, ingraveſcentibus ſymptomatibus illas cyſtotomiæ ferendæ pares non judicaverim; cui ſententiæ comprobandæ non defuit eventus, cum enim in dies cruciatus illi ingraveſcerent, viresq; collaberentur, fato tandem functus eſt. Aperto cadavere renes urina diſtenti & rugidi reperti ſunt, qvibus diſſectis copioſa effluxit, ureteres admodum lati, in veſica calculus inventus eſt ponderis unciarum qvatuor cum ſemiſſe, totam veſicæ capacitatem replente unà cum altero exiguô in ipſius veſicæ ſubſtantia deliteſcente, hepar lividum & corruptum, qvemadmodum & pulmones deprehendi, propter materiæ ſeroſæ tam ad partes naturales qvàm ſpirituales refluxum.

SCHOLIUM.

Hic lapillus intra duplicem veſicæ membranam latens haud dubiè in majorem molem excreviſſet, ſi ulterius vita iſtius ægrotantis prorogari potuiſſet, atqve in hac veſicæ parte veluti ſaccum qvendam à priori veſicæ cavitate diſtinctum efformare potuiſſet. Hoc exemplum (credo,) nobis veluti digito monſtrat, qvomodo in qvibusdam calculoſis veluti duplex veſica efformetur: ſuo enim pondere atqve mole calculus paulatim creſcens diſtendit & à ſe invicem veſicæ membranas ſejungit, ſibiqve amplum parat, qvo contineatur, ſpatium, ſacci cujusdam in modum à priori veſica dependentis efﬁctum, atqve rupta vel exeſa interiori, ejus membrana pervium: atqve Riolanus lib. 2. anthropogr. illud idem obſervat. Hominis veſica, inqvit, interdum intus ſaccum ſive foveam habet extra capacitatem infernè protuberantem, in qva ſæpe grandiores lapides nidulantur & latitant, qvi immiſſo cathetere detegi ac deprehendi non poſſunt. Simile qvid in magni Caſauboni aperto cadavere inventum fuiſſe narratur, in cujus veſicæ cavitate veluti cuniculi exſculpti erant, qvorum cavernulæ infinitis rotundis lapillis ſcatebat, & ad ſiniſtrum latus perforatum erat veſicæ corpus & pervium, rotundo foramine in ſaccum ſive qvandam veſicæ ἔκφυσιν deſinens, eamqve craſſam atqve ſpiſ-

ſpiſſam, eò nimirum propter partis imbecillitatem confluente ſangvine, in cujus veſicæ addititiæ fundo ingens ſaburra putris & olidi muci ſeu phlegmatis vitrei reſidebat; qvam qvidem veſicæ conformationem ab ipſis natura primordiis factam fuiſſe qvidam exiſtimarunt. Ex hac autem obſervatione colligitur, inſuper nullum locum calculi extractioni relictũ eſſe, ubi grandior factus eſt, & ad extrema ventum eſt: temeraria enim eſt tunc temporis veſicæ ſectio, qvæ aliàs multis profuit; cum extrahi non poſſit calculus, niſi magno vulnere inflicto, qvo veſicæ corpus integrum diſſecatur atqve effringitur, viresq; dolorum & cruciatuum immanitate exhauſtæ ſunt.

Veſica per medium ejus corpus vulnerata, qvæ perfecte coaluit.

OBSERVATIO IV.

NOn longè à vico dicto BUSSY S. GEORGES ſex leucis à Lutetia diſſito, vidi Paſtorem qvendam graviter vulneratum: hic cum alio dimicans in terram prona facie ceciderat, huicq; humi jacenti adverſarius latum cultrum, qvem præ manibus habebat, in perinæum adegerat, ita ut amplo vulnere medium veſicæ corpus diſſectum fuerit: effluebat continuò per vulnus urina, neqve ejus guttula per urethram ſtillabat; cum bono corporis eſſet habitu commoda victus lege inſtituta, ſolo balſami Arcæi

in vulnus inſtillati uſu perfectè curatus fuit. Hunc curavit peritiſſimus Chirurgus mihiqve affinis, D. Philippus Godde.

SCHOLIUM.

Solenne illud eſt Hippocratis aph. 18. ſect. 6. cui perſecta fuerit veſica, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum transverſum, aut tenue qvoddam inteſtinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale eſt. Et in coacis, moriuntur autem maxime ex vulneribus, ſi cui cerebrum vulneratum fuerit, aut medulla ſpinalis, aut hepar, aut diaphragma, aut cor, aut veſica, aut aliqva ex iis venis, qvæ craſſiores ſunt. Hæ ſunt enim partes corporis, qvarum officio vita carere neqvit, proindeqve earum vulnera ſunt mortifera, qvod intelligendum eſt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, multa ſiqvidem ex inſperato contingunt in morbis. Sic Gal. l. 8. de uſ. part. ſub finem narrat, ſe vidiſſe incredibile ſpectaculum in Smyrna urbe Joniæ, percuratum ſcilicet vulnus in adoleſcente, qvod penetraret ad anteriorem ventriculum cerebri. Καὶ ἡμεῖς ποτε τὸ παράδοξον ἐκεῖνο θέαμα, τὸ ἐπὶ τῆς ἰωνίας ἐν σμύρνῃ γινόμενον ἐθεασάμεθα, τῆς τρωθέντα νεανίσκον εἰς τὴν ἑτέραν τῶν προσθίων κοιλιῶν εἶτα περιγενόμενον, ὡς ἐδόκει βουλήσει Θεοῦ, ἀλλ' οὐκ ἂν οὐδ' ἐπ' ὀλίγον ἐξήρκεσεν ἀμφοτέρων ὁμοῦ τρωθεισῶν. Memoratu digna eſt obſervatio, qvæ eſt 34. qvam ſcripſit Cabrolius de ruſtico

ſtico qvodam, cui portio cranii unà cum cerebri altera portione abſciſſa fuerat, qvem cum ita ſauciatum videret, ipſum ſoli prognoſtico reliqvit: at alterius ruſtici ope, qvi linamenta & linteamina omnia larido liqvato, & multoties abluto inſuccata apponebat, præter ſpem omnium curatus eſt, qvod ipſum docuit, de ſalute cujuscunqve vulnerati nunqvam deſperandum eſſe. Hollerius comm. in aphoriſm. laudatum, mentionem facit cujusdam militis ſuſpenſi cujus diſſectioni præfuit, in qvo vulnus obductum cicatrice in parte carnoſa diaphragmatis deprehenſum eſt. Multæ hiſtoriæ pariter fidem faciunt vulnerum, tum ventriculi, tum veſicæ curatorum, nec alterutrius partis ſauciatæ facilior eſt curatio, cum utraqve ſit membranoſa; at prioris exemplum habemus in cultrivoro illo Pruſſiaco, cui facta eſt ſectio ventriculi die 9. Julii an. 1635. verſus ſiniſtram hypochondrii partem ad duos transverſos digitos ſub nothis coſtis, ſecundum teſtitudinem, eoqve ſucceſſu abſoluta eſt, ut non tantum culter decem transverſos pollices longus exinde extractus, ſed & homo ipſe ſanitati reſtitutus fuerit. Hujus curatio deſcripta fuit à Daniele Beckero Dantiſcano Medicinæ Profeſſore in Academia Regiom. Et Dom. Jon. Clau. DE LA COURVEE, nunc Reginæ Poloniæ Medicus hiſtoriam conſcripſit ſimilem, cujusdam inſanien-

nientis in vico qvatuor leucis à Lutetia diſſito habitantis, qvi cultrum unà cum craticulæ ferramentis voravit, è cujus dorſo cultri lamella extracta fuit, manubrio qvod erat eburneum per moram in ventriculo liqvato & conſumpto. atqve intra ſex hebdomadas ejus curatio abſoluta fuit: anteqvam vero culter educeretur, vaginam cultri, qvam ſimul voraverat, ano dejecit, & duobus menſibus elapſis aliud ferrum è dextro epigaſtrio eductum fuit, poſt qvinqve menſes è ſiniſtro epigaſtrio erupit cochlidium ferreum ſemipede longius: vulnera autem ſimiliter ſanata ſunt.

Qvæ igitur de vulnerum veſicæ curatione referuntur fidem ſuperare non debent; non enim ejus ſubſtantia eſt penitus membranoſa; conſtat ſiqvidem duplici membrana propria, qvarum externa carnoſa eſt; imo hanc Bartholinus cum Aqvapendente muſculum eſſe aſſerit totam veſicam circumdantem, ut ejus in urinæ emiſſione contractioni inſerviat; proinde illa vulnerata agglutinari & coaleſcere poteſt, licet cum aliqva difficultate; nec plane eſt ἀσύμφυτος, ut aſſerit Duretus, com. in coacam prædictam, niſi, ratione tunicæ ejus interioris, qvæ nervea eſt, & ἄναιμος ϗ ἄσαρκος exiſtit, ille intelligitur. Suntqve plurima ejus vulnera, inqvit Hollerius com. in prædictum aph. qvæ non poſſunt coaleſcere; non tamen lethalia exiſtunt, plurima vero fuerunt, qvæ ad

ad perfectam ſanationem deducta ſunt. Qvod pluribus tum veterum, tum recentiorum hiſtoriis confirmari poteſt. Galenus initio de locis affectis refert hiſtoriam cujusdam adoleſcentis Mitylenis, qvi circa ſedem gladio ſauciatus, vulnere ſatis profundo, tribus primis diebus neqve cibum, neqve potum ingeſſit, qvarta vero die, adhibitis prius remediis, cibum ſumpſit ac bibit qvoqve, deinde occidente ſole iterum adhibita curatione, urinæ circiter qvatuor heminas per vulnus excrevit, cum antea ex qvo vulneratus erat, nihil urinæ reddidiſſet. Tum vero ab onere, qvo circa pubem gravabatur, ſe perfecte liberatum eſſe dixit. Itaqve procul dubio conſtabat. in hoc veſicam fuiſſe vulneratam; atqve interpoſitis qvibusdam addit Galenus: Percuſſus ergo validè qvidam (ſcil. hic juvenis) in ea parte, qvæ ſemen appellatur, Græci perinæon vocant, inflammatione ſuborta in vulnere, urinam reddere non potuit; at veſica ipſa utpote plena. manifeſte ſecundum circumſcriptionem intenta erat: huic ne irritaretur inflammatio, æneam fiſtulam adhibere noluimus, ſed aqva calida affuſa perungere ſatius putavimus: cumqve tribus horis ſic eum tractaſſemus, tenſione non parum relaxata ac dolore, ut ipſemet fatebatur, non ita graviter infeſtante, juſſimus ut urinam reddere tentaret: interim cum nos veſicæ tumorem ad inferiores partes impel-

impellendo ſenſim premeremus, juvenis urinam redidit. Ex hoc loco colligit Iaçotius com. in coac. vulnera veſicæ neqve neceſſario, neqve ſemper eſſe lethalia. Refert Felix Platerus libro 3. obſervationum ſuarum pag. 797. Piſcatorem qvendam Baſilienſem ſarcite laborantem in teſte dextro, ſupervexiſſe læſa à lithotomo inter ſectionem ſarcitis veſica: cum enim ſarcites in immenſam molem excreviſſet, illam eſſe amputandam decretum eſt, ſectioqve in inguine facta fuit, qvam dum adminiſtraret Lithotomus, & ſepararet illam carnoſitatem, caſu veſicam illic qvoqve nimia diſtentione ampliatam vulneravit, atqve urina maximo impetu in altum proſiliit, poſtea teſte illius lateris execto, ſarcitem ſucceſſive menſis fere ſpatio amputavit, urina interim continuò, unà cum freqventi arenularum copia per vulnus emanante, nec per penem niſi guttatim extillante. Tandem vulnere ſanato, fiſtula in ingvinis regione remanſit, per qvam immiſſo cathetere brevi, qvem continuo geſtabat, urinam totum biennium incolumis alioqvin reddidit, neqve per penem amplius eminxit. Poſtea ſenſim ampliato foramine ad urinam dies noctesqve retinendam; turunda coniformis ex panno formata intruſa eſt, qvam ſupra annos viginti, nihilominus obambulans ſanus alioqvin & fere decrepitus geſtabat.

Qvia

Qvia autem in noſtra obſervatione, ad illa, vulnera agglutinanda balſamum ſeu linimentum qvoddam à Franciſco Arcæo inventum laudavimus, hujus formulam in gratiam ſtudioſorum hic appoſuimus, qvalis extat apud Arcæum lib. 1. de vulneribus capitis cap. 1. p. 22. Rec. therebinth. clar. & emplaſt. de gum. elem. unc. 1. ſem. pingvedinis caſtrati unc 11. pingvedin. porcin. antiq. unc. 1. liqvefiant ad ignem & fiat linimentum. Hoc, qvoties uſus erit, ad ignem liqvefacto gallinaceæ plumæ extremo vulnus leviter inungitur.

Inteſtini vulnerati curatio.

OBSERVATIO V.

NOn ita pridem juveni cuidam ſtatuario, qvem inviſi, ex ſaltu in ſcrotum delapſa ſunt inteſtina, qvæ, cum domum deportatus eſſet & in lectum repoſitus, Chirurgi dexteritate in ventris capacitatem reducta fuerunt. Poſtea abſceſſus factus eſt paulo ſupra ingven, qvo ſponte aperto alui fæces liqvidæ excretæ ſunt, qvibus inſpectis non dubitaverunt Chirurgi inteſtinum fuiſſe apertum: ſed cum ſolutio illa continui ex inteſtini eroſione à retento pure facta eſſet, futuram inutilem judicaverunt; multis diebus elapſis accitus ego, præſcripſi potionem ex infuſo rhei & catho-

catholici cum ſyrupo roſar. Deinde potiones vulnerarias ex radice ſymphyti ma. foliis agrimonii, bugulæ veronicæ in hidromelite coctis paratas, & emplaſtrum ulceri ſuperimponendum, qvod apud Arantium habetur lib. de tumoribus cap. 42. qvod ad inteſtini jejuni in umbilicum prolapſum ibi commendatur, cujus hæc eſt deſcriptio, Rec. Aloës, maſtiches, thuris, ladani, ſuccini, gummi tragacanth. gumm. arab. an.ʒ. ij. biſtort. hypociſtid. acaciæ, ſang. drac. bol. armen. orient. gallar. an.ʒ. ſem. cum cera citrina, therebinthina, & pice navali q. ſ. fiat ceratum ſ. a. qvod bene adhæreat, pulvilloqve ſuperpoſito faſcia deligetur. Horum uſu ulcus melius ſe habuit detergeri viſum eſt, & carne impleri, nec fæces per illud, ut antea, jam excernuntur: nihilominus tamen adhuc ſub judice lis eſt. Sic nuper ad me relatum eſt, curatum & perfecte ſanatum fuiſſe juvenem in carcere detentum, qvi in ſingulari certamine, qvod vulgò duellum vocant, vulnus inteſtinis acceperat: at infortunatus ille, eò qvod ſpreto Regis decreto prælium iniverat, laqveo ſuſpenſus fuit & ſtrangulatus.

De melancholico dictu qvædam ſtupenda.

OBSERVATIO VI.

JUvenis qvidam annum agens circiter 25. me

me convenit, dixitqve ſe graviſſimo vexari incommodo qvod dictu horrendum erat, vixqve qvale eſſet illud propalare ſe auſurum aſſeverabat. Ipſum vero reſpiciens animadverti atrocem vultum, ὀφθαλμοὺς ἐγκοίλους, totum corporis habitum ſqvallidum & ſiccum, ipſumqve proinde judicavi melancholicum: Cum inſtarem opus eſſe, ſi vellet ſanari, ut illud declararet Medico, verecundus retulit, ſibi invito & reluctanti, cum verſaretur ſolus in cubiculo, ab aliqva vi interna diduci & aperiri buccas, lingvamqve moveri, & ad vocabula plurima proferenda, impelli, atqve ſæpe lingva & labiis immotis vocem in faucibus formari & dearticulari, cujus miniſterio qvæcunqve in vita patraverat flagitia, ipſi exprobrantur, & ad Deum abnegandum cogebatur & impellebatur his verbis *abnega, abnega Deum.* Hic admonitus fuit à Theologis, qvos conſuluit, ut divino cultui & precibus aſſidue vacaret; deinde me aggreſſus eſt, ut corporis ſui curam haberet. Ego hæc terriculamenta humoris atri & melancholici hypochondria obſidentis mentemqve percellentis eſſe ἔκγονα exiſtimans, ipſi præſcripſi enemata freqventia, venæſectionem, purgationem ex intervallis repetitam, modò ex infuſ. fol. orient. epithym. tamarind. caſſ. crem. tartar. in decoct. capillar. in qvo confectio hamech diſſolvebatur & ſyrup. de pomis comp. modò ex ellebori nigri

& ſenn. orient. extracto, ê qvo pilulæ formabantur: interim ſemicupium ingreſſus eſt per plures dies, hoc temporis ſpacio ſerum lactis depuratum, in qvo ſummitates fumariæ macerabantur, ingrediendo balneum, qvotidie aſſumebat. His remediis uſurpatis ad perfectam ſanitatem & εὐθυμίαν deductus fuit, qviqve prius erat ἀπάνθρωπος, factus eſt φιλάνθρωπος, cuiqve πρόσωπον κατηφὲς aderat, factum fuit ἐῤῥωμένον.

SCHOLIUM.

Similes qvodammodo hiſtoriæ referuntur à Felice Platero lib. 1. obſervat pag. 44. & 45. ibi enim legitur, pio alioqvin & docto cuidam in juventute accidiſſe, ut aliqvando de Deo cogitanti vel precibus intento, impiæ cogitationes in mentem venirent, qvas ſubito ex animo delere non poterat, qvin ſubinde redeuntes ad impia qvædam in Deum efferenda eum ſtimularent, qvod illum mirum in modum angebat: hoc etſi creſcente ætate rarius illi accideret; tamen ad perfectam ætatem usqve, hæc tentatio eum comitata eſt, veluti per acceſſiones eum invadens. Sic narrat ibidem, mulierem qvandam religioſam alioqvin & probam, freqventer eo usqve fuiſſe tentatam, ut Deo maledicendum & blaſphemandum tacite ſibi viſa ſit cogi, maxima animi cum anxietate, & perturbatione gravi, qva augebatur, ſæpe conqveſtam eſſe, ipſumqve

qve, ut ei ſuppetias ferret, rogaſſe: qværenti autem qvid illud eſſet, clam magno cum gemitu multisqve cum lacrymis ipſi primo apparuiſſe, continuò ſollicitari & impelli ſe ad maritum noctu dormientem confodiendum adeo vehementer, ut vix ſibi temperare poſſet, licet maritum præ omnibus mortalibus amaret, & pro ipſo mori ſe eſſe paratam diceret. Hanc conſolatus, inqvit Platerus, adhibita cura per venæ ſectionem, varias & multas evacuationes Deo juvante in integrum reſtitui.

Hæc Diaboli eſſe ad malum incitamenta, perhibent Theologi, qvem morborum cauſam externam eſſe aliqvando, non inficiantur Medici. Ita Fernelius 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 16. ſcribit. Qvidam non ita pridem, qvum per æſtus nocte vehementer ſitiret, è ſomno ſurgunt, potu non invento obvium malum forte prehendit, id mandens fauces ſibi qvaſi manu præcludi ſtrangulariqve ſenſit, ſimulqve à ſubeunte Dæmone jam obſeſſus, viſus eſt in tenebris videre ſe à prægrandi nigerrimoq; cane vorari, qvæ poſtea, reſtitutus integra mente, nobis ordine recenſuit; ſed præterea humorem melancholicum, qvi diaboli balneum vulgò dicitur, cauſam eſſe proximam ſtatuunt horum affectuum, qvi in imaginationis & raciocinationis depravatione conſiſtunt: mirum enim dictum eſt, qvàm varias excitet in corpore humano tragœdias humor hic, dum plus

æqvo cumulatur, vel qvalitatem cerebri temperamento, & ſpiritibus infenſam adipiſcitur, ſive illa ſit frigiditas & ſiccitas, qvæ qvalitates vitæ inſidiantur, & principibus edendis functionibus cerebrum inhabile reddunt, ſive ſit craſſities & color ater; qvibus ſpiritus ſegnes, torpentes atqve caliginoſi efficiuntur, qvi deinde ſpectra varia, ſpeciesqve terribiles imaginationi repræſentant: ſive ſit qvalitas qvædam venenata & deleteria, qvæ proprie & neceſſario nec calida, nec frigida ſit; ſed potius maligna propter certum putredinis modum huic humori proprium, qvi ſpiritus & cerebri temperaturam naturalem corrumpat; unde mores agreſtes, ſylveſtres, & ferini acqviruntur, humani vero deperduntur; propterea homo in hunc affectum incidens, qvi antea ad ſocietatem natum erat animal, ſeceſſus qværit, ἀπανθρωπίαν & μισανθρωπίαν veluti belluarum pelles induit, qvippe prius erat εὔθυμος καὶ εὐμενής, fit δυσάνιος, ſive tandem horum funeſtorum ſymptomatum cauſam dicamus eſſe ſpirituum inopiam & paupertatem, qva laborant melancholici, eò qvod craſſior ſangvis, ad ſpirituum generationem in hac corporis conſtitutione reperiatur, unde ſæpe animo linqvuntur & incidunt in lipothymiam, nec ſangvinis vacuationem facile ferunt. Qvod qvidem vini effectu contrario clarius efficitur; illud enim moderate ſumptum,

utpote ſpiritibus refertiſſimum, triſtitiam diſcutit, nec melancholicis hac ratione prorſus inutile & infructuoſum; atqve adeo hic ſpirituum defectus forſan cauſa eſt, (ſi ita mihi liceat Philoſophari,) propter qvam multis infarctibus & obſtructionibus totam alvinæ regionis œconomiam perturbantibus abundent melancholici: mobilitate enim & tenuitate, qva ſpiritus pollent, in meatibus reſerandis & craſſis humoribus attenuandis plurimum poſſunt, ſi abundent; ideo lieni craſſioris humoris receptaculo arteriæ plures datæ exiſtimantur; ideo ſpiritus τῆς τροφῆς ὀχήματα veriſſimè dici poſſunt, partem enim alimenti natura ſua gravis ad partes corporis ſuperiores rapiunt, evehunt, & ad minimas omnes particulas pervadendo & penetrando ſangvinem deferunt. In horum locum impuri & flatulenti multi ſpiritus in melancholicis corporibus ſuppeditantur & per venas arteriasqve omnes diſcurrunt, hinc borborygmi & rugitus in ventre obaudiuntur, palpitationes, vertigines, viſaqve mendacia ipſis contingunt & obſervantur: hinc etiam alimenti coctio ejusqve diſtributio minus feliciter perficitur, tantum enim eſt caloris in nobis, qvantum ſpiritus, cum hujus ſit πρῶτον δεκτικόν. Hinc plurima ſuccreſcunt recrementa, qvæ in corpore retenta calorem nativum vel exacuunt, vel infringunt & obruunt. Deficientibus his ſpiritibus, deficit qvoqve

menti lumen internum, qvo ſpiritus non carent, & cujus ope recreari & refocillari ſolebant. Horum deinde ſpirituum paupertas & imminutio breviorem vitæ terminum præfigit, ut in multis melancholicis videre eſt; è contra illorum ubertas in ſangvineis & temperatis vitam producunt & longævam efficiunt.

GASPAR MARCUCIUS, cap. 16. qvadripartiti melancholici parte 7. ait, ſangvinem non colore, non lumine, ſed caliditate & humiditate, qvam obtinet, ipſam ſpiritibus animalibus impertiendo producere lætitiam. Cæterum notat ille cap. 25. ejusdem qvadripartiti part. 1. dæmonem morbos, qvi pendent ex materia, non aliter inferre, qvam aliæ cauſæ procatarcticæ, puta movendo internas, ut melancholiam morbum, augendo ſuccum melancholicum, & eum qvi inerat commovendo, deferendoqve in cerebrum, & internorum ſenſuum ſedes, vapores nigros: augere vero poſſe melancholicum humorem, qvi naturaliter generatur, detinendo ne expurgetur: nihil autem referre vult Avicenna (qvod Medicum ſpectat) ad morborum curationem, ſive dæmon ſit, qui melancholica inferat accidentia, ſive non: ratio eſt, qvia dæmon non aliter ea inferre poteſt, qvam per ſuccum melancholicum, qvo evacuato humore neceſſe eſt tolli morbum.

Cere-

Cerebri valida concusſio peſſima inferens ſymptomata.

OBSERVATIO VII.

SUperiori æſtate fœminæ cuidam dictæ Dom. Sergent, annum ætatis agenti circiter trigeſimum accidit, ut ſtans præ foribus Nobiliſſimi viri Dom. Dom Rosé tegula ex tecto deciderit in ejus verticem, atqve ita penitus effracta in minutas partes redacta fuerit: qvo ictu in terram cecidit ἄφωνος ſenſu & motu ad horam deſtituta. Deraſo capite cutis contuſa tantum apparuit, absqve continui ſolutione manifeſta: huic illico detractus fuit ſanguis è brachio, & pars contuſa oleo roſaceo inuncta, unaque conveniens victus ratio præſcripta eſt. Mox febris vehemens ipſam corripuit, cum vomitu, delirio & convulſivis motibus: his apparentibus ſymptomatibus, latentem cranii fracturam reformidavimus, & jam Chirurgus, qvi aderat, de cutis inciſione cogitabat, qvam tamen differri volui in diem ſeqventem, ad qvam confugiendum eſſe dicebam, ſi dicta ſymptomata vel ingraveſcerent, vel etiam permanerent: ſed cum die ſeqventi febris remitteret, aliaqve ſymptomata miteſcerent, inciſionem in aliud tempus diſtuli, exiſtimans eam non eſſe ex uſu, ſi nempe hæc ſymptomata ex cerebri tantum commotione & concuſſione fuiſſent pro-

 ducta:

ducta: venæ ſectionem interim iterandam eſſe arbitratus ſum, qua celebrata, & alvo enematum ope ſollicitata, die tertia ἀπύρετ☉ facta eſt cæteraqve ſymptomata ſedata ſunt, cumq; ita per duos dies intermiſerint, è lecto ſurrexit, ſed die qvinta eadem reverſa ſunt, cumque eadem ſecandi, osqve denudandi ſeſe offerret indicatio, iisdem ſymptomatibus perſeverantibus, Dom. LE LARGE Chirurgum peritiſſimum in conſilium adhibuimus, qvi nobiſcum ſenſit, ſectionem eſſe procraſtinandam; die ſeqventi, cum minora eſſent ſymptomata ab illa ſuperſedimus: poſt ſeptimum diem eorundem Symptomatum facto eſt reverſio, eorundemqve ſimiliter ut antea ceſſatio, hasqve recidivas ex errore ægrotantis profectas conjiciebamus: interea miſſus fuit ſangvis pluries, hocqve notatu dignum evenit, ut dum in latus reclinata eſſet, per nares & os ſeroſi humoris copiam affatim excreverit, adeo ut lintea òmnia hoc humore eſſent imbuta; poſtea in dies melius ſe habuit, dolore tantum capitis remanente, litus ſemper fuere adhibiti, emplaſtrum de betonica parti dolenti admotum fuit, tandem perfectè convaluit absqve ſectione & cranii apertione.

SCHOLIUM.

Eadem fere eveniunt ſymptomata in ſola commotione & concuſſione cerebri, atqve in vulnere & fiſſura cranii, nam prolapſus in terram,

ram, ſenſuum interceptio, febris, vomitus biliosus, delirium & motus convulſivi utramqve læſionem comitantur. De cranii fractura celebre eſt illud Hippocratis Aph. 50. Sect. 6. ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τούτοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι, & in coac. οἷσιν ὁ ἐγκέφαλος τιτρώσκεται· πυρετὸς, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ χολῆς ἔμετος ἐπιγίνεται, καὶ ἀποπληξίη σώματος, qvæ qvidem licet de cerebro vulnerato dicta ſint, pertinent etiam ad fractam calvariam. De concuſſione vero & commotione cerebri non egit Hippocrates libro de vulneribus capitis; ſed in coacis prænotionibus talia leguntur: ὅσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ καὶ πονέσῃ πληγεῖσιν ἢ ἄλλως πεσοῦσι, παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ οὔτε ὁρῶσιν, οὔτε ἀκούουσι, καὶ τὰ πολλὰ θνήσκουσι, i. e. qvibus concuſſum eſt cerebrum, doluitqve, percuſſis aut aliàs lapſis, hi ſtatim obmuteſcunt, & neqve vident, neqve audiunt, & plerumqve moriuntur. Similia leguntur lib. 1. de morbis initio καὶ ἢν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ τε καὶ πονέσῃ πληγέντος ἄφωνον παραχρῆμα γίνεσθαι ἀνάγκη, καὶ μήτε ὁρῆν, μήτε ἀκούειν, & Aph. 58. Sect. 7. ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα. Concuſſionis autem cerebri cauſa eſt vel interna, vel externa; interna eſt humor vel vapor qvidã, cujus

jus moleſtia proritatur & concutitur cerebrum ut illum excutiat, qvalis accidit in ſternutatione & epilepſia: externa vero concuſſionis cauſa triplex ſtatuitur à Lud. Dureto com. in coac. p. 408. Nempe ictus capitis ex telo gravi atqve obtuſo, vel lapſus ex alto in ſaxum, vel compreſſio violenta cerebri ab excidente modiolo imperiti Chirurgi manu admoto, qvi circumagendi finem non fecit, dum ad membranam cerebri penetravit.

Sæpius caſu ex alto, & alliſione capitis ad corpus aliqvod durum talis cerebri conqvaſſatio & commotio accidit, tantoqve facilius, qvanto in ipſius ambitu vacuum ſpacium amplius eſt, & multo magis in ſenibus hanc fieri dixit Galen. com. in Aph. 58, Sect. 7. ita perculſi voce, viſu & auditu deſtituti jacent veluti apoplectici, virtute animali in cerebrum ſeſe colligente & otiante, vel propter validum dolorem ex toto ſpiritus in cerebrum revocante; vel ſpiritibus propter coarctatos meatus, qvibus ad ſenſoria externa deferri ſolebant, interclusis; vel magna illa agitatione confuſis, reſolutis & diſſipatis redeunt vero ad ſeſe dum ſpiritus ſeſe explicant: interdum tamen pereunt, ſi qvod ſubſidit cerebrum à concuſſione non ſtatim reſurgat, vel rupta ſit aliqva venula intra calvariam, è qva ſangvis paulatim effluens corrumpatur, inflammationemqve cerebri ejusqve membranarum inferat; aliqvando nervi

ali-

alicujus diſruptio & diſtentio, corporis reſo-
utionem & convulſionem inferens contingit:
vel febris excitatur accenſis ſpiritibus & humo-
ibus propter vehementem eorum agitationem
& perturbationem, aut propter dolorem &
gliſcentem putredinem: vertigo & delirium
iunt ob inordinatum motum, & membrana-
um inflammationem, unde illud Hippocratis
Aph. 14. Sect. 7. ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν
ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη κακὸν, à capitis ictu
ſtupor aut deſipientia malum. Convulſio de-
niqve patiente nervorum principio accidit:
qvæ ſymptomata ut plurimum, ſi primis die-
bus appareant, minoris ſunt periculi, qvam
qvæ temporis ſucceſſu, & poſt ſeptimum di-
em, ut fit æſtate, vel decimum qvartum, ut
hyeme, contingunt: hæc enim ex corruptione
paulatim inducta tunc proficiſci ſolent: ſic ex
contuſione accidit interdum, ut in meditullio
vaſculum aliqvod aliqva ſui parte abruptum
ſit, ex qvo paulatim ſanies deſtillet, qvæ ſub-
jectas partes corrumpat; propterea dixit Hip-
pocrat. loqvens de contuſione, affectionem
hanc plerumqve Medicum latere, ipſumqve
decipere; cum qvæ ipſi prius non erant nota
ex ſupervenientibus poſtea ipſi fiunt manife-
ſta. Vomitus adeſt ſeroſi excrementi cum bile
permixti, compatiente nimirum ventriculo
cum cerebri membranis, & agitatione atqve
calore in parte affecta præter naturam excita-

to,

to liqvata & conſtituente materia ex partibus vicinis.

Hic autem notanda ſunt, quæ Salius Diverſus com. in primum de morbis animadvertit his verbis. Qvoniam in iſta cerebri concuſſione, dum ad unum latus colliditur, ab altero latere cerebrum diſtrahitur, duorum alterum hinc inde ſequi neceſſe eſt: nam ex hac diſtractione, vel quædam partes circa cerebrum & ab eo exortæ, aut circa membranas abrumpuntur, vel ipſum cerebrum avelli, aut aliqvando ejus partem convelli aut diſtrahi contingit. In primo caſu reſtituuntur ægrotantes; quoniam non patiente cerebro ipſo, ſpiritus & facultates omnes recuperantur: in ſecundo autem neqvaqvam; quoniam patitur cerebrum continui ſolutionem in propria ſubſtantia, illa hinc inde diſtracta, ex quo ſpiritus evaneſcunt & extingvuntur; qvapropter neceſſario pereunt: hæc autem cerebri avulſio, aut partium ab eo, aut à membranis exorientium diſtractio potiſſimum fit in his, in quibus plurimum vacui eſt intra calvariam, eam cerebro in totum non implente: talis autem ſtatus ſolet ferè in omnibus hominibus eſſe tempore coitus lunæ, & ſpecialiter omni tempore in ſenibus, quibus cerebrum inareſcit.

In vehementi illa cerebri concuſſione & colliſione, quam experta fuit prædicta fœmina, oppreſſa penitus fuiſſet virtus animalis, niſi

niſi alacriter reſurgens vireſqve reſumens natura excuſſiſſet, & per nares amandaviſſet ſeroſi humoris copiam è cerebri ſubſtantia ictu & ſuccuſſione expreſſam; alioqvin hoc ſeroſo recremento per cerebri ſubſtantiam ejusque ventriculos regurgitante, alto ſopore correpta, vel apoplexia extincta penitus fuiſſet.

Ex hac hiſtoria colligere poſſumus, illico non eſſe aggrediendam cutis inciſionem in capitis contuſionibus, etiamſi prava ſymptomata appareant, niſi adſint fracturæ cranii, vel ſanguinis ſub cranio effuſi certiſſima indicia, & perſeverent ſymptomata: capitis enim externorum tegumentorum ſectionem, oſſis ſubjecti alteratio interdum ſubſeqvuta eſt, quæ tandem mortem intulit: hoc pridem annotavit & conſcripſit Franciſcus Arcæus lib. 1. de recta curandorum vulnerum ratione cap. 1. cujus verba hic apponimus, quoniam hic liber non omnibus fit obvius. Ad vulnera (inqvit) quæ ultra pericranium non pertingunt curanda, Chirurgi plerumque indocti accerſiri ſolent, qvibus illud imprimis commune omnibus ferè eſt, ut vulnera omnia qvæcunque in capite ſiunt, magna crucis figura inciſa adaperiant, & (ut illorum verbo utar) manifeſtent, atque cranium detegant: hujus erroris cauſa eſt commune qvoddam apud illos nullo certo auctore præceptum, qvo vulnera capitis univerſa manifeſtari atqve aperiri tradunt, ut in ſecunda curatione

ratione an capitis os fractum inciſumve fuerit cognoſcatur: ex qvo iſtorum errore multa ii qvi ſic affecti ſunt, afferuntur incommoda; in primis enim curationem tardiorem ac longiorem effici neceſſe eſt; namqve ſecundum artem curata octavo vel ad ſummum decimo die bene haberent, qvamvis qvantitate magna eſſent: contra iſti vix altero vel tertio interdum menſe curant, cujus etiam vitii Galenus Theſſalum arguebat 4. method. præterea vulnus ad cranium usqve aperientes ægrotum ipſum in ſummum vitæ diſcrimen non raro conjiciunt qvippe non raro exiguam oſſis partem aëre frigido tentante corruptam extrahi hoc modo curatis neceſſe ſit, qvod qvidem os neque corruptum alias neqve inciſum fuerat, nec raro evenit, ut non ſuperficies modo, ſed ipſum os totum ſecundum craſſitudinem corrumpatur. Idem comprobat lib. 2. pag. 174. Joannis Gomettii de Columbis Cazallenſis exemplo, cui vulnus in dextra capitis parte nullam rupturæ ſignificationem exhibens in crucem tribus digitis qvadratam, dilatatum fuit; ex qvo evenit, ut non modo detecta cranii pars, ſed multo etiam major undiqve portio corrupta fuerit.

Qvod etiam ex obſervatione ſeqventi innoteſcere poterit.

Ex capitis carne temere à Chirurgo ſe-
cta oſſiqve abſcedentis portiuncula vi avulſa, membranarum cerebri alteratio, in ejusqve ſubſtantia abſceſſus, & tandem mors.

OBSERVATIO VIII.

FOeminæ cujusdam caput graviter contuſum fuit delabente aſſere, qvo officina claudebatur, à Chirurgo qvodam diviſa fuit cutis & caro ad os usqve, & pericranium abraſum una cum oſſis ſubſtantia aliqva: vulnus diu apertum relictum eſt, nec ulla oſſis fracti indicia aderant, cumqve os tandem abſcederet, portio qvædam oſſis qvæ ſeparabatur, vi qvadam ablata fuit à Chirurgo, moxqve ſangvis ex oſſe reſudans viſus eſt: poſtea febris acuta, cujus antea expers erat, ipſam corripuit, tandemqve interiit. Poſt mortem aperto capite inventus fuit abſceſſus in cerebri ſubſtantia, & membranæ ipſum involentes lividæ.

Ex contuſione in muſculo temporali graviſſima ſymptomata, inciſione ſimplici & exigua ſedata.

OBSERVATIO IX.

FOemina juvenis dicta Dom. BADOIS caput inclinans ex improviſo in menſæ angulum impegit, & contuſionem in muſculo temporali experta eſt, absqve vulnere, qvo ictu

con-

concidit in terram voce, ſenſuqve omni deſti tuta: his ſupervenit febris acuta, delirium, motus convulſivi brachiorum & tibiarum, qui bus ad tertium & qvartum diem perſeverant: bus etiamſi pluries detractus fuiſſet ſanguis, i conſilium vocatus fuit Dom. LE LARGE, pe ritiſſimus Chirurgus, qvi ſentit nobiſcum hæ ſymptomata ex muſculi temporalis contuſio ne, ejusque fibrarum dilaceratione & pericran hunc muſculum involventis compreſſione eſſ orta. Incerti tamen eramus, an fractura oſſi ſubeſſet: quare inciſio ſecundum fibrarum ductum parva facta eſt, & paulo poſt febris ca teraqve ſymptomata ſedata ſunt, exudante ſc licet ſanie acri, qvæ partem ſenſu exquiſitiſſi mo præditam vellicabat & ſtimulabat.

Hepar materia qvadam indurata in pluribus locis refertum, & pancreas inſolitæ a qve ſtupendæ magnitudinis, ex quo renis è ſuo loco naturali dimotio facta eſt.

OBSERVATIO X.

VIr nobiliſſimus D. DE LOSIERES do lore hypochondrii dextri per plures an nos conflictatus fuit, cum ventriculi & dia phragmatis compreſſione: initio cum degere in agro Practavienſi hic dolor pro colico hu regioni vernaculo à Medicis judicatus fuit. E remediis, qvæ tunc ipſi præſcripta fuere, paru uti

utilitatis & ſolatii percepit. Poſtqvam vero Lutetiam ſeſe contulerit, celebriores urbis Medicos advocavit, qvorum judicio abſceſſus in hepate genitus dicebatur, variaqve ipſi abſqve ullo ægrotantis emolumento exhibita ſunt remedia. Ego ſub finem morbi & vitæ vocatus inveni ipſum dyſpnœa gravi laborantem & dolore hujuſce lateris & abdominis ita vexatum & compreſſum, ut neqve in dorſum, nec in latus recumbere poſſet, ſed cogeretur ſedere in lecto, & præ doloris gravitate & vehementia ipſe diſrumpi ſibi videbatur, tandem his atrocibus doloribus confectus extremum obiit diem. Aperto cadavere hepar magnum multis abſceſſibus refertum inventum eſt, & materia qvadam indurata, vitelloſqve ovorum colore referente repletum, pancreas erat admodum ingens. Ren erat laxatus & è ſuo loco dimotus propellente ſcilicet paulatim ipſum deorſum pancreate.

Ex lochiis non rite fluentibus phtyſis & pulmonum corruptela.

OBSERVATIO XI.

Nobiliſſima & generoſiſſima fœmina Dom. DE LA GROSSETIERE, à partu non fluentibus, ut antea ſolebant, lochiis, nec rerum non naturalium uſu legitimo adhibito, incidit in tuſſim moleſtam qvæ ſenſim indies cum pectoris dolore & gravitate exacerbata eſt, febriſqve per inter-

valla vehemens ipſam invadebat: ipſi aliqvoties detractus fuit ſangvis & purgatio inſtituta, ſed cum ab urbe remota eſſet, non potuit Medicorum conſilio commode frui. In pejus ſenſim cum ruerent omnia, ut ſaluti ſuæ proſpiceret, Lutetiam ſe contulit; ſed morbus adeo invaleſcebat, ut jam tuſſim moleſtam & ferè continuam febris hectica & macies corporis comitaretur. Multis præſidiis revellentibus, divertentibus, evacuantibus, refrigrantibus, bechicis & analepticis pugnatum fuit adverſus morbum, qvibus tamen expugnari minimè potuit, atqve inter tot ærumnas & difficultates decem menſiúm ſpacio vitam agente tandem interiit. Aperto cadavere pulmones toti purulenti inventi ſunt, adeo ut ne minima qvidem eorum particula ſcalpello divideretur, quin ex eorum ſubſtantia foraminulenta efflueret puris fœtidi inſignis copia; in his juxta claviculas deprehenſus fuit ſaccus pure refertus, exeſa pulmonum ſubſtantia productus, Ad coſtas utrimqve adhæreſcebant pulmones. Hepar amplum erat æqvaliter utriusqve hypochondrii cavitatem replens, ſubalbido colore præditum. renes qvoad ſitum ſibi invicem ex æqvo reſpondebant, nec dexter ſiniſtro depreſſior erat.

SCHOLIUM.

PArtes ſpiritales ex vitio partium genitalium labem contrahere non mirum eſt; ambæ enim

nim ſæpius coafficiuntur. & inter utraſqve magnus conſenſus & communio intercedit per venas communes, & præſertim per venæ epigaſtricæ cum mammaria concurſum. Illud obſervavit Hippocr. libr 2. epid. Sect. 1. his verbis ἀποφθειρουσέων οἱ τιτθοὶ, προσισχναίνονται, οὐδὲ γὰρ ἐναντίον, οὐδὲ βῆχες χρόνιαι, ἐπὶ ὄρχιν οἰδήσαντος παύονται. ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόμνημα κοινωνίης στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. i. e. abortientium mammæ graciles fiunt, neqve enim hîc contrarietas eſt, neqve tuſſes diuturnæ, qvoniam ubi teſtis intumuit ceſſant, & ex tuſſi teſtis intumeſcens nos admonet communionis pectorum, mammarum genituræ & vocis: ubi Fœſius dubitat, an hic γονὴ pro utero ſumi poſſit, qvemadmodum Hipp. lib. περὶ ἀφρογονὰς τὰ γυναικεῖα μόρια vocat, & Pollux τὴν μήτραν γονὴν ab Hipp. vocari ſcribit. Sic enim ille lib 2. cap. 4. Sect. 46 Ἱπποκράτης δὲ οὐ δελφὺν μόνον ἀλλὰ καὶ γονὴν τὴν μήτραν καλεῖ, ἐν ᾗ τό, τε ἔμβρυον συνίσταται καὶ τρέφεται, καὶ τὸ ἔμμηνον αἷμα συναθροίζεται. Ita Valleſius com. in locum Hippocrat. prædictum, genituræ & vocis nominibus inſtrumenta genitalia qvæ ſunt uterus, teſtes & genitale membrum; & vocalia, qvæ ſunt larynx, nervi recurrentes, thorax & omnia reſpirationis inſtrumenta intelligi ſcribit. Qvot autem & qvanta incommoda inferant purgamenta puerperia, cum ante diem ſiſtuntur, qvamvis di-

es aliqvot prorupta fuerint liberaliter, notiſſimum eſt: nam cum ſint hæc reliqviæ menſtruorum per graviditatem circa locos muliebres ſtabulantium graviditatis tempore, facta caloris nativi à concepto fœtu amplificatione hæ incorruptæ ſervabantur; ſed poſtea hujus beneficio deſtitutæ veluti emortuæ relinqvuntur atqve ubi ſuppreſſæ ſunt, & curſum ad ſuperiores partes inflectunt, inflammationes, dyſpnœam, corruptelam harum partium inducunt, ut ex Dureto diſcere poſſumus, com. in illam coacam; τὰ ἐκ τόκου καὶ διαφθορῆς πολλὰ ὀξέως ὁρμήσαντα, ἐπιστάντα, δύσκολα.

Faciei & reliqvi corporis gracilitas & extenuatio, in habitiorem conſtitutionem mutata.

OBSERVATIO XII.

NObilis fœmina macilenta & gracilis uſa eſt ad εὐεξίαν καὶ εὐχροίαν comparandam juſculis & hordeatis. His parum proficientibus, alterius nobiliſſimæ fœminæ ſuaſione & exemplo qvotidie mane panem aqva communi intinctum & madefactum comedit, cujus beneficio faciem habitiorem, & totum corporis habitum laudabiliorem obtinuit. At qvomodo panis aqva maceratus εὐσαρκίαν induxerit, non video; niſi dicamus, vim refrigerandi, qvæ aqvæ ineſt, in pane ſervari diu-

liutiusqve remanere in ventriculo, qvi cum natura calidior eſſet, una cum cæteris viſceribus nutritiis, alimentum minime idoneum corpori ſuppeditabat: aqva vero ſimplex & aliæ potiones refrigerantes promptius è ventriculo effluunt & elabuntur, nec nutriunt; aqva enim non nutrit: pani verò aqva ita macerato utraqve virtus ineſt refrigerandi & nutriendi: adde qvod per macerationem iſtam panis fermenti qvalitatem deponit, qvæ cum ſit qvodammodo acris, habitum corporis extenuat, nec nutritioni ita apta eſt: vulgatum enim eſt apud Medicos, nos nutriri dulcibus.

De craſſiori corporis habitu extenuando.

OBSERVATIO XIII.

MUlti qvibus craſſior eſt corporis habitus & pingvior aqvaliculus, ejus extenuationem ſummoperè exoptant, ut deambulationibus & variis corporis motibus & inflexionibus, liberius & absqve moleſtia vacare poſſint: in hunc finem remedia, qvibus voti participes fiant, qvotidie à medicis expetunt; ſed ex iis pauca tuta & certa eſſe exiſtimo: tenuis enim diæta ſæpe parum proficit; imo plurima multis intulit damna: humores enim exacuit & inflammat, febremqve ſæpius excitat. A qvibusdam uſus aceti commendatur; ſed ventriculum & inteſtina lædere poteſt, cum

ſit membranoſis omnibus partibus infenſum; eo tamen feliciter uſus eſt ad corporis ſui extenuationem & imminutionem, Chiapinius Vitellius Cetonæ Marchio, generalis caſtrorum præfectus in Hiſpaniarum Regis exercitu Belgico, ut videre eſt apud Stradam decad 1. lib. 8. de bello Belgico. Mirum fuit, inqvit, hominem obeſitate prætumidum ea valuiſſe non modo vi mentis ſed etiam corporis expedite ſeſe infle-ctentis agilitate; ut in præliis ad ducis prudentiam non magnopere in illo deſiderares bellatoris dexteritatem. Qvod enim ſub mediam ferme ætatem increſcente adeo mole, faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus venter eſſet immodice projectus, videret tardiorem qvotidiè reddi ſe ad belli munia, homo ad militiam cuncta referens, vino ſua ſponte ſibi interdicto. acetum exinde bibere ad vitæ usqve finem perſeveravit effecitqve, ut detumeſcente abdomine, defluenteqve ventris pelle, qva ipſe ſe thoracis inſtar involvebat; octoginta ſeptem librarum decreviſſe pondo compertus ſit. Novi ego hominem, qvi ex obeſo & craſſiſſimo gracilior evaſit, detracta ſcilicet panis portione, qvem qvotidiè copioſum comedebat: Huic in panis locum major carnis qvantitas ad eſum exhibita eſt. Multa ſunt eqvidem, qvæ corpus non modo extenuant, ſed etiam conficiunt, ut exercitia immodica, curæ graves, vigiliæ, ſuſceptæ lites, à qvibus abſtinere ſatius eſt.

Manus

Manus cum parte brachii putrefacta & corrupta, naturæ virtute à ſanis partibus ſeparata & ſponte decidua.

OBSERVATIO XIV.

FRatria Dom. LE SOVES Doctoris Medici ſcholæ Pariſienſis monialis degens in cœnobio virginum vici prope Lutetiam ſic dicti MALNOüE: manus digitorum acerrimo dolore correpta fuit absqve rubore & tumore. Accitus fuit cum dom. LE SOUBS, D. ANTONIUS BERTRAND Chirurgus peritiſſimus in via ſaniacobéa habitans, qvi manum indolentem & frigidiſſimam deprehendit, animadvertit inſuper in vola manus veluti ecchymoſim qvandam, qvam acicula punxit ut & totam manum & brachium, in qvibus nullus erat doloris ſenſus niſi circa cubiti flexuram: partem caloris nativi extinctione laborantem ſcarificationibus profundis incidendam lotionibus ex ſpiritu vini, & aqva phagedenica perfundendam, cataplaſma ex farina hordei & vini ſuperponendum arbitrati ſunt; qvibus peractis exiſtimantes illam brevi morituram, diſceſſerunt. Multis diebus elapſis invitatus rurſus Dom. BERTRAND ad illam ægrotantem inviſendam, illucqve profectus, manum vidit à brachio ſeparatam, qvæ ſponte corrupta jam deciderat, muſculorum carne oſſa cubiti & radii denudata, ſphacelo & nigredine infecta.

Agebatur tunc de partis emortuæ & corruptæ amputatione; ſed nolebat ferre ægrotans ad vivum reſectionem: itaq; ſectio in parte emortua infra cubiti flexuram facta eſt, oſſaqve non niſi poſt annum abſcedere & exfoliari viſa ſunt, ægrotante tamen præter ſpem ſuperſtite.

Dolor capitis acutiſſimus ex materia qvadam lapidea craſſæ meningi adnata, & ſpiculis ſuis tenuem membranam cerebri perfodiente.

OBSERVATIO XV.

NObiliſſima fœmina D. Suzanna TALON, filia nobiliſſimi & clariſſimi viri D. TALON Regi à ſecretioribus conſiliis uxor illuſtriſſimi D. Ludovici PHELIPPEAUX Dom. de PONTCHARTRAIN, in ſuprema computorum regiorum curia præſidis, dolore capitis acutiſſimo diu conflictata fuit, eoqve pungente admodum inſtar acuum vel telorum parti infixorum interdum vehementius, interdum minus ipſam divexante; doloris vehementia preſſa ejulabat, & ambabus manibus caput prehendebat, ad qvem dolorem ſedandum multoties detractus fuit ſangvis à Medicis Pariſienſibus; parti dolenti, cui inſtar verrucæ cujusdam callus inerat; admotum fuit pyroticum, & ad cranii perforationem deveniendum eſſe inſtabat Dom. PIMPRENELLE, Chirurgus Pariſienſis celeberrimus, cui tamen non fuit ὁμόψηφος Dom.

Anto-

Antonius BERTRAND Chirurgus Pariſienſis ſupra memoratus, ægrotantis ordinarius. Hæc deinde in hydropem incidit, tandemqve interiit. Aperto poſt mortem cranio invenit dictus Dom. BERTRAND ſub craſſa meninge juxta canalem anteriorem ſeu torcular utrimqve, induratam qvandam materiam & lapideam, inſtar rupis cujusdam inæqvalem & aſperam, aculeis multis, & veluti cati ungvibus, conchyliis, variisqve figuris diſtinctam & variegatam; ipſiqve craſſæ meningi firmiter adhæreſcentem, inter cujus inæqvalitates venulæ ferebantur ad ligularum ferramentorum magnitudinem accedentes, qvæ hanc materiam rigabant, ſupra tenuem meningem humor qvidam mucoſus repertus eſt. Magnam hujus craſſæ meningis portionem, cui dicta rupes adhæret, adhuc ſervat præfatus Chirurgus Dom. BERTRAND, cujus figuram hîc exhibuimus.

FIGURA MATERIÆ LAPIDEÆ CRASSÆ,
meningi adnatæ in mulieri



1. Crassæ meningis pars juxta canolem anteriorem.

2. Materia lapidea inæquialis et aſpera ipsi crassæmeningi achærescens.

Perinæi, ani, ſcroti, teſticuli tunicarum, hypogaſtrii ſerpens putredo & gangræna cohibita:

OBSERVATIO XVI.

D. Olivarius de VARENNES, Bibliopola Pariſienſis eruditus, conqverebatur hyeme noviſſima de frigore totius corporis, & præſertim ventris inferioris, atqve inſuper de ſcabie. Hic forte inter comedendum deglutivit oſſiculum è crure pulli, qvod hærens ano, digitis extraxit: dolor antea parti inerat, putabatqve eſſe hæmorrhoides, deinde totum ſcrotum valde intumuit doluitque. Primùm acciti fuere Dom. STAMPLE Medicus clariſſimus, & D. REGNIER Chirurgus regius, qvi me in conſilium adhibuerunt una cum Dom. SOSIAS Chirurgo Pariſienſi peritiſſimo; ubi illum inſpeximus, gangrænam in perinæo deprehendimus; ulcus erat cum eſchara veluti ab uſtione, ſinuoſum in margine ani pervium, qvod intacta veſica ſectione fuit diductum, è quo pus fœtidum prodiit: perfuſio facta fuit ex aqua phagedænica, admoti fuere penicilli, & lintea eadem aqva imbuta, veluti & ſcroto prætumido: die ſeqventi gangrænam in ſcroto ſerpentem deprehendimus; apertum fuit ſcrotum & membranæ teſticulos, ſed præſertim ſiniſtrum involventes; lividæ & νέκρωσιν patientes repertæ ſunt; è ſcro-
to

to, effluebat pus in ulcus ſubjectum, fœtor insignis, lypothymiæ freqventes, & alvi fluxus aderant. Ex ſpiritu vini lotiones fuerunt factæ, carnes putridæ reſectæ, cumqve ad deterſionem cuncta viderentur tendere, fluctuatio materiæ cujusdam in hypogaſtrio circa veſicæ regionem deliteſcentis digitis fuit deprehenſa: apertio facta eſt non ſine prævia deliberatione, nec ultra tegumenta qvinqve externa ſectio penetravit, qva pus exiit fœtidum pariter, parteſqve adjacentes hujus labis & corruptelæ non expertes compertæ ſunt: lotione ex ſpiritu vini, & injectionibus, ex aloë rad. ariſtoloch. fol. abſinth. centaur. min. agrim. decoct. cum melle roſat. putredo inhibita fuit; cumqve pus liberum non haberet effluxum, traducta eſt acus, ſub illis tegumentis lina ducens usqve ad locum declivem; deterſis ulceribus omnibus balſamum Arcæi fuit adhibitum; qvæ tandem carne repleta ſunt & ad cicatricem fœliciter perducta. Toto morbi decurſu purgatus fuit multoties æger blandis medicamentis, ut rheo, catholico, ſyrup. de cichor. compoſito, prævia initio morbi ſangvinis miſſione ad humorum impetum arcendum, potiones cardiacæ ex confectionibus alkermes, de hyacintho, aqvis ſtillatitiis ſcabioſ. Cichor. paratæ, exhibitæ fuerunt; tantillum vini ad virium refocillationem, qvarum exolutionem & defectum ſæpius in die experie-

experiebatur, deguſtavit. Horum auxiliorum Deiqve ſummo beneficio hic tandem plane convaluit; niſi qvod ſcabie per totum corpus erumpente infeſtetur.

Veram & accuratam deſcriptionem ἐγχειρήσεως anatomicæ in humano cadavere peractæ, in qvo partes omnes internæ abdominis atqve thoracis tranſpoſitæ erant, continet.

OBSERVATIO XVII.

ETſi hujus hiſtoriæ anatomicæ facta fuerit mentio à Dom. Mentello in epiſtola libro Jo. Pecqveti adjuncta, atqve inter opuſcula varia & nova anatomica D. Riolani, paucis expoſita, illa reperiatur; eam tamen integram, abſolutam & pro rei veritate deſcriptam hic ſubtexere libuit, qvalis à Dom. Antonio BERTRAND Chirurgo & anatomico peritiſſimo, qvi ſectionem hujus cadaveris propriis manibus adminiſtravit, exactè fideliterqve conſcripta, nobiſqve communicata fuit.

Cadaver erat ſicarii cujusdam dicti Richardi FRANCOEUR, qvi cum nobilem virum in rheda illuſtriſſimi Principis de BEAVFORT ſedentem noctu ſclopeto interfeciſſet, ſupplicio rotæ addictus fuit anno Dn. 1650. ut notavit Riolanus. Adminiſtratio facta fuit apud Dom. REGNIER Scholæ Medicæ Pariſienſis Doctorem, qvi diſſectioni in grariam Chirurgiæ candidatorum præerat. Nar-

Narrationis hujus ſeries juxta partium diſſectioni ſubjectarum ſitum proutqve in ipſa ſectione oculis ſeſe produnt, inſtituetur.

Primo in venæ umbilicalis ſitu, progreſſu & inſertione immutatio animadverſa eſt: hæc enim qvæ conſveto & à natura inſtituto ordine verſus hypochondrium dextrum tendit, atqve in ſciſſuram hepatis dextro illo hypochondrio contenti, inſeritur aliter hic ſeſe habebat: ſi qvidem hæc vena ex hypochondrio ſiniſtro orta in umbilicum deſinebat, qvo viſo obſtupuit protinus prædictus Chirurgus & Anatomicus, qvi nunqvam talem venæ diſtributionem inſpexerat; licet multoties hepar usqve ad linem protenſum deprehendiſſet, atqve etiam obſervaſſet aliqvando hæc duo viſcera ſibi invicem adhærentia, & ligamento membranoſo inter ſe connexa, tantamqve hepatis magnitudinem ut hypochondrium utrumqve occuparet.

Diviſo peritonæo majori admiratione captus fuit, dum venæ umbilicalis progreſſum inſectando, hepar ſub hypochondrio ſiniſtro prorſus reconditum, lienis & fundi ventriculi locum occupans animadvertit, cujus pars gibba nothas coſtas ſiniſtri lateris reſpiciebat, parsqve hepatis, qvæ ſecundum naturam verſus ſiniſtrum latus protuberat, in hoc verſus dextrum protendebatur; proinde venæ cavæ truncus aſcendens & deſcendens in partibus ſini-

ſtris

ſtris collocatus erat, parte nempe laterali & ſiniſtra vertebrarum dorſi & lumborum ſuperſtratus, qvi pro ſolito naturæ inſtituto ſuper prædictarum vertebrarum parte interna, eaque dextra & laterali jacent, ex quo factum eſt neceſſario, ut ſitus partium omnium internarum, tam in abdomine, quam in thorace contentarum, immutari atque inverti debuerit, vel deinceps patebit? cumqve hepar ſit veluti baſis & undamentum, quæ cæteræ partes ſuperſtructæ videntur, ejus ſedem, diſpoſitionem & collocationē neceſſario ſequi coguntur, illo namqve tranſpoſito fieri non poteſt, quin & cæteræ partes internæ transponantur, ſi modo legitimus ordo in totius corporis œconomia ſervari debeat; alioquin partium confuſio, functionum læſio & interturbatio accederent.

Ulterius progrediendo ventriculum in dextris partibus ſitum invenit, cujus orificium ſuperius ſuper dextro latere vertebrarum metaphreni collocatum erat, quod inſolitum eſt: nam ſecundum naturam ad diaphragma accedens, ſiniſtroſum vergit, ejusqve fundus dextrorſum inclinat. In hoc cadavere orificium ventriculi inferius, ſive pylorus in latus ſiniſtrum reclinabat, qui ſolet in partem dextram tendere; propterea lienis, inteſtini duodeni ſitum inverſum fore tunc ipſi veriſimile viſum eſt; ut poſtea illud ipſum veriſſimum comperit.

Fun-

Fundo ventriculi in oppoſitam partem re-clinato, linem in hypochondrio dextro collocatum adinvenit, cujus pars gibba nothas coſtas, ſima vero ventriculum prout ſolet reſpiciebat, cui per vas breve, qvod trifidum erat membranasqve ordinarias alligabatur: ex qvo lieni poſitu oritur etiam in venæ ſplenicæ, proindeqve totius venæportæ, ſitu & diſtributione immutatio atqve inverſio: vena enim portæ, qvæ naturalem ſitum in parte dextra obtinet, in ſiniſtra parte erat conſtituta; & ſplenica, qvæ è ſiniſtris eſſe debebat, erat è dextris partibus.

Ventriculi ſitum immutatum ſeqvitur identidem ſitus inteſtinorum mutatio: cum enim pylorus, ut jam dictum eſt, ad ſiniſtram partem eſſet propenſus, inteſtinorum principium è partibus ſiniſtris ducebatur, duodenumqve in ſiniſtra parte erat collocatum neq; ut ſolet conſtitutum: cum enim ſecundum naturam ſub pancreate ducatur, ſitqve, ut convenientem diſpoſitionem ſitumqve obtineat, obliqvum & in medio reflexum, ut, qvod ſemel egreſſum eſt è ventriculo, in illum regredi & refluere non poſſit: hîc contra ſeſe habebat, ſupra enim pancreas qvaſi rectà ferebatur, inteſtinumqve jejunum, cujus initium eſſe ſolet in parte ſiniſtra, hîc in parte dextra erat locatum; ſicqve inteſtinorum omnium ſitus erat inverſus; qvæ enim ad dextram partem pertinebant, ſiniſtro loco continebantur; veluti cœcum

qvod

qvod in ſiniſtra parte erat cum appendice ſua, una cum initio colli, cui in dextra ſecundum naturam ſedes convenit, & in dextram terminatur: rectum pariter è ſiniſtro latere initium ducere ſolet: è contra in hoc cadavere colon inteſtinum in dextrum latus deſinebat, rectum vero ab eo latere exordium ſumebat; proindeqve meſocolon in dextra parte ſitum erat, cui pars ſiniſtra dicata eſt ſecundum naturam. Sic vena hæmorrhoidalis, qvæ è ſplenica, ut plurimum interdumqve è meſenterica ſiniſtrorſum oritur, & per coli inteſtini & recti longitudinem fertur, & ad extremum recti inteſtini deducitur; in hoc cadavere è ſplenica dextrorſum exoriebatur, qvo loco lien ſitus erat, dextrorſumqve per longitudinem coli & recti extendebatur.

Utqve vena cava deſcendens ſiniſtram verſus vertebris lumborum incumbebat, qvæ in parte dextra reperiri debebat; ſic aortæ truncus deſcendens dextram ſedem occupabat, qvæ cavæ deſcendenti trunco naturæ lege debetur; inde factum eſt, ut cæteræ venæ transpoſitæ fuerint, qvod potiſſimum in vena ſpermatica dextra cernebatur, qvæ ab emulgente dextra emergebat, & ſpermatica ſiniſtra, qvæ è trunco venæ cavæ ſiniſtrorſum exiliebat, perturbato ſcilicet naturæ ordine; ſpermatica ſiqvidem dextra ut plurimũ è venæ

cavæ trunco oritur, ſiniſtra verò ex emulgente: dixi ut plurimum, qvia ſitu contrario diſpoſita interdum reperiuntur. Renum pariter ſitus erat inverſus: ren enim ſiniſter digiti latitudine dextro depreſſior erat, jecore nempe in ſiniſtro hypochondrio collocato ipſum depri mente; ren verò dexter erat elatior, liene minorem locum in dextro hypochondrio occupante.

Inſuper canalis qvidam conſpicuus inventus fuit in abdomine, è cavis jecoris emergens juxta venæ portæ exortum, per medium pancreas tranſiens, & in inteſtinum duodenum inter duas tunicas deſinens, prope meatuum cholidochorum inſertionem: is erat ſubſtantia nervoſa, figura rotunda, pennæ gallinacea magnitudinem referens, in cujus cavitatem tubulus introductus fuit, qvi hepar ingrediebatur, & inter duas tunicas duodeni perducebatur, hicqve canalis plures ramulos in pancreas diffundebat.

Ita diſpoſitis partibus naturalibus in abdomine contentis, fieri non poterat, qvin partes thoracicæ eundem ſitum obtinerent, & ad illarum modum reflecterentur: jure enim ſiniſtrum hypochondrium replente, venæ cavæ truncum aſcendentem & deſcendentem ad ſiniſtrum latus exporrectum, aortamqve in dextro repoſitam eſſe, adeoqve pulmonum cordisqve naturalem ſitum mutari neceſſe erat.

Qvod

Qvod conjectura aſſeqvebatur, id αὐτοψίᾳ veriſſimum comperit Anatomicus: tres enim pulmonum lobi ad dextrum latus pertinentes, ſiniſtro latere, duo vero dextro continebantur. Cordis conus, qvi ad ſiniſtrum latus paulò inflectitur, baſisqve qvæ ad dextrum paululum vergit, contrario modo hic ſe habebant: pericardii enim & cordis mucro latus dextrum, ejus vero baſis latus ſiniſtrum reſpiciebat; ſicqve qvatuor vaſorum cordis ordo etiam immutatus fuit, ut & ventriculorum cordis ſitus inverſus: qvi enim dexter vulgo habetur, in hoc cadavere ſiniſter erat; qvi verò ſiniſter, dexter habebatur: ſic aorta in dextro latere erat poſita, oſtiumque venæ cavæ, qvod in cor dehiſcit, in ſiniſtro adſpectabile erat cum auricula cordis majore: arteria vero venoſa, venaqve arterioſa cum minore cordis auricula in dextro conſpiciebantur. Vena ſine pari partem ſiniſtram internamqve vertebrarum metaphreni perreptabat, ortumqve ſuum ducebat ab initio ſubclaviorum ramorum, octo ramulos emittendo, qvi tam ad dextras, qvàm ad ſiniſtras partes deducebantur.

His ita conſtitutis ſeqvebatur neceſſariò nervorum recurrentium ſitum qvoqve immutatum eſſe: ſolet enim nervus recurrens ſiniſter reflecti circa deſcendentis aortæ incurvationem; dextri verò reflexio circa ſubclaviam

dextram veluti circa trochleam perficitur: & ſane contrarium poſitum in hoc cadavere nervi recurrentes obtinebant; aortâ enim in dextra parte locatâ, nervus recurrens circa ejus incurvationem reflectebatur, in ſiniſtra verò circa ſubclaviam reducebatur.

Venarum lactearum in glanduloſa meſenterii corpora, & receptacula deductarum à Galeno facta delineatio atqve deſcriptio, unà cum lactearum thoracicarum in eqvo à Bartholomæo Euſtachio facta demonſtratione.

OBSERVATIO XVIII.

LAudantur & celebrantur ſeculi noſtri ingenia, qvorum acie & perſpicacia multa abſcondita ad rem anatomicam, & praxim medicam ſpectantia, ſedulitate, diligentia & laboribus incredibilibus è tenebris eruta omnium qve oculis expoſita ſunt; inter qvæ præcipuum obtinebit locum venarum lactearum & in fundo meſenterii chyli receptaculorum detectio & inveſtigatio, unà cum ductuum chyliferorum ad thoracem aſcendentium in venas ſubclavias inſertione; qvibus chylus ad cor deducitur, ibiqve in ſangvinem converti contendunt neoterici anatomici: & licet de horum vaſorum uſu non una eademqꝫ ſit omnium ſententia, cum plurima adhuc in corporum anatome ſenſus noſtros effugiant; res tamen extra

extra omnem controverſiam videtur jam po-
ſita, cujus qvidem indagatoribus Gaſpari nim.
Aſellio venarum lactearum inventori, & Jo.
Pecqveto Univerſitatis noſtræ Monſpelienſi
Doctori, Medico clariſſimo, receptaculorum
chyli in fundo meſenterii collocatorum, & ve-
narum lactearum in thorace repertori, laus æ-
terna debetur. Nec dubitavi, qvin ex aſſidua
cadaverum ſectione, & repertorum medita-
tione impoſterum veram ſangvificationis of-
ficinam, de qva tantopere diſceptabatur, par-
tium naturalium & vitalium actionem, humo-
rum motus & legitimos uſus dignoſcere poſſi-
mus. Interim miratus ſum (admonitus prius
à nobiliſſimo viro D. Mentel, Scholæ Pariſienſis
Doctore Medico doctiſſimo, qvi hanc obſer-
vationem mihi communicavit & authorum
loca indicavit,) dum legi tum apud Galenum,
tum apud Bartholomæum Euſtachium, deli-
neationem qvandam & deſcriptionem, licet
rudem & imperfectam, venarum harum la-
ctearum, & chyli receptaculorum, atqve et-
iam ductuum chyliferorum aſcendentium; nec
propterea de laude & exiſtimatione clariſſimo
Pecqveto debitis qvidqvam detrahendum
cenſui; ac ſolummodo exiſtimavi, omnium
bonorum fructuumque qvos in ampliſſimo
Medicinæ campo excolere & colligere poſſu-
mus, ſeminaria hauriri poſſe & artis noſtræ
antiqvis principibus, Hippocrate præſertim &

 Gale-

Galeno. Et qvemadmodum planta è terræ gremio folia ſua tenella proferens, non tam claram facilemqve ſui cognitionem exhibet, qvam ubi perfectum ſui incrementum fuerit aſſeqvuta; ita apud antiqvos illos authores, qvibus Medicinæ primordia & fundamenta conſtituta fuerunt, non clarè & dilucidè anatomicæ illæ obſervationes exponuntur, ſed ambagibus qvibusdam involutæ conſpiciuntur; adeo ut primo intuitu vera illarum facies non facilè dignoſcatur; ſed aſſiduum contemplatorem & inſpectorem exigant. Horum igitur penetralia adeamus, & qvæ hucuſqve fuere abſtruſa recludamus.

Primus locus eſt Galeni libro 4. de uſu part. ſub finem, qvem locum jam notaverat D. Mentelius in epiſtola ad D. Pecqvetum. Hæc ſunt Galeni verba. πρῶτον μὲν γὰρ παντὶ τῷ μεσεντερίῳ φλέβας ἐποίησεν ἰδίας, ἀνακειμένας αὐτῶν τῇ θρέψει τῶν ἐντέρων, μὴ περαιουμένας εἰς τὸ ἧπαρ· ὡς γὰρ καὶ Ἡρόφιλος ἔλεγεν, εἰς ἀδενώδη τινὰ σώματα τελευτῶσιν αὗται αἱ φλέβες τῶν ἄλλων ἁπασῶν ἐπὶ τὰς πύλας ἀναφερομένων. i. e. primum namqve toti meſenterio venas effecit proprias (ſcil. natura) ipſorum inteſtinorum nutritioni dicatas, haudqvaqvam ad hepar trajicientes: verum ut & Herophilus dicebat in glandulоſa qvædam corpora deſinunt hæ venæ; cum cæteræ omnes ſurſum ad portas referantur.

Alter

Alter locus eſt initio lib. de diſſectione venarum, cujus hæc ſunt verba: εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι φλέβες ἐν τῷ τῶν μικρῶν ἐντέρων μεσεντερίῳ τῷ μέσῳ, περαίνουσαι πρὸς ἀδένας τινὰς ἐνταυθοῖ κειμένους· τῆς δὲ μεγάλης φλεβὸς τῆς ἐπὶ πύλαις, ἧς ἀποβλαστήματά εἰσιν αἱ προειρημέναι πᾶσαι, καὶ ἄλλαι τινὲς ἀποφύονται, τοσαῦται τὸν ἀριθμὸν ὅσοιπερ ἂν ὦσιν οἱ λοβοὶ τοῦ ἥπατος, εἰς ἕκαστον γὰρ αὐτῶν κατασχίζεται μία. i. e. ſunt autem & aliæ venæ in tenuiorum inteſtinorum medio meſenterio, qvæ ad glandulas qvasdam ea regione poſitas terminantur, qvin etiam ab eadem magna vena, qvæ ad portas eſt iecoris, cujus ſoboles ſunt omnes prædictæ, aliæ qvoqve qvædam producuntur jecinoris fibris numero pares, in ſingulas enim ſingulæ dividuntur. Qvibus poſtremis verbis venas lymphaticas deſignari ait D. Mentelius. Bartholomæus vero Euſtachius in opuſculis anatomicis cum de vena ſine pari agit, confuſo qvodam modo ductum thoracicum album & lacteum in eqvorum cadaveribus animadvertit, cujus progreſſum & diſtributionem è partibus ſuperioribus ad inferiores perſeqvitur, cujus vero inſertionem & terminationem ſe ignorare fatetur. Hæc ſunt ejus verba, qvæ leguntur tractatu de vena azygo pag 301. Qvandoqve vena ſine pari ê regione ſextæ thoracis vertebræ ramum ad ſiniſtram partem mittit, qvi furſum elatus ad qvintam ejusdem cum a-

lio à trunco ſiniſtro juguli orto conjungitur: indeqve uſqve ad tertium intervallum alimentum præbens conſcendit, ad hanc naturæ providentiam qvandam eqvorum venam alias pertinere credidi qvæ cum artificii & admirationis plena ſit, nec delectatione ac fructu careat, qvamvis minimè ſit ad thoracē alendum inſtituta, operæ pretium eſt,ut exponatur. Itaqve in illis animantibus ab hoc ipſo inſigni trunco juguli, qva poſterior ſedes radicis venæ internæ jugularis ſpectat; magna qvædam propago germinat,qvæ præterqvam qvod in ejus origine oſtiolum ſemicirculare habet, eſt etiam alba & aqvei humoris plena, nec longè ab ortu in duas partes ſcinditur, paulò poſt rurſus coëuntes in unam, qvæ multos ramos diffundens juxta ſiniſtrum vertebrarum latus, penetrato ſepto transverſo, deorſum ad medium uſqve lumborum fertur: qvo loco latior effecta, magnamqve arteriam circumplexa, obſcuriſſimum finem mihiqve adhuc non bene perceptum obtinet.

SCHOLIUM.

EX Galeni verbis lib. 4.de uſ. part. duo colligi poſſunt; primo qvasdam dari venas, qvæ ad hepar non producuntur, nec tendunt: Secundo inteſtina lacteo ſucco nutriri. Mirum in modum ſe torqvent Galeni interpretes, dum verum horum verborum ſenſum inqvirunt, nec tamen illum planè aſſeqvuntur. Veſalius lib.

lib. 5. anat. cap. 9. ſic ait: Neqve ſatis aſſeqvor qvid Galenus ſibi velit, qvando inteſtinis ipſiqꝫ adeo menſenterio venas offerri teſtatur in jecur non terminatas, aut (ut alii vertunt) ad jecur non trajicentes; niſi forte aliqvas venæ cavæ propagines in inteſtina diſſeminari judicaverit: qvanqvam & illæ in jecur tandem vel ipſius ſententia terminarentur, etiamſi forſan cremorem ex inteſtinis jecori non offerrent: at potius inteſtinis meſenterioqve enutriendis privatim conducerent. Venas enim lacteas à meſentericis diſtinctas ignoravit ille, admittens venæ portæ propagines in inteſtina inſertas ad mutuam chyli in jecur trajiciendi & ſangvinis ad nutrienda inteſtina deducendi mutuam tranſſumptionem; adeo ut præter commemoratas venas nullæ aliæ in inteſtina & meſenterium pertinentes ipſi fuiſſe obvias aſſerat; licet hic videatur glandulam magnam meſenterii deſignaſſe: qvam non chylo excipiendo; ſed vaſorum diviſionibus fulciendis deſtinatam eſſe agnoſcit. Caſpar Hoffmannus lib. 2. variar. lect. cap. 19. textum hunc corruptum eſſe aſſerit, non intelligens, qvomodo natura ad nutritionem meſenterii inteſtinorumqve fecerit venas qvasdam peculiares, & qvomodo dentur venæ, qvæ non tenderent, ad hepar qvod venarũ fons eſt & origo: tot ſunt abſurda, inqvit, in una hac oratione, qvæ commiſiſſe Gal. in tantillo tractu credat Judæus apella, non ego. Da-

mnatqve ibid. Veſalium, qvi dum hunc locum adducit lib. jam citat. Galenum deduxiſſe has peculiares venas à vena cava aſſerit, qvomodo, inqvit, à vena cava cum expreſsè dicat, μὴ περαιοῦσθαι εἰς τὸ ἧπαρ. Item com. in hunc locum ſic ait: Vidit forte Herophilus (ex hujus enim ſententia loqvitur Gal.) tale qvid qvale Fallopius in ſuis obſervationibus, cum ait, aliqvando ramos ex portæ trunco ſurſum ire ad diaphragma, atqve inde iterum deſcendere ad pancreas: at qvia Herophilus ad hepar deſinere non viderat, qvod vidit Fallopius, credidit id Galenus. & in omnibus ita aſſeruit. Nec minoribus ambagibus involvuntur & ducuntur neoterici anatomici, qvorum multi aſſerunt, venas lacteas ad hepar nullo modo pertingere, nec ullam illorum propaginem illuc deductam deprehendi potuiſſe: alii vero qvatuor canales lacteos ad hepar extenſos, & præterea alios in pancreas & venam cavam obſervaverunt. Hanc controverſiam anatomicam ratio ex partium œconomia deprompta decernere poteſt: nec credendum eſt, omnes vias, per qvas humores feruntur, ab anatomicis deprehendi potuiſſe, ſi venarum emulgentium (inqvit Bartholomæus Euſtachius de rerum adminiſtratione agens p. 132. opuſcul. anat.) cum ramis illius, qvæ azygos dicitur, conjunctionem noviſſet Galenus, pariterqve propaginem interdum venæ portæ uniri cum venis

venis ſepti obſervaſſet, veram etiam viam cognoviſſet, qva pulmo & thorax expurgari per renes & inteſtina poſſint. Sufficit, ſi communionis venæ portæ cum cava extra hepar, ut de illa non amplius ambigamus, notitia qvædam habeatur; ſufficit, ductus qvosdam chyliferos ad hepar pertingentes notaviſſe, ut de traductione chyli ad illud non amplius dubitemus, pluresqve alios dari canaliculos non adhuc deprehenſos, per qvos ille feratur, conjiciamus. Nonne Thomas Bartholinus cap. 15. tractatu de venis lacteis thoracis admittit venas lacteas hepar ingredientes, & in orbe piſce harum venarum in hepatis tertium lobum minorem inſertionem oſtendit; quem lacteus candidusqve ramus ſatis magnus ingrediebatur, ex glandula haud procul locata, lacteoque humore turgida; ad qvam pleræqve lacteæ ex meſenterio & appendicibus ventriculi commeabant; licet ipſe deinceps palinodiam cecinerit cap. 3. hiſtoriæ novæ anat. vaſorum lymphaticorum, & cum ſententia earum venarum nomen mutaverit, dixeritqve eſſe vaſa aqvoſa ſeu Lympathica nihil niſi limpidam aqvam continentia, & certe non video qvomodo canalis ille inſignis lacteus in orbe piſce repertus dicatur Lympathicus, cum aqvam limpidam non contineret, ut & alii ductus ad hepar tendentes qui lymphatici viſi ſunt, eò qvod chyli aqvoſiorem & tenuiorem

par-

partem deferrent, & forſan qvod pars chyloſa & nutritia attracta fuerit ab hepate, ſecreta, & relictâ aqvoſiori ad nutritionem inutili, eaque in iſtis venulis redundante.

Nathanaël Higmorus lib. 1. part. 2. diſqviſition. anatom. corporis humani pag. 40. ſic de venis lacteis loqvitur. Aſellius duos tantum vidit ramos, ego plures perluſtravi, qvi à pancreate ad hepar per portæ latera excurrunt, eosqve poſt mortem etiam facilè monſtrare poſſum, & pag. 39. Sic earum divaricationem & progreſſum deſcribit ab inteſtinis per meſenterium obliqvo ductu inter duas ejus tunicas, partim ſeorſim à vaſis reliqvis, partim unà cum illis modo rectô ductu, modò eadem tranſcendentes & veluti decuſſantes per plures glandulas in pancreas uſqve perferuntur; in pancreas variè cancellorum in modum vel çapreolorum implexæ, ſibi mutuo confuſæ in plurimos eoſqve inextricabiles gyros anfractusqve hac illac intorqventur. Ab eo rurſum majoribus paulo ſurculis per portæ latera undiqvaqve, qvam qvibusdam in locis annuli inſtar cingunt, in jecoris cavam ſubeunt : inde illatæ in hepatis parenchyma ibi qvaqvaverſum diſſeminantur, dum prorſus obliterentur. Atqve ejusmodi venas lacteas antiqvis non prorſus fuiſſe ignotas, idem oſtendit pag. 38. & Galeni atq; Fallopii teſtimonia profert. Galeni verba hæc

ſunt

ſunt lib. an ſangvis in arteriis contineatur. Si ventrem imum & interiorem membranam diviſerimus, arterias in meſenterio conſpiciemus, in hœdis nuper natis lacte refertas, in adultis autem animalibus, alterius cujusdam rei plenas. Arterias, inqvit Higmorus, forſan à gracilitate, qvas in nuper natis à lacte qvod exuxerant, impleri cenſuit, miror verò, dum Fallopium in hanc ſententiam trahit invitum, ejus verba aliqvatenus immutando: ita enim illa Fallopii verba tranſcribit, & obſervat. 3. de venis pag. 597. prioris edit. In infima hepatis parte ſunt meatus qvidam minimi, qvi deſinunt & terminantur in pancreas, & in glandulas ibi proximas. qvi minimi meatus ſuccum qvendam oleaginoſum, album & ad aliqvam amaritudinem tendentem, deferunt: notandum eſt, legi apud Fallopium, ſuccum qvendam oleaginoſum flavum, non album. Ita ut & colore & ſapore hic ſuccus bilis naturam redoleat, non vero chyli, qvi albus, dulcis & ſuavis exiſtit.

Dantur eqvidem canales lactei qvi rectà ad hepar non tendunt, ut ſunt illi, qvi in meſenterii glandulam magnam & receptacula chyli feruntur, & duo illi Pecqvetiani ad thoracẽ aſcendentes, adeo ut mirũ videatur, illud à multis ſeculis notaviſſe Herophilum & cum illo Galenũ: ſed propterea minimè credendũ eſt, nullã chyli partem ad hepar derivari, vel totum ad cor tranſ-

transferri per ductos duos exiguos ad pennæ anſerinæ magnitudinem vix accedentes: qvomodo in guloſis & helluonibus hi ductus ad vehendum chylum ſufficient, ſuccorumqve multitudine & craſſitie non obſtruentur, cum venis lacteis & meſaraicis copioſioribus id vitium ſæpius contingat, & nimium repleti diſrumpantur, cum ſint ipſi molles & ruptioni paratiſſimi ut ipſimet qvi totum chylum ad cor deferri contendunt ingenue fatentur, & qvænam proportio erit (qvæ inter omnes corporis noſtri partes reperiri ſolet,) inter duos illos ductus, qvi chyli ſunt alvearia, & aortam venamqve cavam ſangvinis è chylo confecti promptuaria: nonne ampliores eſſe deberent illi canales, ſi ſoli chylum veherent; cum chylus ex cibis ingeſtis quotidie productus ſangvinem de novo generatum qvantitate ſuperet, & coctione ſemper materia qvælibet & paucior, & tenuior propter partium heterogenearum ſecretionem reddatur, eſt inqvit Gal. 3. de fac. nat. omnium, qvæ in corpore ſunt leviſſimum tenuiſſimumque ſpiritus, ſecundo loco halitus, tertio gradu, qvi plane abſolutus attenuatusqve eſt ſangvis. Nec dicendum eſt, majus ſpacium occupare ſangvinem attenuatam & rarefactum, citum enim & liberum per venas & arterias habet commeatum atqve transfluxum, adeo ut patentioribus viis non indigeat, qvibus contineatur; veluti ſpiri-

ſpirituum animalium inductione patet, qvi per ulteriorem elaborationem in cerebro attenuati, alveos per qvos celerrime transfunduntur non amplificant. Nec etiam dicendum eſt, chylum continuo per venas thoracicas aſcendere & ſucceſſivè cordis ventriculum dextrum ſubire, adeo ut meatus exilitas chyli fluxus continuitate compenſetur; alioqvin ſi per amplum meatum in cor delaberetur, ne ipſum obrueret & ſuffocaret, periculum eſſet: falſum enim eſt, continuo motu tranſire chylum per venas thoracicas: ſiqvidem non tam citò evaneſcerent poſt chyli diſtributionem, imo continuò albicantes & chylo turgidæ conſpici poſſent; cujus contrarium experientia teſtatur; qvod ſi non ſit chyli per venas thoracicas continuus & perennis tranſitus, totus per illas haud qvidem traduci poterit; cum ejus ad cor integra delatio per canalem exiguum tam brevi temporis ſpacio perfici non poſſit.

Qvod ſi nihilominus toti chylo ad cor non denegetur aditus, qvomodo ſtare poterit altera eorundem ſententia, ſangvinem ſcilicet ad cor redire, ut de novo excoqvatur, ulterioremque perfectionem obtineat; cum potius ibidem chylo non adhuc defæcato & à recrementis purgato admixtus ſangvis deteriorem ſortem nanciſceretur: qvod Pharmacopæorum exemplo illuſtrari poterit, qui Sacchari vel Syrupi decocturam ſucci vel liqvoris cujusdam

jusdam affuſione ſæpe imminuunt: qvibus adde, ſi ex chylo in corde ſangvis conficeretur, & nonniſi in hepate, liene & renibus defecandus & repurgandus eſſet, ſeqveretur, craſſiorem in corde & arteriis contineri qvàm in venis, qvod falſum eſt & abſurdum.

Si qværas, cui officio & qvibus uſibus dicatæ ſint venæ lacteæ & canales lactei thoracici. Audi Galenum hoc loco docentem nutriendis inteſtinis illas venas eſſe comparatas, (qvod de illis tantum venis intelligendum videtur, qvæ ad hepar non pertingunt,) chylumqve horum eſſe alimentum. Sic lib. 3. de fac. nat. ventriculum eo ſucco verè nutriri ſtatuit, aitqve nihil eſſe in rerum natura, qvod propter ipſum trahere trahat, ſed ut tracto fruatur; atqvi eo frui non licet, niſi retineat, ut ejus qvod in qvalitate conveniens conſentiensqve eſt, partem aliqvam capiat: itaqve (inqvit) qvod in cibis optimum eſt, id halitus ſpecie & paulatim ſibi attrahit, atque in tunicis ſuis reponit; iisdemque adjungit; ubi abunde ſaturatus eſt, qvidqvid reliqvum eſt nutrimenti, veluti oneroſum quid rejicit. Deinde ait, ſi cibis conficiendis ſe applicaret ventriculus, ut reliqvis partibus alendis idoneos redderet, non eſſet organum naturale, ſed animal, quod ratione menteqve præditum, quod melius eſt, eligeret: atqve ibidem totam alimenti œconomiam in tria tempora divi-

dividit; primum tempus eſt, dum in ventriculo manet cibus; ſecundum, dum tranſit chylus per inteſtina & hepar; tertium, dum ab hepate diſtribuitur reliqvis partibus; atqve in primo tempore qvidem fieri tractionem & appoſitionem vult ſucci alibilis ex cibis in ventriculo, reliqvas verò præparationes in aliis temporibus iſtius œconomiæ, agglutinationem qvidem in ſecundo tempore, aſſimilationem vero & perfectam nutritionem ex eodem ſucco in tertio; qvod idem de inteſtinis & meſenterio, per qvæ tranſit chylus, aſſerendum eſt, qvod patet ex ejus verbis. Hoc in tempore nutrimentum cum per tota inteſtina permeet, per vaſa, qvæ ad ea pertinent, rapitur, plurimum qvidem in venas, exigua qvædam portio in arterias: jam hoc tempore etiam inteſtinorum tunicis apponitur: & com. in aph. 18. ſect. 2. ita ſcribit: In commentario de potentiis naturalibus oſtendebatur, ventriculum ante omnia cibis frui, familiarem ſibi ſuccum ex illis attrahere, & ſuis apponere tunicis; mox ubi eſſet ſaturatus, tunc ipſos emittere ad exercitionem; propterea qvotidiè experimur aſſumpto cibo famem ſedari, qvia eo ſeſe explevit ventriculus, & qvantum venæ ei detraxerant, ſibi repoſuit, & qvia prætereà non amplius ab eo tanqvam è terra ſugunt vicinæ partes, qvæ præſentiunt alimentum, ad qvod ſe convertunt, & à qvo ſibi familiarem

Hh ſuc-

ſuccum alliciant ut docet Galen. lib. 1. de Sympt. cauſ.

Qvod ſi ad inteſtinorum & meſenterii (addimus nos & pancreatis) nutricatum venas illas ad hepar non pertingentes deſtinatas eſſe voluerit Galenus; qvidni etiam dicemus partibus qvibusdam in thorace contentis alimentum proprium & familiare evehere canales iſtos aſcendentes chyliferos.

Conjicit Riolanus in reſponſione ad Carolum LE NOBLE, Medicum Rothomagenſem, exiguam illam portionem chyli cordi illi qvi ad reparandum illum adipem, durum ſevo ſimillimum cordi circumfuſum, qvi permixtus ſangvini per venas coronarias ſpargitur in cordis ſuperficiem; forſan etiam, inqvit, ipſius cordis ſubſtantiam duram carneam nutrit, qvæ tale reqvirit alimentum; & antea in reſponſione ad experimenta nova anatomica ſcripſerat, iſtas venas duas lacteas ita conditas, forſan ut ſangvini violenter fluenti intra arterias, per circulationem in venis craſſities addatur, partim etiam ad nutritionem diverſarum partium corporis, qvæ diverſo gaudent alimento, ut oſſa & medulla partim ad generationem & reparationem adipis per univerſum corpus extenſi, partim etiam ad fibroſæ materiæ productionem in ſangvine, qvæ remoram addit ſangvini.

Franciſcus Gliſſonius in anatomia hepatis pag.

pag. 443. exiſtimat ſuccum nutritium in meſenterii hiſce glandulis ſeparari, atqve hujus in nervos partem aliqvam ad eorum nutricatum transferri, tresqve glandes lumbares nervis ſimiliter inſervire credit: Thymus qvoqve huic videtur eſſe glandula nutritia: nam in embryonibus atqve animalibus recens natis (qvo tempore plurimum creſcunt, & nutricatu propterea uberiore indigent,) magnitudine præ cæteris totius corporis glandibus ſpectabilis eſt; in ſenſibus vero, qvibus alimento hujuſmodi parum opus eſt, perexigua deprehenditur, & vix conſpicabilis; deinde glans hæc eſt candida, mollis, ſuavis admodum, mitisqve ſaporis, & ſubſtantia mammarum glandibus ſimilis, ac propterea qvemadmodum, iſtæ lac infantulo foris præparant, ſic illa liqvorem nutritium intus ſuppeditaverit, eumqve forſitan è ductu lacteo thoracico exceperit, qvi glandulæ huic appropinqvans, priusqvam in venas exinanitur, in duas plerumqve propagines dirimitur.

Sed qvid dicemus de chylo in dextro cordis ventriculo reperto, qvo preſſo in venam cavam refluens aliqvando apparuit. An in corde excoqvendum illum, & in ſangvinem permutandum, illud plane evincit? Sed nonne ad hanc elaborationem qviete potius atqꝫ mora, qvàm motu & momentanea trajectione opus eſſet, qvomodo coctiones reliqvæ felicius peragun-

tur? an potius ſuccus hic albus, tenuis, liqvidus, dulcis in pulmones per venam arterioſam unà cum ſangvine è dextro cordis ſinu deferendus videtur? nonne aptius nutrimentum eſſet & familiarius ipſis pulmonibus ille ſuccus ſangvini permixtus, qvà bilioſus ſangvis, qvi vulgò eorum alimentum ſtatuitur, cujus quidem ne deguſtatus pulmo notam ullam exhibet? imo dulcis, qvalis eſt lacteus ſuccus, comperitur. Deinde albicans pulmonis ſubſtantia nonne illud idem indicat; iisdem enim, quibus conſtat pars qvælibet, nutriri ſolet, inde fit, ut in fœtu, qvi ore alimentum non exugit, ſed ſangvine ſolo materno per venam umbilicalem delato nutritur, pulmones, ut & cæteræ partes, rubri conſpiciantur, qvi color deinde in lactantibus pueris ad albedinem vergit. Tandem nonne ſatius videtur, providam naturam nutriendo pulmoni dulcem, temperatum & lacteum ſuccum ſuppeditaſſe, qvàm acrem, ſalſum & calidiſſimum; cum per ejus continuum motum, cordis æſtuantis viciniam ad calorem concipiendum ſatis ſuperqve promptus, paratusqve ſit? nonne lac qvotidie alimentum & medicamentum affectis pulmonibus convenientiſſimum & veluti à natura inſtitutum experimur, cui affinis eſt chylus? nonne tenuis illa pituita, qvæ tuſſi ſolet rejici, liqvidi illius ſucci crudior & aqvoſior portio eſt, qvam natura ſecernit & expellit, & forſan ſangvinis

gvinis è pulmone rejecti color non ita ſaturatus & ater; ſed floridus apparet ob admixtionem candidæ illius ſubſtantiæ.

Probabile eſt, inſuper hujus ductus chyliliferi qvasdam propagines ad mam̃arum glandulosa corpora deferri, vel venis ad ipſa tendentibus occurrere, qvibus chyloſa materia & tenuis ſangvini admixta & generando lacti idonea ſuppeditatur; inde fit forſan, qvod multæ mulieres fœtus ſuos lactantes in pulmonum vitia & tabem tam facilè & freqventer incurrant, ſubſtracta nempe pulmonum alibili materia; hinc lacti vis purgans medicamenti, paucis horis ab illo aſſumpto, communicatur, delata ſcilicet ejus portione per tubulos lacteos ad mammas; qvod non tam brevi temporis ſpacio fieri poſſet, ſi tot flexuoſos hepatis & venæ cavæ meatus ſubſtantia virtusqve medicamenti ſubirent. Hanc de lactis generatione ſententiam ſeqvutus eſt Guiffartus Medicus Rothomagenſis, eamque amplexus eſt Thomas Bartholinus, multisqve rationibus probavit cap. 18. Hiſtor. anat. de lacteis thoracicis, Atqve ante ipſos Proſper Martianus & Veslingius hanc lactis generationem diverſa tamen qvadam ratione propoſuerant: communicatione nempe ſucci illius facta è ventriculo ad mammas per evaporationem.

Qvæ noſtra ſententia de uſu lactearum venarum thoracicarum, ſi qvibuſdam viris doctis

 non

ſion arrideat, ad probabilioris & certioris cujusdam uſus inveſtigationem erit incitamentum & certè in re tam difficili & abſtruſa certi qvidqvam pronuntiare non audeo, donec ſcrutinio anatomico multa qvæ procul dubio latent adhuc, comperta ſint: conjecturas tantum meas propoſui, in qvas jurare neminem addictum volo. Poſſem alias inſuper addere. niſi res tanti eſſet momenti, ut peculiarem tractatum exigeret, qvem, ſi per otium ingeniiqve modulum liceat, aliqvando aggrediar atqve unà verum naturalemqve ſangvinis motum perſeqvar.

Interim hic qvædam addam de nobili illa valvula Rothomagi noviſſimè reperta in venæ cavæ trunco aſcendenti, juxta venæ coronariæ exortum ſita, eo ſcilicet fine conſtructa, ne ſangvinis ſecundum venæ cavæ ductum elati & chyli è ſuperioribus partibus deſcendentis fiat confuſio, atqve per vehementes humorum agitationes illius in venam cavam effuſi fiat retroceſſus ad hepar? Novũ ſane hoc inventum, cui tam nobilis uſus tribuitur, à multis celebrabitur: ſed caveant prudentiores, ne res novas avidius excipientes, incerta, aut ſaltem rara pro veris & ordinariis nobis obtrudant: ſicut enim corporum ſtructura non in omnibus eadem reperitur, & venarum in qvolibet corpore variat ſæpius diſtributio: ita & valvularum ſitus poterit eſſe diverſus, ne firma & perpetua ejus

valvulæ nobilis dictæ à D. Guiffarto in epiſtola gallicè nuper edita, in prædicto loco ſtatio erit. Et reverà jam conſtat in cadaverum ſectione Lutetiæ adminiſtrata, licet exactè & diligenter hæc valvula fuerit conqviſita, nullo modo hanc fuiſſe repertam.

Ecqvid deniqve dicendum de cadavere Matthiæ Ortelii, mercatoris Antverpienſis, ſine hepate & liene invento? cujus Hiſtoriam deſcribit Caſpar Bauhinus in appendice tractatus de partu Cæſareo Fr. Roſſeti adjecta pag. 238. Aliqvot annis (inqvit) antea hydrope laboraverat, qvi morbus affectus hepatis vel primario vel ſecundario neceſſario comitatur, cumqve ſub ſepto transverſo hepar & lienem qværeremus, ne veſtigium qvidem illarum partium invenimus: caſus profecto inauditus & admirabilis: at ſubſtantia omnium inteſtinorum carnoſa prorſus erat, & multô ſolidior qvam ipſa muſculorum caro, ut ſoliditate cordis carni fere reſponderet, & vena cava ex ipſis inteſtinis ſuam originem ſumebat, eo fere modo qvo vena porta in ipſis inteſtinis ſolet implantari: Ex hac ſiqvidem hiſtoria videtur colligi poſſe, hepate vel liene non opus eſſe ad ſangvinis elaborationem, nec illa viſcera eſſe *αἱματοποιητικά*. At nonne idem de corde dici poteſt, cnm hiſtoriis qvibusdam relatum ſit, aliqvos ſine corde poſt mortem repertos fuiſſe. Apud Plin. lib. 11. hiſt. c. 37. Cæſa-

 ri

ri dictatori, qvo de primum veſte purpurea, proceſſit, utqve in ſella antea ſedit, ſacrificanti bis in extis cor defuit. Si fides Tileſio adhibeatur, viſus eſt qvi absqve corde vixit. Et, apud Schenkium obſervatione tertia de corde hæc leguntur. Ni mendum exemplarium eſt, hoc carens viſcere (puta corde) compertum qvandoqve pronuntiat Avicenna: qvod ex Cæl. Rhodigino lib. 4. cap.16 deſumpſit: nec locum habet, qvod profert Riolanus nimirum dum hoc viſcus deeſſe videtur in cadaverum ſectione, morbo fuiſſe conſumptam illius ſubſtantiam, remanentibus tantum partibus membranoſis, qvod in tabe cordis contingit. Idem dum qværit, cur cor comburi aliqvando non, potuerit, fatetur, illud eſſe in corpore poſtremum, qvod comburitur; hancqve rationem ſubjungit: qvia cum ſit pulmonibus obvolutum, capſula incluſum, aqvæ immerſum & per aduſtionem totius & corporis, ſangvis ad cor veluti centrum repellatur, forſan tardius crematur. Cum ergo cor tantopere aduſtioni & conſumptioni reſiſtat, prius cæteræ partes, qvàm illud ipſum abſumerentur & colliqvarentur. præſertim cum ejus ſubſtantia durior, & ſolidior exiſtat.

Cum autem talis confirmatio & diſpoſitio partium nutritiarum in cadavere Ortelii, forſan ab ipſa natura aberrante inſtituta fuerit, homo diu vivere non potuit, (qvemadmodum

&

& ille polonus, cujus cor ſolidum & abſqve ventriculis repertum eſt,) cum αἷμα ἡμίπεπτον ipſi cordi & reliqvis partibus ſuppeditaretur: in inteſtinis enim ſolito denſoribus, craſſioribus & carnoſioribus, chylus ſangvinis qvædam rudimenta accipiebat, qvi in venis deinde, (qvibus facultas αἱματοποιητικὴ non denegatur,) inſuper excoqvebatur, tandemqve in corde ulteriorem perfectionem aſſeqvebatur, talem nim., qvalem in corpore manco & imperfecto compleri poſſe ſperandum eſt, hinc factum, ut ἀποτυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου ſucceſſerit, deficiente ſcilicet primario & præcipuo ſangvinis δημιουργῷ. Proinde Ariſtoteles cordis & jecoris parem neceſſitatem animadvertit lib. 3. de gener. animal. cap. 7. his verbis: καρδία οὖν μὲν καὶ ἧπαρ ἅπασιν ἀναγκαῖα τοῖς ζώοις. ἡ μὲν διὰ τὴν θερμότητος ἀρχήν. (δεῖ γὰρ εἶναι τινα οἷον ἑστίαν ἐν ᾗ κείσεται τῆς φύσεως τὸ ζωπυροῦν καὶ τοῦτο εὐφύλακτον, ὥσπερ ἀκρόπολις οὖσα τοῦ σώματος) τὸ δ' ἧπαρ τῆς πέψεως χάριν· τὰ δ' ἔναιμα δεῖται δυοῖν τούτοιν· διόπερ ἔχει πάντα τὰ ἔναιμα δύο σπλάγχνα ταῦτα μόνον. i. e. Certè igitur cor & hepar omnibus animalibus neceſſaria ſunt: alterum propter caloris originem, (oportet enim adeſſe, veluti qvendam focum, in qvo naturæ fomes collocetur isqve bene cuſtoditus, ac ſi corporis arx eſſet.) al-

terum nim. jecur cibi concoqvendi gratia adeſt, & certè ſangvine prædita his duobus indigent, qvamobrem cuncta animalia ſangvinea hæc duo viſcera habent, & lib. 4. de gener. anim. cap. 4. ſic habet *καρδίαν μὲν οὖν οὐδὲν πώποτε ἐγένετο ζῶον μὴ ἔχον, σπλῆνα δ' οὐκ ἔχον, καὶ δύο ἔχον, καὶ νέφρον ἕνα· ἧπαρ δ' οὐκ ἔχον μὲν οὐδὲν, οὐκ ὅλον δὲ ἔχον.* i. e. nullum unqvam animal cor non habens ortum eſt, qvanqvam liene carens: & duplicem habens lienem & altero vacans rene viſum eſt. Jecore etiam carens toto nullum notatum eſt: qvanqvam qvod non totum haberet jam patuit, ut tranſtulit Gaza.

Infans monſtroſus absqve pene & veſica, cum carne qvadam fungoſa hypogaſtrio adnata nuperrime Lutetiæ natus.

OBSERVATIO XIX.

Die 13. Junii hujuſce anni 1656. hora poſt meridiem ſecunda, uxor Johannis SASSIN ſartoris genuit infantem monſtroſum, ad cujus inſpectionem ſtatim accerſitus fui, hoc viſo ad patrem retuli, hunc fœtum vitalem non fore, ipſumqve hortatus ſum, ut eo extincto cadaveris ſectionem permitteret, qvod ſubens mihi conceſſit. Hic ſeptem dies à partu gemebun-

lus vixit, infortunatamqve ſeptima die vitam cum morte commutavit.

Sectio igitur cadaveris me præſente & inſtigante facta fuit à D. ROUSSEAV Chrurgo coram D. du PRAT Medico Regio D. LUSSAN Pharmacopæo Regio, multisqve aliis.

Hujus corporis partes omnes decenti ſtructura & conformatione donatæ fuiſſent, niſi naturæ inſignis aberratio in partibus hypogaſtrii fuiſſet conſpicua. Atqve ut ab inferioribus partibus exordium ducam, ſcrotum parum ab ano diſtabat, ipſiqve erat ferè contiguum: in hoc duo teſticuli continebantur, in qvos venæ ſpermaticæ pro more inſerebantur. Supra ſcrotum apparebat carnea qvædam ſubſtantia, cuticula, cute & veluti membrana qvadam carnoſa prædita, qvæ ſpeciem præ ſe ferre videbatur penis ſecundum longitudinem per medium ſecti, nullum urethræ huic inerat veſtigium, radix iſtius particulæ dura erat, ſolida & fere cartilaginea. In hanc radicem deſinebant vaſa ejaculantia. Paulo ſupra hoc penis fragmentum fiſſura qvædam ſemicircularis ſecundum latitudinem imi ventris apparebat, cujus ſciſſuræ cornua, ſeu extrema paululum aſcendebant. In medio hujus ſemicirculi poſita erat fungoſa & carnea qvædam ſubſtantia ad ovi magnitudinem extra protuberans, initio ortus rubra, dein-

deinde livida facta qvodammodo rotunda, eminentiis qvibusdam rotundis, rubris & per ſeriem diſpoſitis inſignita.

Ureteres non in veſicam, qvæ nulla erat, ſed in ſciſſuram illam terminabantur, atqve utrimqve, per eorum orificia urina continuo & guttatim ſtillabat atqve effluebat, urachus ad membranam qvandam ſub illa carne fungoſa poſitam perveniebat. Supra illam excreſcentiam ſitus erat umbilicus, ex qvatuor vaſis ſolitis compoſitus; ſed in inferiori, qvam par erat, loco conſtitutus; trium enim digitorum latitudine ſolito depreſſior erat.

In hoc corpore, (qvod notatu digniſſimum fuit,) veſica urinaria prorſus deerat, cujus loco moles illa carnea extra protuberans producta fuit.

Dum vivebat lacqve è mammis ſugebat infans, flacceſcebat paulatim caro hæc fungoſa, tandemqve computruit, qvæ putredo procul dubio mortem acceleravit. Hoc prætereundum non videtur, qvod obſervavimus, nempe aqvam pericardii cochleari exceptam & igni ſuperpoſitam in gluten evadere atqve redigi.

Infans

Infans monſtroſa cum duplici veſica urinaria, recto inteſtino atque utero extra locum naturalem ſitis.

OBSERVATIO XX.

AD me retulit prædictus D. ROUSSEAV ſe vocatum fuiſſe ad apertionem cadaveris cujusdam infantis, qvæ qvindecim dies à partu vixerat, in cujus ſectione multa extra naturæ ordinem conſtituta animadvertit: duæ enim veſicæ in hypogaſtrio è regione diſpoſitæ continebantur, à ſe invicem digiti ferè latitudine diſſitæ, in qvarum unamqvamqve unus ex ureteribus è directo inſerebatur. Uterus inteſtini locum occupabat. Rectum vero ſupro poſitum erat, & veſicæ locum obtinuerat, umbilicus inferior erat, qvam ſecundum naturam decet: atqve adeò uterus, binæ veſicæ & inteſtinum rectum tam exiguo ſpacio continebantur, ut pecuniæ noſtræ, qvæ vulgo dicitur *un qvart d' Eſcu*, amplitudinem non excederet.

P. BORELLUS LECTORI circa mobile perpetuum.

CUm ſupereſſet pagella vacua, bonum eſſe duxi-

duximus, ſi tibi arcanum mobilis perpetu communicaremus. Sic enim fieri poteſt & jam factum fuit. Perfora arcam ſubtus, ut & lacunar, qvod tamen non percipietur ob arcam clauſam, per illa autem foramina aër cum impetu ventoſo ingredietur & vias ad exitum qværens, foramen in arcæ operculo facies, cui imponens ſphærulam vel aliam qvamlibet machinulam motu facilem, vel ei alulas ex tela ut in molendinis, appone, qvas arce includes, & ſic omnes mirabuntnr motum tuum perpetuum causam ignorantes, & ſphæram cum axe tantum videntes, talis forſan fuit ſphæra illa vitrea Archimedis adeo decantata.

FINIS.

VITÆ
RENATI
CARTESII
Summi Philoſophi
Compendium.

AUTHORE
PETRO BORELLO,
Medico Regio.

DOM. DOMINO,

PAULO PELLISONIO
Fontanerio,

Conſiliario & Secretario Regis, Domus & Coronæ Franciæ.

P. Borellus Med.

S. P. D.

CUm me penè à pueritia inſigni benevolentia proſeqvi, plurimiſqve tibi devincire officiis dignatus ſis, ingratus audiam ſanè, ni meæ erga te obſervantiæ monumentum aliqvod relinqvam. Patere igitur, vir clariſſime, opuſculum hoc, majoris expromiſſorem, tuo nomini dicari. Non ego hic, ut mos eſt, hujus generis Epiſtolarum, de laudibus tuis dicere aggrediar, qvas & tibi parum gratas & omnibus notas, certo ſcio. Hoc tantum præſentibus poſteriſqve teſtatum velim, me tuorum beneficiorum nuſqvam immemorem tibiqve addictiſſimum ſemper futurum. Vale.

RENATI CARTESII VITA.

Authore P. Borello.

QVædam exiſtere ingenia, qvæ natura inſtar conſpicuorum eqvidem luminum oſtendat, ſed ea ſtatim ab oculis noſtris ſubmoveat, invidiaqve neſcio qva ab altera manu ſubitò eripiat; qvæ ab altera liberaliter conceſſerat, nemo ignorat. Ejusmodi ingenia pauciſſima uno in ſeculo profert. Qvare cum maximus Carteſius in eorum numero fuerit, crudele ac ingratum mihi viſum eſt, qvod tanti viri vita nullibi adhuc typis mandaretur, publiciqve Juris fieret, qvare ſtylus licet meus rudis nimium pro tanta ſit materia, tentare tamen in magnis auſus ſum compendium ſaltem ejus ungulamqve illius Leonis vobis exhibere, tanqvam integræ vitæ prodromum, ſi vobis non ingratum fuerit, ne amplius lux tanta veluti ſub medio deliteſcat, de illo enim qvæ de Pythagora cecinit olim Ovidius, dicere meritò poſſumus.

- - isqve licet regione remotus
Mente Deos adiit, & qvæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Cum-

Cumqve animo & vigili perſpexerat omnia cura.

In medium diſcenda dabat.

Anno 1596. Magnus ille Vir, vitales auras haurire incepit inter Pictonum, & Armenicorum in Gallia gentem in urbe Caſtrum Eraldium dicta ex Patre Nobilisſimo Patriæ ſuæ Senatore cujus familia antiqviſſima Nobilitate fulgebat, exqve ſecunda ejus uxore unicus fuit, non anguſta valdè fuit ei domi res, cum ſex aut ſeptem librarum millia pro reditu annuo habuerit.

Ipſemet vitæ ſuæ primordia deſcripſit à pueritia, pag 3. de methodo ut notavit Claubergius Prof. Teutoburg. ad Rhenum, qvi ait, Carthefium circa omne ſcibile ſtudium feciſſe, in optimo Collegio, veritatem reperire autumans inter eruditos, ſed ſpe ſua orbatus per novennium adfuit, anteqvam qvid ſibi faciendum eſſet decerneret. Vir fuit aſpectu puſillus, vultu benignus, parum ſed optimè loqvens, ſanus, ſobrius, Doctrinam ſuam abſcondens, contentionum oſor, ſed admoto vero falſa detegens, jactatorum hoſtis acerrimus, rationem authoritatibus præferens, licet iis tamen uteretur, mulierum delectatus eſt colloqvio, memoriam aliorum ſæpe optavit, ut ipſe teſtatus eſt, non enim jactabundus erat, modeſtus tandem adeo fuit, ut etiam qvæ callebat aſſerere non auderet,

In ſcholis Flexiæ educatus fuit & doctus & anno ætatis decimo ſeptimo totum curſum ſuum ſeu ſtadium peregerat. Figura vultus ejus ubiqve circumfertur, & in Hollandia ac Lutetiæ æri inciſa reperitur. Et qvoniam utraqve valebat Minervâ, viros amavit magnanimos ſimul atqve prudentes & eruditos ſicqve feliciter arma literis conjungens, occupationibus militaribus etiam minoribus incubuit apud Batavos, ubi optima eſt harum rerum ſchola, voluntarieqve per triennium belli tulit incommoda omnia absqve ullo ſtipendio, unicum tantum accepit duplionem, qvem ſemper in militiæ ſuæ monumentum ſervare voluit, recuſavit etiam militum præfecturam, qvoniam militum officio fungi cupiebat, ut ei melius ars illa & labores innoteſcerent, biſqve Bredæ obſidioni adfuit & in pugna Praguenſi, unde Italiam petiit, viſis tamen magnis Tychonis Brahæi machinis colloqviisqve cum ejus cognatis inſtitutis.

In Italia vero Galileum aliosqve claros convenit viros, indeqve ad Gavenſem obſidionem juxta Genuam venit, & tandem in Galliam rediit & in obſidione Rupellenſi aliisqve militaribus actionibus etiam voluntariè adſuit. In illa obſidione Rupellæ memorandam præſtitit actionem, coram Cardinali Barbarino tunc Pontificis nuntio, coramqve Card. Berullio, aliisqve claris ac ingenioſis viris, qvi con-

onvocati erant, ut Dominum Chandou de
Novis Philoſophiæ Principiis differentem audirent. Cum enim omnium plauſus ſermone
ſuo habuiſſet excepto Carteſii, ab illo qvid de
hoc ſermone ſentiret petierunt, ille tunc laudato oratoris ſermone, cætum non laudavit,
qvod veriſimili tantum contenti fuiſſent, & promiſit ſe qvamlibet veritatem duodecim argumentis veriſimilibus falſam probaturum & econtra, qvo tentato, mirati ſunt remanſeruntqve ſtupefacti. Qvare petentes num modus
qvidam vitandorum ſophiſmatum extaret, aſſeruit illis veritatem mathematicè in omnibus
rebus juxta ſua principia demonſtrari poſſe,
exoratus tunc fuit, ut illi publici juris faceret,
qvod illis concedere coactus, in Hollandiam
ſeſe contulit, ut ea melius digeſta ederet.

Poſtea in Daniam iter facere voluit, uti Stephanus Breſſieus noſter, medicus Chymicus
peritiſſimus, & in mechanicis ingenioſiſſimus,
(qvi eum diſcendi cupiditate adierat,) eum comitatus eſt ſed ab Imperatoris cohortibus detentus fuit in comitatu Hemedenſi hinc Tyrolum & Venetiam adire moliebatur, hincqve
Caſali obſidioni adeſſe inſtituerat, poſt biennium futura tamen erat, qvæ oſtendunt illum regni arcana non ignoraſſe.

Sed Amſtelodamum iterum petiit, & inde
Lutetiam ſemper cum familiari noſtro Breſſieu
ut regis reditui adeſſet. Anno 1648. in Hol-

landia fuit & Lutetiæ à Rege optimis evocatus conditionibus.

Dum Lutetiæ eſſet, reditus ſuos annuos ita direxit ut ubicumqve liberet, per amici manus eos acciperet. Bataviam ergo petiit, ubi opera ſua in eremo dilecta egit, qvorum Elenchum dabimus.

Germaniam & Pannoniam etiam olim viderat, dum veritatem inqvireret, ut Imperatoris coronamento adfuit.

Cum inter homines veritatem illam Democriticam in profundo deliteſcentem reperire neqviviſſet, ſe ad libri mundi ſuimetqve contemplationem convertens, anatomiæ, chymiæ &c. incubuit, unde admiranda depromſit, paucos enim libros voluit, qvoniam non veraces eſſe ſciebat, exceptis Mathematicis ſolis. Qvare cum ab amico Alcmaëris percunctaretur, an haberet Bibliothecam, & oraretur ut illi eam oſtenderet, ablatâ telâ, oſtendit illi vitulum apertum, en meam inqvit Bibliothecam, ô præclarum dictum, ſic olim Hippocrates Democritum inter animalia aperta ſtudentem invenit. Non lucri vel honorum aut dignitatum mundanorum deſiderio pellectus, ſed virtutis & veritatis indagandæ amore philoſophabatur; pari in hoc cum veteribus animo, ideoqve more eorum peregrinationibus aliqvot annos dedit, exercitus, urbes & aulas Principum inviſendo. Ejus occupatio-

nes

nes præcipuè erant circa judicii ſive bonæ mentis æqvabilitatem & methodi neceſſitatem. In otiis Hybernis contemplationibus Philoſophicis incumbebat, cum militiam ſeqveretur, & cum ſperaſſet clave eadem Mathematica & Philoſophica aperire poſſe, adeo mire naturam cum Matheſi conjunxit, ut ſpe ſua potitus ſit. Omnes artes & lingvas tamen didicerat, omnesqve libros brevi tempore evolverat. dum veritatem in illis qværeret, etiam ſuperſtitioſos & falſos percurrit, ne qvid intactum remaneret.

In Philoſophicis adeo excelluit, ut juxta vota ſua, qvæ ſemper in animo habuerat, philoſophiam reſtituendi, & ingenium ſuum reformandi, Philoſophiam planè novam reſtituerit, veraqve principia & ratiocinandi methodos clariſſimas invenerit, adeo ut opera ſua undiqvaqve impreſſa fuerint & à multis præclaris viris publicè profeſſa & edocta, ut nunc Lutetiæ ſit, ubi variæ ſunt privatæ Academiæ, in qvibus de Philoſophia ejus tantummodo diſſeritur.

Cum nil dignum apud homines ſcientia ſua inveniſſet, eremum ut Democritus aliiqve veri Philoſophi elegit ſibi juxta Egmundum in Hollandia, ſibiqve ſolitarius in villula per 25. annos remanſit, admirandaqve multa meditatione ſua detexit.

In Mathematicis vero tantus fuit, ut captum ſuperantia fecerit, præcipuè circa conſpicilla & ſpecula, utqve cogitata ſua probaret, vel è glacie, vel ex marmore artificiali nigro Polito, ad portæ magnitudinem & juxta deſideria & varias figuras excavato, opere D. Bræſſiæi viri ingenioſiſſimi ſpecula parabat, cumqve optata vidiſſet, ea rumpenda curabat, & ex eadem materia alia nova conficiebat.

Curamqve eodem Breſſiæo opticæ ſecreto arcano militum cohortem tranſeuntem oſtendit per cubiculum ſuum, qvod valde miratus eſt, hæc autem procedebant à parvis militum figuris qvas abſcendebat & ſpeculis ope foras auctas educebat. Cœlum fluidum credidit, ut revera eſt. aer enim ſolus cœlum eſt, nec à noſtro differt, ideoqve in Geneſis hiſtoria confunditur.

Atomos etiam Democriteos agnovit pro rerum principiis, ut optime comprobavit.

Amicos multos, imo innumeros habuit inter qvos Cardinalis Barberinus & Berulius, Elizabeth Principiſſa Bohemiæ, D. Chanut, D. de Clercetier, Merſenus, D. Deſargues, D. Holleng, D. de Faber Gubernator Sedanenſis, Gaſſendus, Balſacius, cui non pœnitendum præſtitit officium adverſus Patrem Goulu ejus oſorem apud Cardinalem Barbarinum, D. Breſſiæus.

Oſores tamen & invidos qvosdam habuit,

qvo-

qvoniam alta petit livor, ſed optime ſcripta eorum refutavit.

Præcipui ejus hoſtes fuere Pater Gibieuf de la Barde, patres Doctrinæ Chriſtianæ.

Cyriacus Lentulus Profeſſ. Herebornenſis, qui male ei objecit, qvod ſe Deo comparat, cum in Notarum ſuarum fine dixerit, cum ſacris nulla humana comparanda. Ait præterea, eum de omnibus dubitaſſe, qvod falſum eſt, ſed de omnibus qvidem vulgarium Philoſophorum inſtar olim dubitaverat anteqvam Phihoſophiam reformaſſet. Eum etiam homuncionem appellat, ſed eruditus Clauberg. ei optimè reponit, Homuncionem vocas, qvem naturæ filium cordati vocant, qvemqve Pythagoras verè vocaret Philoſophum.

Revius Veſtfriſiæ in Holl. præfectus, qvi eum magum & atheum vocare auſus eſt ſed ſic olim magni omnes viri Magiæ accuſati fuerunt, qvod res captum ſciolorum ſuperantes facerent, ut optimè Gabriel Naudæus in Apologia virorum. qvi de Magia accuſati ſunt, comprobat.

Tantæ tamen fuerunt oſorum Peripateticorum Profeſſorum facem illam magnam ferre neqveuntium technæ, qvod lumina ſua parva inſtar ſolis obſcuraret, ut diſcipulos ſeditiosè totamqve urbem commovente ad tintinnabuli ſonitum ab urbe Utrecht explodere auſi ſint illum, qvem reges & Reginæ è longinqvo re-

vocarunt ſinuqve ſuô foverunt. Morum innocentia illum ab omnibus purgavit calumniis, ille enim è contra nullius detrectator, nullique gravis fuit. Injurias enim memoriæ nunqvam, ſed oblivioni commiſit, ad Dei admirandam cognitionem per creatorem contemplationem devenit.

Diſcipulos ejus enumerare non minus difficilè eſſet, qvam ejusdem admiratores, aſtra vel arenam numerare.

Scripſerunt etiam nonnulla in eum Doctisſimus Gaſſendus & Roberual ejus Succeſſor dignisſimus, ſed hæc potius veritatis inqvirendæ gratia qvam odio, Marino Merſeno curioſisſimo promovente & ſciente, ut tantos viros ad rara innumera dicenda, ut propriæ curioſitati ſatisfaceret, obſtringere poſſet.

Tandem vir ille doctrina Clarus famaqve conſpicuus à Chriſtina olim Svecorum Regina, ab eremo vocatus fuit & ab illa valde dilectus, adeò ut illum ſemper fere differentem audire vellet, qvæ non parum ejus ſanitati nocuerunt, capite enim aperto ſemper remanens & per totam ferè noctem eâ recumbentem de optatis ab illa ſermonem faciens, raro ideò dormiens, in morbum incidit, qvem tamen morbum ſolitum, qvo facile liberabatur, eſſe exiſtimans, neglexit, at cum brevi percepiſſet alium eſſe, inflammationemqve pulmonis agnoſcens, ſibi venam tundendam cu-

ravit

ravit ſed ſine fructu, & die ſeptima morbi ad ſuperos anima ejus corpore relicto diſceſſit. Qvod comprobat vulgata hæc carmina vera eſſe,

Sero medicina paratur,
Cum malo per longas invaluere moras.

Doluere Muſæ, totaqve literaria publica, doluit valdè erudita Regina eiqve inter regios ſuos parentes tumulum præſcripſerat, ſed Dominus Chanut Legatus pro-Regis Galliæ Gallorumqve honore ſumptus ſepulturæ faciens, illi ſuperbum conſtruxit tumulum qvatuor faciebus conſpicuum Stocholmi, neve inter variæ religionis jaceret viros, illum puerorum cæmeterio collocavit cum inſcriptionibus ſeqventibus.

Anterior facies.

D. O. M.

REgnante Chriſtina
Guſtavi primi pronepote
Magni filia,
Avorum in cœpta patriosqve terminos
Victoriis novis promovente
Pacem demum armis qvæſitam
Artibus ornante
Accidis undiqve terrarum
Sapientiæ Magiſtris
Ipſa in exemplum futura
Renatus Deſcartes

Ex eremo Philoſophica
In lucem & ornamentum aulæ vocatus poſt
qvartum menſem morbo interiit, & ſub
hoc lapide
Mortalitatem reliqvit.
Anno Chriſti cIɔ Iɔc L. Vitæ ſuæ LIV.

Secunda, ſeu poſterior facies
talis eſt.

CHriſtianiſſimi Regis Ludovici. XIV.
Ludovici Juſti Filii
Henrici magni nepotis
Anna Auſtriaca
Optima, prudentiſſ. fortiſſ. Regina.
Annos & Regnum Filii Regente
Legatus ordinarius Petrus Chanut.
Hoc monumentum
Ad gloriam Dei bonorum omnium datoris
Gallici nominis honorem
Perpetuam amici Chariſs. memoriam
Renati Deſcartes
Poni Curavit.
Anno 7. ab exceſſu Ludovici Juſti

Tertia facies.

RENATUS DESCARTES
Perronii Dominus
Ex antiqva & Nobili inter Pictones &
Armoricos gente in Gallia natus.

Acce-

ACcepta qvantacumqve, qvæ in ſcholis tradebatur, eruditione, expectatione ſua votisqve minore.

Ad militiam per Germaniam & Pannoniam adoleſcens profectus.

Et in otiis Hybernis naturæ myſteria componens cum legibus Matheſeos.

Utriuſqve arcana eadem clave reſerari poſſe auſus eſt ſperare.

Et omiſſis fortuitorum ſtudiis in villula ſolitarius prope Egmundum in Hollandia.

Aſſidua XXV. annorum meditatione auſo potitus eſt.

Hinc orbe toto Celeberrimus.

A Rege ſuo conditionibus honorificis evocatus

Redierat ad contemplationis delitias

Unde avulſus admiratione virtutum maximæ Reginæ

Qvæ qvidqvid ubiqve excelluit ſuum fecit.

Gratiſſimus advenit. Serio eſt auditus & defletus obiit.

Qvarta facies.

NOVERINT POSTERI QVALIS VIXERIT RENATUS DESCARTES.

UT cujus doctrinam olim ſuſcipient, mores imitentur poſt inſtauratam à fundamentis Philoſophiam, Aper-

Apertam ad penetralia naturæ mortalibus viã
Novam, certam, ſolidam,
Hoc unum reliqvit incertum.
Major in eo Modeſtia eſſet, an ſcientia,
Qvæ vera ſcivit, verecunde affirmavit,
Falſa non Contentionibus, ſed vero admoto refutavit, nullius antiqvorum obtrectator, nemini viventium gravis,
Invidorum criminationes purgavit innocentia morum,
Injuriam negligens, amicitiæ tenax, qvod ſummum tandem eſt.
Ita per creaturarum gradus ad creatorem eſt conatus,
Ut opportunus Chriſto, gratiæ authori, in avita Religione qvieſceret
I nunc, viator & cogita.
Qvantus fuerit, Chriſtianæqve qvalis aula,
Cui mores iſti placuerunt.

Monumentum qvadratum, ſed oblongum eſt, octo pedes cum ſemiſſe altum, qvatuor latum, ſeptem cum ſemiſſe longum, ejus altitudo ſeu moles trifariam diviſa eſt, Baſis latior paulò, tres pedes habet, tabulæ inſcriptionum, 4. &
Coronamentum ex unico lapide totum tegens monumentum pedem unum cum ſemiſſe
Multi in ejus obitum Epitaphia fecerunt, qvæ hîc non recenſenda eſſe duximus.

Multa

Multa reliqvit opera tam edita, qvam non edita, qvæ ultima D. Chanut legatus ordinarius. Sveciæ conſervat & D. De Clercelier, qvi brevi ejus Epiſtolas editurus eſt ſelectas.

Elenchus Manuſcriptorum Carteſii Stocholmi repertorum poſt ejus obitum anno 1650.

A. Decem Codices Reſponſionum ad qvæſita eruditorum circa Mathematicas diſciplinas.

B. De numeris irrationalibus, de qvantitate linearum, qvæ in dato circulo inſcriptæ ſunt, qvantitatem circumferentiæ, cui datæ lineæ ſubtenduntur, cognoſcere, aliaqve propoſita ac demonſtrationes.

Problema ad numerum reperiendum, cujus Partes aliqvotæ ſubduplices ſint.

Propoſitio de parabolis compoſitis & de partibus aliqvot numerorum.

Cogitationes variæ, de animo.

Qvæſtiones qvædam de numeris.

Conſiderationes qvædam Phyſicæ incipientes,

Qvare pueri labantur in ſomnum, dum cunæ concutiuntur.

Promiſcuæ animadverſiones de Cœlis.

Phyſicæ qvæſtiones & conſideratio Phyſica.

Thavmantis Regia.

Epiſtola ad Merſenum.

Li-

Liber anni 1619. Kal. Jan. ſub titulo Parnaſſi de conſiderationibus Mathematicis.

C. Olympica & ad marginem, XI. Novembris cœpi intelligere fundamentum invent mirabilis.

Qvædam in ſcientias conſiderationes.

Qvædam de Alegebra.

Democritica.

Experimenta.

Præambula.

D. Introductio ad Alegebram ſuam 155. pagin

E. Scriptum ſic incipiens. Vitellio ſic numerat

Aliud, metallorum pondera.

Primæ cogitationes circa generationes animalium 19. folia contentæ.

De Magnete Kircheri.

De formatione animalium. Qvinq; folia.

Hiſtoriæ metallorum.

Remedia & vires Medicamentorum.

Obſervationum de natura plantarum & animalium. Paginæ 16.

De partibus in inferiore ventre contentis.

F. Codices novem de Regulis utilibus & claris ad ingenii directionem in veritatis inqviſitione.

G. Deſcriptio Corporis humani.

De natura hominis & animalium. Eſt imperfectum opus.

H. Pro-

H. Progymnaſmata de partibus, aliqvotis numerorum.
I. Epiſtolæ.
K. Secunda pars tractatus de paſſionibus.
L. Qverela Apologetica ad Ampliſſimum Senatum Ultrajectinum contra Voëtium & Dematium.
M. Progymnaſmata de ſolidorum Elementis.
N. De natura paſſionum animæ.
O. Codices novem ſub forma Epiſtolæ ad Dominos.
P. Collectanea de calculo ad Geometriam utilia codicibus 12. contenta.
Q. 13. Folia dialogi ſub hoc titulo: Veritatis inqviſitio Lumine naturali.
R. De Muſica 8. folia anno 1618. conſcripta.
S. Sex Paginæ ſub hoc titulo. Explicatio machinarum, qvarum ope parvis cum viribus magna tolli poſſunt onera.
T. 262. Folia in 4. Epiſtolarum ad varios.
U. 14. Folia in 4. & 2. in 8. Epiſtol. ad ſereniſſimam Principiſſam Elizabeth Bohemiæ.
X. 69. Fol. de doctrina Principiorum ſuorum, ſed in qvibusdam varia ab edito libro.
Y. Tractatus de Geometria.
Z. 25. Folia ſeparata de reſponſionibus ad objectiones qvasdam &c.

Hæc ſunt manuſcripta opera, in lucem vero edita ſunt, qvæ ſeqvuntur

Methode de bien conduire ſa raiſon, pour trouuer la verité dans les ſciençens. 1637. 4. plus la Dioptriqve, les Meteores, & la Geometrie qvi ſont eſſais de ceſte methode, à Leyden chez Jean le Maire.

Renati Deſcartes meditationes de prima Philoſophia, in qva Dei exiſtentia & animæ immortalitas demonſtratur, Paris: apud Mich. Solii via Jacobæa ſub Signo Phœnicis 1641. 8. Sex continet Meditationes, & reſpondet object. Ut & Petro Gaſſendo. Dicat opus Theol. Pariſ. Renati Deſcartes meditationes de prima Philoſophia, in qvibus Dei exiſtentia & animæ humanæ à corpore diſtinctio demonſtrantur. His adjectæ ſunt variæ objectiones Doctorum virorum in iſtas de Deo & anima Demonſtrationes, cum reſponſionibus authoris. Secunda editio, ſeptem objectionibus antehac non viſis aucta. Amſtelod. Apud Lud. Elzevirium. 1642. in 24.

Cum Epiſtola Patris Dinet Societ. Jeſu, in qva multis Reſpondet Object. cujusdam.

Renati Deſcartes Principia Philoſophiæ. 4. Amſtelod. apud Lud. Elzevirium 1644.

Elizabethæ Frederici Bohemiæ Regis Comitis Palatinis & Electoris Sacri Romani Imperii Filiæ natu maximæ dicata. Qvatuor autem partes continent, poſt qvas ſunt

Speci-

Specimina Philoſophiæ ſeu diſſertatio de methodo rectè regendæ rationis & veritatis in ſcientiis inveſtigandæ. Dioptrice & meteora. Ex Gallico translata & perlecta ac emendata ab authore. ibidem

Les Paſſions de l'Ame, par René Deſcartes A Amſterdam par Loviis Elzevir. 1650. 8. 3. Partes ſunt in hoc libro & editus fuit à D. Degmont, qvi ponit Epiſtolas, qvas illi ſcripſit circa hanc materiam.

Claubergius citat ejus medit. Object. Reſponſiones & Epiſt. ad Dinetum, Voetium ex Editione tertiâ Elzeviriana 1650.

Geometria à Renato Deſcartes 1657. Gallicè edita nunc cum notis Florimondi de Beaune in Curia Bleſenſi Conſiliarii Regii in Ling. Lat. verſa & comment. illuſtrata opera atqve ſtudio Franciſci à Schoten Leydenſis in Acad. Lugduno Batava Matheſeos Profeſſoris, Lugd. Bat. ex officina Joh. Maire. 1949. 4.

Hanc Gallicè Geometriam unà cum Philoſophiæ ſuæ ſpeciminibus ſine nomine in publicum Deſcartes dederat. ſed cum à multis Gallici idiomatis ignaris expeteretur, ea dedit Schoten.

Renati Deſcartes Muſicæ compendium, Trajecti ad Rhenum Typis Gisberti à Zyll, & Theodori ab Ackersdyck 1650. in qvarto.

Les Meditations Metaphyſiqves de René Deſcartes, touchant La premiere Philoſophie dans leſqvelles l' exiſtence de Dieu, & La diſtinction reelle entre l' ame le & corps de l' homme ſont demonſtrées, traduites du Latin de l' Autheur par Mr. le D. D. L. N. S. Et les objections faites contreces meditations par diverſes Perſonnes tres Doctes, avees les reſponces de l'Autheur traduites par M. C. L. R. ä Paris chez la Vefue Jean Camuſat & Pierre le Petit 1647. in 4. aveec la reſponce aurecveil de ſes Principales Inſtances. Ceſte traduction eſt faira par ungrand Seigneur.

Libri circa ejus Philoſophiam compoſiti in utramqve partem.

Lentuli, nova Renati Deſcartes ſapientia, faciliori qvam antehac methodo detecta.

De Philoſophia Carteſiana amplectanda, ambigendi impellentes cauſas initio ſuæ Novæ ſapientiæ 8. refert, qvas refutat Clauberg.

Jac. Revius Theol. Doctor. & Coll. ill. ordd. Holland. & Veſtfriſæ præfectus de method. Carteſianæ conſideratione, Theologicæ.

Ejusdem abſterſio Calumniarum.

Ejusdem ſtatera Philoſophiæ Cartheſianæ.

Joh,

Joh. Claubergii in publico Teutoburgenſi ad Rhenum Atheneo profeſſoris; defenſio carteſianæ adverſus Revium Theol. Leidenſem & Cyriacum Lentulum profeſſorem Herbornenſem. Pars prior exoterica, in qva Renati Carteſii Diſſertatio de Methodo vindicatur, ſimul illuſtria Carteſiana Logica & Philoſophica ſpecimina exhibentur Amſtelod. Apud Lud. Elzevir. 1652. 12.

Diſputatio de finito & infinito, in qva defenditur Clariſſ. Carteſius de motu, ſpatio & corpore. Amſtelodami. Apud Lud. Elzevirium. 1641. 16.

La Philoſophie diviſée en toutes ſes parties, Eſtablie ſur des principes evidens & expliqvée en Tables & diſcours ou particuliers, ou tirés deſ Anciens & des nouveax Autheurs, & princepalement des Peripaticiens & de Deſcartes, Par laqves de Roure, á Patris chez Thomas Jolly. 1654. 12.

Abſterſio macularum Renati Deſcartes Notæ & ſermo extemporaneus, tres libri ſunt pro Carteſio apud Hollandos olim editi, ubi multa de eo reperiuntur curioſa.

Petri Gaſſendi diſqviſitio Metaphyſica, ſeu dubitationes & inſtantiæ adverſus Renati

Carteſii Metaphyſicam, & reſponſa Amſtelod. apud Joh. Blaeü 1644. 4. D. Sorberio dicata.

Conſiderations ſur le traite de Monſieur Deſcartes, de Paſſions del' Ame, par N. Papin Doctеur en Medicine à Paris chez Simeon Piget ruë Saint Jaqves à la Syrene. 1652. 8. ubi Carteſium laudat.

Brevis replicatio repoſita brevi explicationi mentis humanæ ſeu animæ rationis D. Henrici Regii Med. ac Phil. Ultrajectini notis Carteſii in programma ejusdem argumenti firmandis veritatiqve magis illuſtrandæ à Tobia Andreæ A. L. M. Hiſt. & ling. Græc. profeſſ. ord in alma Groningæ Onlandiæqꝫ Academiæ Amſtelod. Typis Lud. Elzeviri. 1653.

Henrici Regii Ultrajectioni Philoſophiæ naturalis editio ſecunda priore multo locupletior & emendatior Amſtelod. apud Lud. Elzevirium. 1654.

Danielis Lipſtorpii Lubecenſis ſpecimina. Philoſophiæ Carteſianæ, qvibus accedit, ejusdem authoris Copernicus Redivivus. Lud. Bat. apud Joh. & Dan. Elzevir. 1653.

Jo. de Raei Clavis Philoſophiæ naturalis ſeu introductio ad naturæ contemplationem Ariſtotelico Carteſiana, Lugd. Bat. apud Joh. & Daniel Elzevir. 1654. 4.

La

La Phiſiqve expliqvée ſuivant le ſentiment des anciens, & des nouueaux Philoſophes, & principelament de Deſcartes. Par jacq. du Rou-re. 2. Edition, à Pariſ. chez Thomas Jolii. 1654. Ex traduct. D. Picot. jam brevi D. de Clere-elier ejus Epiſtolas in publicum miſſurus eſt, ejus etiam objectiones in aliam lingvam mu-tavit Epiſtolas etiam ejus multas cum reſpon-ſis habet D. Hollene Batavus.

Franciſci Schoten Matheſeos Profeſſor, Lugd. Bat. vocat eum in Epiſtola ad lectorem Nobiliſſimum atq; incomparabilem virum. Jure merito circa ejus imaginem hæc carmi-na appoſita viſuntur.

Talis erat vultu naturæ Filius unus
Qvi mente in Matris viſcera pandit iter.
Aſſignatqve ſuis qvævis miracula cauſis
Miraculum in reliqvum ſolus in orbe fuit,

Methodum admirandam & ſibi ſpecialem ha-buit, qva utebatur, qvaqve omnes propoſitio-nes trutinabat primo an eſſent poſſibiles, ea-demqve methodo deinde ſolutionem earum edocebat, qvæ methodus in ſua Geometria eſ-ſe creditur.

Elogia ejus referre, cum impoſſibile foret, ob numerum infinitum, non tentabo, ſuffi-ciet mihi, ſi dixero ferè apud omnes Authores, qvi ab illo ſcripſerunt, laudibus debitis evehi, inter qvos Jo. Clauberg. ejus modeſtiam in ſermone aliaqve ejus dona extollit. Henricus

 Morus

Morus, Angelus doctiſſ. in Judicio de ejus diſſertatione ſic de eo loqvitur.

In Methodo, tua luſorio qvodam ſed eleganti modeſtiæ genere talem te exhibes virum ut nihil indole genioqve tuo ſvavius & amabilius, nihil excelſius & generoſius fingi poſſit vel expeti.

Gaſſendus ipſe ſic ei ſcribere coactus eſt.

Eximio Viro Renato Carteſio. Vir eximie, beavit me Merſenus noſter, cum tuarum illarum ſublimium de prima Philoſophia meditationum participem fecit. Qvippe argumenti præſtantia, ingenii perſpicacia, nitorqve dictionis mirificè placuit, qvare & lubens gratulor, qvod animo adeò excelſo ac felici aggrederis ſcientiarum fineis provehere & res omnibus retro ſeculis abſtruſiſſimas enucleare.

Sic Theologus qvidam adverſus ejus meditat. objectiones faciens, ait.

Et ſane D. Carteſius, qvantum animadverto, vir ingenii maximi ſummæqve modeſtiæ, qvales vel ipſe Mævius amet, ſi adſit.

Nunc qvædam fragmenta ex ejus Epiſtolis Gallicis, qvæ paſſim circumferuntur, hic inſerenda eſſe exiſtimo, ne tanti viri & magna exempla daturi opiniones circa varia naturæ arcana curioſa oblivioſo committantur ſilentio, Ea verò latino idiomate dare placuit.

Ex

Ex Epiſtola Gallica ad Patrem Marinum Merſenum.

RAtio, qvâ ex ſubtiliſſimis ſangvinis partibus portiones qvasdam ad ſtomachum, & ad inteſtina idqve per arterias ad ciborum diſſolutionem juvandam deferri opinor, eſt primo, qvoniam obſervavi ſputum, qvod ad eos magna defertur copiâ, dum comedimus, vel eum ſolummodo comedendi deſiderium habemus, imaginativaqve pollemus facultate, non tantum ex amygdalis ſeu glandulis faucium provenit, (vel forſan ad guttur tantùm pervenit, niſi ad os vaſculorum lingvæ operâ transferatur,) ſed ab arteriis, qvæ, ad gingivas deſcendunt, experimentum enim clariſſimum feci adeo, ut dubitare non potuerim, qvin idem fieret ab arteriis, qvæ ad inteſtina & ventriculum feruntur, cum videamus, purgantia medicamenta à toto corpore maximam evocare humorum copiam ad inteſtina, nullamqve viam præter arterias eſſe ſciamus, (qvod ſciam) ad illos humores, venæ enim mille valvulis impediuntur, ut tentari poteſt, ſi in canis viventis meſenterio ambæ ligentur, arteriæ enim detumeſcent inter inteſtina & ligaturam & non ulterius, & venæ lacteæ aliæqve contrarium faciunt. Partes iſtæ autem ſangvineæ, qvæ ſtomachum ingrediuntur, colorem rubrũ ejus retinere non debent, non ſecus ac ſalivæ,

(qvæ etiam in ore ciborum juvat diſſolutionem dum dendibus conteruntur,) neqve lacrymarum aut ſutoris, qvæ à ſangvine eodem pacto ſeparantur, arteriarum extremitates pertranſeuntes, hæc enim rubedo à viſcidioribus ejus partibus pendet. Qva irregulariſſimis donatus figuris eſſe autumarim, eſſeqve inſtar ſurculorum ſeſe mutuò complectentium & interſecantium, ſicqve per adeò anguſta foramina tranſire neqveunt, ſed tantummodo ſubtiliſſimæ, qvas inſtar acuum mihi effringo, qvæ anguſtiora pervadunt foraminula &, experientia ſatis ſuperqve earum ſegregationis facilitatem oſtendit in ſangvine extravaſato. In patellis enim videmus ejus ſerum ſeparari ſponte ſua clarumqꝫ fieri, cum reſiduum, qvod rubrum aut nigrum eſt, congelatur. Qvod ad cauſam Chylum in venas intrudentem attinet, aliam non agnoſco, præter illam, qvæ inteſtina extra aliam emittunt, dum enſis ictu transfigitur, id eſt, compreſſionem cuticularum vel aliarum particularum, qvibus continentur, & præterea fluidiores illius Chyli partes absqve hac compreſſione proprio earum pondere penetrare valent. Inſtar aqvæ, qvæ à lacte coagulato per foramina vaſculi, in qvo imponitur, ut & earum agitatione naturali, qvamlibet enim liqvorum partem in perpetuo motu eſſe concipio, & tandem muſculorum actio multum illud juvat, in eo qvod facit, ut Chyli

par-

artes è regione foraminum, qvâ iis ingreſſus
ari poteſt, ad venas tam lacteas, qvam alias ve-
iunt, non enim inter has & reliqvas differen-
iam aliam pono, niſi qvod ſuccus earum al-
us eſt, qvoniam nullis arteriis comitantur, ru-
er vero in aliis eſt, qvoniam cum ſanguine
b arteriis manante commiſcetur. Inter muſcu-
os autem omnes pectorales & abdominis &
liaphragma non ſolum numero, ſed etiam to-
um fere inteſtinorum & ventriculi corpus,
& in vivorum canum apertione obſervavi, eo-
ùm inteſtina motum regularem & reſpiratio-
nis fere ſimilem habere. Cæterum motus ille
nuſculorum non plane neceſſarius eſt, adeoqꝫ
it neceſſarium eſt, cribrum movere, ut ab eo
pulvis excutiatur, qvoniam Chyli partes jam
ſponte ſua moventur, qvod pulveris partes
non faciunt. At cribri hujus ſimilitudo mihi
valde arridet aptave videtur ad varias ſan-
guinis ſeparationes explanandas, qvæ in Cyſti-
de fellea, in renibus aliisqve locis fit, à qvi-
bus tamen lienem excipio, qvoniam humorem
melancholicum ad eam ſeparationis ope per-
venire non autumo, ſed potius ſangvinem,
hanc in eo qvalitatem adipiſci cenſeo. Fiunt
enim cribra, qvæ pulverem ſolummodo gra-
naqvæ rotunda excutiunt, alia per qvæ avena
transmittitur & non ſecale, alia econtra, qvæ
ſecali & non avenæ tranſitum permittunt, idqꝫ
juxta magnitudinem & figuram foraminum

eorum

eorum, qvorum exemplo exiſtimo parvus a[illegible] ditus, per qvos bilis ad cyſtidem ſuam fertu[illegible] aliam ab illis, per qvos ſerum ad renes trans mittitur, obtinere figuram, &c. qvod ad pu[illegible] attinet, cum in urinis animadvertitur, ut pluri mum à renibus manat, vel à partibus eis ſub jectis. ſiqve aliqvando vel à partibus eis ſuperi oribus oriatur, ex hoc ipſo percipi poteſt illu[illegible] ex partibus magis penetrativis, qvam eæ, qvi bus ſanguis colore rubro inficitur, cum locum penetrent, cujus aliæ adytus permeare ne qveunt, qvam enim facultatem excogitare poſſemus, qvæ ſangvinem impedire valeret qvin per foramina ſatis magna ad eum excipi endum effluerct.

Egregium illud fragmentum multa rara con tinet circa opiniones novas anatomicas, qvæ forſan non inutilia erunt, qvare probè & æqva lance ponderentur.

Ex alia Epiſtola ad eundem anni 1632.

NOn adeo ferox ſum, qvin cupiam, ut ſi de me qvidam cogitant, in bonam partem il lud faciunt, ſed mallem ut nullo planè pacto de me ſermonem facerent, famam magis, timeo qvam excupio, eam ſemper aliqvo pacto otium libertatemqve eorum, qvi eam ſibi comparant, minuere cenſens. Qvæ duo adeo perfectè poſ ſideo, eaqve tanti facio, ut nullus in orbe ſatis dives

ives exiſtat Monarcha, ut ea à me coëmere va
eat, hæc tamen non me impedient, qvin tracta-
ulum inceptum perficiam, ſed id ſilentio ob-
uas optarim, ut ſemper libertate eum repudi-
ndi fruar, eiqve lentiſſimè incumbo, qvia
nultò magis in meipſo erudiendo, qvam in
qvaliacumqve mea cognita, propalando dele-
tor. Nunc Chymiæ & Anatomiæ unà operam
navo, & qvotidiè aliqvid addiſco, qvod in libris
eperire nunqvam potui.

In hac Epiſtola Ferrerij eximii artificis men-
io nem facit aitq; ſe eum edocuiſſe multa circa
onſpicillorum confectionē, audiviq; à D. Breſ-
iæo, ejus ductu feciſſe conſpicillum hyperboli-
um optimum, qvo etiam plantularum folia ma-
na è tribus leucis cernerentur. Loqvitur etiam
le Merſeni eriſipelate, pro qvo remediū habere
exoptat, eiqve problemata Mathematica mittit,
& D. Fermat, ac de Besſio ſermonem facit, ut &
D. De Beaune qvi magni eſt apud eū ponderis.

Ex alia Epiſtola ad eundem

MIror, te aqvam congelare cum aqva & glacie non potuiſſe, cùm experimentum adeo facile ſit, ut impoſſibile ferè ſit, ab eo aberrare, idqve plus qvam centies feci, verum eſt, qvod ſatis magna glaciei tritæ vel nivis qvantitas neceſſaria eſt, ſed nix glacie præſtat, qvoniam melius ſali immiſcetur, cujus etiam qvantitas ſatis magna eſſe debet id eſt circiter

ad

ad tertiam vel qvartam nivis partem, vaſqve, in qvo eſt aqva dulcis, in hac mixtione ſepeliendum eſt, & donec omnino ferè fuſa ſit, illic relinqvendum, eodem enim tempore, qvo nix funditur, congelatur aqva. Æſtatis tempore id in cella vinaria fieri debet. Item. Qvod lucem impedit, qvò minus ad maris fundum vel trans vitrum valdè craſſum penetret, non eſt aqva, aut vitrum, tanqvam diaphana, ſed impuritates iis permixtæ, qvæ pellucidæ non ſunt.

Item. Aqva maris minus ſalita eſt ad oſtia, ad littora & circa polos.

Ex alia Epiſtola ad eundem. Merſenum.

PEtis à me, cur arcus, vel machina elateria vim amittit, ſi diu tenſa remaneat, ejus ratio per principia mea facilis eſt, pori enim, qvos antea Ellypticos eſſe dixi, rotundi ſenſim fiunt, ob parvas ſubtilis materiæ portiunculas quæ indeſinentèr intus influit. Materia hæc ſubtilis impedit nos, ne lapidem in altum projiciamus, vel proſiliamus, ſine illa enim qvæ inferius gravia repellit corpora, cum lapis in altum projicitur, aſcenderet uſqve ad cœlum, & cum paululum ſaliendo evehimur, ſemper abſqve deſcenſu ullo ſubſeqvente aſcenderemus.

Et infra.

Qvod facit ut attollamur ſaliendo, eſt tantum

am virium reflexio, qva terram pede pulſa-
ius, anteqvam proſiliamus, qvà vi ceſſante,
adamus iterum neceſſe eſt, neqve in aëre con-
nere poſſibile eſt, niſi pedibus vel brachiis
alſari tanta cum celeritate poſſet ut cedere a-
eò ſubitò non valeret, qvod utile eſſet, ut de-
uò attolleremur, ſicq; aves volatum ſuum in-
ituant.

Et infra

Cæterum, non adeo libris deſtitutus ſum, ut
iſtimas, habeoqve adhuc divi Thomæ ſum-
am, Bibliamqve, qvam ex Gallia attuli.

Rogat etiam illum, ne locum ubi degit, reve-
t, parvum enim exoptat commercium.

Item ait alibi. Gaudeo, Dominum Morier,
enè ſperare de ſuo conſpicillorum opificio,
go tamen in Domino de Beaune tantummodo
ero, aut ſi non ei ſuccedat, ipſe rem tentare
otero. Item. Si ſubtilis materia, qva terram
rcumgyratur, non verteretur, nullum corpus
onderoſum eſſet, ſiqve circa lunam vertere-
ır, ad lunam omnis vergere deberent &c.
æc materia ſubtilis, qvæ in noſtris corpori-
us eſt; ne qvidem momenti ſpatio in eo
ommoratur, ſed ab illo exit novaqve perpe-
io illud ingreditur, verum eſt, eam ſolam non
mmediate vim motibus noſtris tribuere, ſed
iritus noſtri animales in nervis contenti &
nqvam in ductibus hac ſubtili materia a-
itatis.

Idem

Item. Non ſtupeo, inventos fuiſſe globos tormentorum bellicorum in lapidibus ſed qvod non in lapides converſi fuerint, ſtupeo.

Multa illum poſtea edocet ad plenum & deinde hæc dicit.

Si verum ſit, magnetem nunc minus ab Anglia, qvam antehac, ut ad me ſcribis, declinare hoc eqvidem notatu digniſſimum eſt, ut etſi hæc mutatio ſenſim vel aliter facta fuerit. Hæc Epiſtola erat anni 1639. in fine.

Ex Epiſtola alia ad eundem data Amſtelod. 1641. menſe Martio, Lugd. Bat.

GAude, Dominum Picot meam guſtaſſe Metaphyſicam, ſcis enim majus eſſe in cœlo gaudium pro unico peccatore, qvi convertitur, qvam pro mille juſtis qvi perſeverant.



Ex alia 19. Jan. 1642. tentavi hiſce diebus præteritis modum ponderandi aërem, qvi mihi ſucceſſit, cum enim vaſculum vitreum leviſſimum & hujus figuræ pilæ luſoriæ magnitudinis, parvumqve habens in extremitate foramen inſtar capilli, habuiſſem, hoc frigidum 78. Granorum cum dimidio pondus attigit, dein-

deinde calefactum vix 78. attingebat, roſtrum deinde B. aquæ immergens illic donec frigeſceret reliqui. & aër condenſatus dum refrigeſcebat, totidem aquæ ingreſſa eſt: quod ab illo aeris antea calor expulerat, totum ponderis 72. Gran. cum dimidio erat, plusquam antea, unde concludi aerem ab eo expulſum ab igne proportionem, cum aqva in ejus locum ingreſſa habet tanquam dimidium gr. ad 72. cum dimidio vel tanquam unum ad 145. licetque in hoc erraſſem, aëris tamen pondus ſenſibile eſt.

Ex alia Epiſtola ad eundem Patrem Merſenum ab Endegeſt, 20. Octobr, 1642.

VArii ſunt modi caminorum fumum importunum impediendi, juxta varias fumi cauſas, cauſaqve frequentior eſt, quod ut plurimum ſatis aeris ab extrinſeco non recipiunt Cubicula ut fumi exituri ſpacium occupet, obſervandum enim eſt, qvod ingens vim magnam aeris quantitatem cum parvis ligni partibus expellit, quæ huic aeri immixtæ fumum componunt, ut craſſiores ligni partes cinerem conficiunt, cumque vacuum non exſtet in rerum natura, neceſſe eſt, ut ſemper novus aer ingreditur cubiculum & æqvâ quantitate ac fumus, qui foris extenditur, ut in Alchymiſtarum fornacibus videre eſt, ad quorum

imas partes foramen eſt, magnam venti molem recipiens, qvo ignis accenditur, ventus autem ille nil aliud eſt, qvam aer pulſus à loco, qvem fumus ab igne manans petit. Ita ut cum cubiculum probè obduratum eſt, neceſſe eſt, ut fumus in ea volitet, id eſt, ut fumus ab igne prodiens cubiculum ingrediatur, qvoniam ſolus cubiculi aër verſus ignem fieri poteſt, ad qvod remedium ſolitum eſt, aperire januam vel feneſtram. ſed qvoniam hæc aliqvo ſunt incommodo, vitari poſſunt, foramina retro caminum faciendo, qvæ verſus ignem tantum feruntur, vel ſi ſimilia foramina retro fulcra lignaria fiant.

Ex alia Epiſtola ad eundem data Amſtelod. 1643. Menſe Majo.

GRatias ago tibi pro arcana Patris Grand amici ad acum conflandam declinatione carentem, credo eqvidem minus reliqvis declinare, ſed non omninò.

Item. Experimentum ponderis qvod à meridiè ad ſeptentrionem vergit valdè notatu dignum eſt & valdè meis ſpeculationibus circa æſtum maris congruit, ſed ſcire optarim, qvot pedes longum filum, cui pondus alligatum erat, fuerit, ut ſcirem, an huc periculum ejus facere poſſem, nam longiſſimum fuiſſe exiſtimo, vellem etiam ſcire tempus qvoad meridiem vel ſeptentrionem vergit, ſi bonæ ſint conjecturæ

meæ

meæ, illud, cum luna noſtrum accedit meridianum, vel ab eo removetur, contingere debet.

Ex alia Epiſtola Endegeſt. 7. Decemb. 1642.

VOëtii Liber adverſus me ſub titulo Philoſophiæ Carteſianæ typis mandatur magno ejus libro reſponſum opponam ſimulqve in lucem prodibunt.

Non ægrè fero, qvod mea nuncia dederis de eo, pro qvo mihi ſcripſiſti, vir eſt curioſisſimus, qvi innumera callet parva Chymica ſecreta, qvæ inter ejusdem farinæ viros circumferuntur, dum mecum eſſet, ſi eodem pacto perſeverarit, multa nunc, ut veriſimile eſt, callere debet, ſed notum eſt tibi, qvod hæc omnia ſecreta flocci facio, qvod in eo magni facio, eſt, qvod manibus ad præſcripta circa hæc exeqvenda, bonaqve indole præditus eſt. Offert ſe mihi; ſed nollem, ut veniret nunc, qvoniam nullis experimentis, qvin Philoſophia mea typis mandata ſit, incumbere volo, ſed poſthæc ſi plena libertate fruatur, neque meliori potiatur fortuna, non ægrè ferrem, illum aliqvandiu mecum habere, qvod tamen obſecro ne illi dicas, innumera enim ante hoc tempus contingere poſſunt, qvibus impediretur, & nollem, ut in calculo ſuo falleretur, ut ſolent chymiſtæ ferè omnes, at ſi qvalis ſit ejus

fortuna non ignores qvidve agat non renuam ea per te addiſcere.

Credo hunc,de qvo ſermonem facit, eſſe D. Breſſiæum Gratianopolitanum Medicum Chymicum qvi ejus Philoſophiæ amaſius eum acceſſit & diu cum eo ad experimenta facienda remanſit,ingenioſiſſimus enim & optimus artifex.

Ex alia Epiſtola.

NOn mediocri perfuſus fui gaudio, cum docuiſti me æream laminam non majoris dum caleſcit,qvam frigefacta ponderis eſſe, id enim præcipuum punctum eſt pro experimento tuo circa Æolipilam, & de qvo nullo pacto dubitandum eſt; hoc enim poſito, non dubium eſt, qvin illud, qvod ejus pondus 4. aut 5. granorum pondere auget, cum caleſcit eſt ſola aeris interni rarefactio, ſicqve methodus aerem ponderandi inventa eſt.

Item Duo corpora ſi in altum projiciantur, aer magis leviori reſiſtit, ſicqve non adeo inſtar alterius in ſublime feretur.

Item. Qvod efficit, ut follis aere, dum aperitur, repleatur, eſt qvoniam cum aperiendo extruditur aer, à loco, qvem pars follis inferior recipit qvæ attollitur, cumqve aer ille nullum ſibi locum reperiat in toto orbe, niſi intra follem ſe recipiat.

Addendum cenſuimus circa patriam Carteſii, qvod qvei dm exiſtimant, non in ipſo Caſtro

Erald

Eraldi natum fuiſſe, ſed Hagæ Turonum juxta Caſtrum illud.

Marci Zuerii Boxhornii Hiſtoriographi Acad. Lugd. Bat. in Carteſii Obitum.

Renato Deſcartes, Nobili Gallo Perronii Domino.

CUi qvantum ſit qvod neſcimus non ignoranti, & maximam partem eorum, quæ ſcimus, minimam eorum eſſe, qve ingoramus, & neſcire plerosqve ea, qvæ tamen iactant ſe ſcire ac præſumunt. adeoqve doceri ferè ac tradi. quæ dediſcere ſit neceſſe, de receptis hactenus Philoſophorum ſententiis dubitare, bonum factum viſum eſt, ut dubitando ſibi ad ſapientiam aliisqve regiam viam faceret, qvi æqvævam naturæ rerum Philoſophiam, & ſic veram ac antiqvam reddidit. eandemqve poſt fœdiſſimam tot ſeculorum ſervitutem in libertatem tandem aſſeruit. & qvaſi manumiſit, cui univerſam rerum naturam animo ac auſu & ſine ullo duce, circumeunti intimosqve eius receſſus ſeriò ac diligenter inſpicienti: neqve antiqva placuerunt, qvia antiqva, neqve diſplicuerunt nova, qvia nova. cum quæ nunc antiqva ſunt, aliqvando fuiſſe nova, & qvæ nunc nova ſunt aliqvando futura antiqva. non

ignoraret, ſed qvia falſa aut vera deprehendebantur, nova condita eſt ac vera Philoſophandi ratio, & idcirco duratura ac antiqva aliqvando futura; hoc monumentum poſuit & cum eo qvod marmoreum & illuſtriſſimus Chriſtianiſſimi Regis ad Chriſtinam celſiſſimam eruditiſſimamqve Svecorum Reginam legatus Petrus Chanutus ponendum curavit, L. M. Q. conjunxit Marcus Zuerius Boxhornius.

Ejusdem Authoris Epitaphium.

Qvi ſibi demeruit totum Carteſius orbem,
Extremum fati tranſigit ille diem.
Avia cui veterum viſa eſt ſapientia, veram,
Prætulit antiqvæ, præpoſuitqve novam.
Sunt imitatores ſervum pecus hunc venerare;
Naturam agnoſces hoc præeunte ducem.

Carmina in Carteſii Effigiem à D. Franciſco Schotenio expreſſam, à Clariſs. Chriſtiano Hugenio appenſa.

Primus in acceſſum qvi per tot ſecula virum
Eruit è tetris longæ caliginis umbris,
Myſta ſagax, natura tuus, ſic cernitur orbi
Carteſius. Voluit ſacros in imagine vultus
Jungere victuræ artificis pia dextera famæ,
Omnia ut aſpicerent, qvem ſecula nulla tacebunt.

Sic vixit & fato functus eſt Magnus Carteſius poſt

poſtqvam 4. menſes in Svecia commoratus eſſet, ubi per breve illud ſpatium Reginæ ſibi tantum conciliaverat amicitiam, ut lachrymis ſuis mortem ejus decorare dignata ſit, authore Daniele Lipſtorpio Lubecenſi Phil. Prof. qvi de eo mira nobis reliqvit elogia, probatq; eum inter eos qvi cæteros antecelluerunt mortales, primatum obtinuiſſe, ſubqve hoc Renato renatam eſſe Philoſophiam, multaqve de ejus vita narrat, utpote patrem ejus nobilem fuiſſe Pictonem, & Limoni privatim diu vixiſſe, tandem vero Præſidem fuiſſe in Redonum ſuprema curia, qvi fato functus eſt dum Carteſius in Belgio eſſet. Ait præterea Muſicæ compendium anno ætatis vigeſimo feciſſe, Vietam & Becmannum Dordracenſis Collegii moderatorem ac Philoſophum & Mathematicum celeberrimum inter amicos & admiratores habuiſſe, poſtqvam ſtatim methodo ſua propoſitiones qvæ ubiqve terrarum pro impoſſibilibus habitæ fuerant, ſoluiſſet. Sed anteqvam ad eremum ſuam ſe reciperet, viderat militias Galliæ Belgii, Daniæ, Germaniæ & Italiæ. Ulmæ Joh. Faulhabertum celebrem Mathematicum ſalutavit, eiqve cum difficilia multa enodaſſet in Mathematicis, ut & Petro Roten Norimbergenſi Mathematico amorem omnium Doctorum illic ſibi brevi comparavit. Ad Plagas Borealiores ergo Germaniæ ſe contulit viditqve Pomeraniam Marchionatum Brandenb. Megapolin, Holſatiam, Da-

niam,& inde Bataviam, poſtea per Belgium & Germaniam Italiam petiit & hinc rurſus Galliam,& Lutetiæ per triennium remanſit, ibi novit D.Claudium Mydorgium Senatorem Pariſ. & Qvæſtorem Franciæ Florimundum de Beaune in Curia Blæſenſi ſenatorem Johan. Bapt. Morinum Prof. Mathemat. &c.

Deinde relictis Pariſiis, ut & fratribus & ſororibus &c. eremum Philoſophicam Egmundæ, ubi aliqvandiu fuit, mox Endegeſtæ, mox Amſtelodami, mox Lervardæ in Friſia occid. mox Daventriæ, rurſus prope Harlemum in villula, iterum Harderwici, mox Ultrajecti, rurſus Lugduni Batavorum fuit, ſed præcipuè in villulis vixit. Ubi fecit libros ſuos hoc ordine: Diſſertatio de methodo, Dioptrica & meteorologica.Deinde Geometriam, in qvam fecerunt notas Florimundus de Beaune & Franciſcus Schoten. Poſtea meditationes & principia Phil.fecit & tractatus de homine, de gener. animalium, & analiſin Geometricam,qvæ brevi prodibunt. Ut & de mechanica tractatulum, qvem Bibliopolæ cum duab. Epiſtolis ſereniſſimæ principiſſæ Elizabethæ dedi,ut publici fiant Juris.

Inter ejus amicos & admiratores reponendi ſunt C. Salmaſius, S. Mareſius, Abraamus Heidanus Profeſſores Theol. Adrianus Heereboordius Jac. Golius, Joh. de Racy med. Gothofredus ab Haſtrecht Nobilis Leodicenſis, Cor-

Cornel. Hoogland. Nobilis Batavus D. Picot Nobilis Gallus D. Chilot. Mathemat. Et alii innumeri.

Ut Lapidem qvendam ad Carteſii tumulum ornandnm etiam afferamus, hoc adhuc de illo accipe Epitaphium.

Siſte gradum. Viator, hîc enim in parvulo iſto Sarcophogo vir latet, qvem totus vix olim orbis continere potuerat, ingenio enim ſuo omnes antiqvos ſuperavit Philoſophos.

Is fuit naturæ velum qvo ſe ab hominum conſpectu retrahebat ſolus amovit, qvinqve rebus antiqvis Novitatem, obſcuris Lucem, & novis authoritatem dedit, ſed cum immodicis brevis ſit ætas & rara Senectus, nobis ſubito ereptus eſt. ſenex enim ante ætatem ſolitam profundâ ſuâ & univerſali eruditione cum eſſet, mors illum pro vero ſene in ætatis ſuæ flore ſuſtulit, lachrymis tuis dignus fuit profectò, qvisqvis es, præſertim ſi literariæ Reipublicæ membrum exiſtas; erat enim Doctorum ornamentum, Philoſophorum gemma, Mathematicorum corona, hominumqve omnium decus, virtutes omnes in illo tanqvam gratiæ conjunctæ manibus erant, adeò ut dubitaſſes, qvænam earum in eo magis emineret ut ſol inter aſtra minuta, vel Luna inter ignes minores per totum orbem effulſit, cumqve non ſibi ſed alii natus eſſet, unicuique ferè nationi per aliqvod tempus ſeſe oſtendit, ut eas gratâ ſuâ præſentiâ

erudiret, lugent ergo immaturum ejus obitum, ejusqve exemplo cœteri Philoſophi filo Carteſiano, qvod in ſuis nobis reliqvit ſcriptis, è rerum naturæ labyrinthis ſeſe extricare tentent, ut tanqvam pygmæi, gygantis illius humeris inſiſtentes aliqvid, ſi poſſibile ſit, ulterius conſpicere valeant ad hominum omnium, præcipuè literatorum utilitatem, propriam ſuam laudem, noſtri ſemper authoris laudes decantantes, qvod viam ad abſtruſiora penetranda iis monſtraverit, qvodqve veritatis in profundo deliteſcentis detegendi amore eremos longiſſimo tempore coluit, ut tandem ſcientia ſatiati qvantum apud homines licet, cum illo ad beatorum ſedes conſcendere valeant.

Habes ergo, jam benigne Lector, promiſſæ vitæ Carteſii Epitomen & omnium eorum, qvæ circa illam ad notitiam noſtram pervenire potuerunt, iis feliciter fruere; Si autem tibi hæc grata fuiſſe perceperimus, dabis ſtimulos ad meliora tibi offerenda. Vale.

Additio.

Cornel. ab Hogelande cogitationes de exiſtentia Dei & animæ ſpiritualitate, &c. Carteſio dicavit.

Renati

Renati Carteſii Epiſtola ad Illuſtriſſimam Principem Palatinam Bohemiæ Regis natu Majorem, Gallicè conſcriptam, nunc verò Latinitate donatam.

Illuſtriſſima Princeps.

SPem meam profectò ſuperavit favor, qvo me excellentia tua manu propria beare dignata eſt, meliusqve eo qvo juſſa tua ore propria recipere exoptaveram, defectibus enim meis utilior valdè fuit, qvam ſi dum Hagam petieram, te convenire, humillimaqve ſalutatione obſeqvià mea tibi offerre licuiſſet, nimiis enim miraculis anima mea in admirationem rapta eodem momento fuiſſet, dumqve voces nil mortale ſonantes, à corpore illis plane ſimili, ad cujus ectypum Angelos pictores effingere ſolent. erumpere percepiſſem, in eandem raptus fuiſſem ecſtaſim, qva terram deſerentes, dum Cœlicularum adeunt ſedes, corripi ſolent. Qvod voces in ore meo procul dubio congelaſſet, excellentia enim tua in aliis noſtris olim colloqviis hunc in me defectum obſervare potuit. Et Clementia tua ei hoc concedere levamen valuit, cogitationes ſuas in charta illi relinqvens, ut eas multoties legere poſſem, qua lectione iterata minus oculi mei caligare mihi videntur, ſed non in minorem rapior admirationem, dum non ſolum ingenio-

ſas

ſas eas primo intuitu percipio, ſed eo magis judicioſas ac ſolidas, qvo illas examinis trutinæ committo & cum maximâ aſſerere poſſum veritate, qvæſtionem, qvam excellentia tua mihi propoſuit, videri mihi eam eſſe, qvam à me poſt ſcriptorum meorum Editionem æqvius expetere poſſent. Cum enim duo in anima humana exiſtant, à qvibus omnis noſtra notitia pendet, qvam de ejus natura habere poſſũus, qvarum prima eſt qvod cogitat, ſecunda vero qvod, cum corpori unita ſit, cum eo etiam agere ac pati valet. Nil ferè de hac ultima dixi, & primæ tantum explicationi incubui, qvoniam præcipuum meum intentum diſtinctionem, qvæ inter corpus & animam intercedit, probare fuit, ad quid hæc tantum utilis fuit, alia vero nocua fuiſſet. Sed quoniam E. T. adeo perſpicax eſt, ut nil eam effugere valeat, modum animæ cum corpore unionis mihi effinxi, qvam & qvo pacto vim illud commovendi habeat, hic explanare conabor. Primo ergo in nobis certas primitivas notiones agnoſco, qvæ tanquam prototypæ ſunt, ad quarum exemplaria reliquas noſtras notitias effingimus, paucisſimæqve ſunt ejusmodi notiones, poſt etiam generaliores, utpote, exiſtentiæ, numeri durationis, &c. Pro corpore extenſionis notionem tantum habemus, à quibus figuræ, motusqve notiones origi-

nem

nem ducunt: pro anima vero ſola, cogitationis ſolam notionem habemus, in qva mentis perceptiones voluntatisqve inclinationes continentur tandemqve pro anima & corpore conjunctis, illam eorum unionis, à qva illa virium, qvibus anima corpus movere valeat, corpusqve in animam agere paſſiones ſuas ei communicando, ſolummodo habemus. Totam præterea hominum ſcientiam in harum proba notionum diſtinctione, earumqve ſigillatim rebus, ad qvas pertinent, attributione, conſiſtere perpendo. Cum enim qvadam, qvæ ei non congruit, notione qvoddam, enodare dubium inſtituimus, qvin erremus, impoſſibile eſt, & cum notionum unam per aliam explanare tentamus, cum enim earum qvælibet primitiva ſit, per ſe ipſas tantum intelligi qveunt; cumqve ſenſuum uſus, nobis extenſionis, figurarum, motuumqve motiones magis familiares reddidit, præcipua errorum noſtrorum cauſa eſt in eo; qvod illis utplurimum notionibus ad rerum, ad qvas nullo modo pertinent, explanationem utimur. Ut cum imaginatione ad animæ naturæ capiendam utimur, vel cum modum, qvo corpus ab anima movetur, per modum qvo corpus unum ab alio movetur, enucleare tentamus. Qvare, cum in meditationibus, qvas E. T. legere dignata eſt, notiones ad animam ſolam perti-

nen-

nentes concipiendas tantum præbere, conatus ſum, eas ab iis, qvæ ſoli debentur corpori, diſtinguendo, primo res à me deinde explananda eſt, modus concipiendi eas, qvæ ad animæ cum corpore unionem attinent, ſine illis qvæ corpori vel animæ ſolis debentur: at qvid mihi utile videtur, qvod circa finem reſponſi ad ſex objectiones. pag. 382. & 490. Editionis Amſtelodamenſis conſcripſi: alibi enim qvam in anima noſtra notiones exqvirere non valemus, cum eas omnes à natura ſua ſortita fuerit, non ſatis ſemper ab invicem eas diſtinguat, vel objectis, ad qvæ referri debent, non tribuat: ſic exiſtimo non virium notionem, qvarum ope anima in corpus agit, confudiſſe, cum ea, qva corpus unum in aliud agere ſolet, ambaqve, tribuimus non animæ, cum ad notitiam noſtram adhuc non perveniſſet, ſed variis corporum qvalitatibus utpote gravitati, calori, aliisqve qvas veras eſſe nobis ſuaſimus, id eſt, ſeparatam ab ea corporis exiſtentiam habere, ideoqve ſubſtantias eſſe, licet eas qvalitates dixerimus. Utqve nobis innoteſcerent, nunc notionibus, qvæ in nobis exiſtunt, ad animam cognoſcendam utimur, juxta id, qvod eis tribuimus, materiale vel immateriale fuit, exempli gratia, ſupponendo gravitatem, qvalitatem realem nobis aliàs ignotam eſſe, niſi in eo, qvod corpus, in qvo eſt verius terræ centrum

trum

trum movere poteſt, non difficilè, qvo pacto corpus moveat, nec qvo modo ei conjuncta eſt, concipiemus, neqve id Phyſico fieri contactu duarum ſuperficierum cenſemus; In nobiſmet enim notionem particularem ad id mente capiendum animadvertimus, & exiſtimo, qvod male hac notione utimur, eam gravitati, qvæ non revera à corpore diſtincta eſt, applicando, ut in Phyſica oſtendam, ſed qvod nobis conceſſa fuit, ut modum, qvo anima corpus movet, concipiamus. Ingenium, cui nullum ſimile, excellentiæ tuæ mihi ignotum eſſe teſtarer, ſi copioſioribus, ut intelligerer, verbis uterer, nimiaqꝫ in me jactantia eſſet, ſi ei penitus reſponſo meo ſatisfeciſſe autumarem, ſed utrumqve vitare conabor, nil hiſce adjungens, niſi qvod ſi qvædam ſcribere vel fari qvæ ei grata eſſe poſſint, valeam, maximo erit mihi favori, calamo qvædam delineare, vel Hagam me conferre; nil enim in orbe adeo charum, qvam tua juſſa capeſſere mihi eſt. Sed Jurijurando Harpocratis obſtringi, qvod mihi præſcripſerat, neqveo, cum nil mihi communicare dignata ſit, qvod omnes homines in admirationem rapere non valeat, hoc tantum dicere poſſum, qvod maximi Epiſtolam tuam faciens, eâ avarorum more circa theſauros ſuos utar, eos enim eo magis recondunt, qvo majoris eos faciunt, cumqve reli-

qvis

quis hominibus eos non exponant, ſummum ſuum bonum in eorum contemplatione collocat, ſic ſolus eam oculis uſurpandi gaudio frui non dolebo, majorqve mea ambitio eſt, ut verè dicar,

Sereniſſima Princeps,

Egmund. 7. Maji 1643.

Humillimus tuus ac obedientisſimus Servus,

Deſcartes.

Alia ejusdem Carteſii ad eandem Principem Epiſtola.

Sereniſſima Princeps,

MAximis Excellentiæ tuæ devinctus ſum beneficiis, qvod poſtquam infelicem meam in præcedentibus meis Epiſtolis explanationem videris, circa quæſtionem mihi à te propoſitam, me adhuc de eadem re diſſerentem audire cupieris, mihiqve rerum obmiſſarum obſervandi anſam dederis, quarum præcipuæ mihi eſſe videntur, qvod poſtqvam tria notionum, primitivarum genera qvarum qvodlibet modo ſpeciali & non mutua collatione dignoſcitur, diſtinxiſſem, nempe notionem

nem qvam de anima habemus, eam corporis, & illam unionis animæ cum corpore differentiam, qvæ inter has tres notiones & animæ operationes, qvarum ope eas habemus, intercedit, explanare debebam, & modum, qvo earum qvælibet nobis familiaris facilisqve reddi poſſet enarrare, poſtea cum dixiſſem, cur gravitatis ſimilitudine uſus eſſem oſtendere meum erat, qvod licet animam tanqvam materialem homines concipere velint, qvod ejus cum corpore nexum propriè eſt concipere, nil tamen impedit, quo minus ab illo ſeparari poſſit imaginemur, qvod totam materiam mihi ab E. T. præſcriptam, ut autumo, complectitur. Primo ergo magnam inter hæc tria notionum genera differentiam percipio, cum nil anima niſi per mentem concipiat. Per corpus, id eſt extenſionem, figuras motus vero mente ſola etiam ſed melius mente imaginationi conjuncta cognoſci poſſunt, & tandem res, quæ corporis & animæ unionem attinent, mente ſolâ obſcurè tantùm innoteſcunt, imo & mente imaginationi conjuncta, ſeu ſenſibus manifeſtiſſimæ cognoſcuntur. qvoniam illi, qvi nunqvam philoſophantur, ſolisq; ſuis ſenſibus utuntur, corpus ab anima moveri corpusq; in animam agere non ambigunt, ſed utrumqve tanqvam rem ſolam perpendunt, id eſt eorum unionem mente capiunt, duarum enim

rerum nexum concipere eſt, eas tanquam rem ſolam concipere, & cogitationes Metaphyſicæ, qvæ puram occupant mentem, & animæ notionem nobis familiarem reddendam utiles ſunt, ſtudiumqve Matheſeos, qvod imaginationem noſtram figurarum, & motuum conſideratione aperire ſolet. Nobis notionum corporis, optimè diſtinctarum efformandi facultatem acqvirit, tandem vitæ uſu, ſolitarumqve confabulationum, & rerum, quæ imaginationem occupant, abſtinentia earumque meditationis ac ſtudii, corporis ac animæ unio concipitur. Metuo ferè ne E. T. me hic ſeriò non loqvi exiſtimet, ſed hoc reverentiæ ei debitæ, in qva nunqvam peccare decrevi, repugnaret, vereqve affirmare poſſum, normam præcipuam à me ſemper in cognitionibus meis obſervatum fuiſſe, qvod pauciſſimas horas qvotidiè circa cogitationes imaginationem meam exercendas adhibui, paucasqve qvotannis pro iis, qvæ mentem ſolam exercent, reſiduum enim ſenſuum recreationi animique quieti conceſſi; & omnes ſerias confabulationes inter imaginationis exercitia & quicquid attentionem noſtram expetit, repono, ideoque villulam petii, licet enim in Urbe omnium celeberrima tot otii horas, quot jam ſtudii habere potuiſſem, non tamen eas adeò utile poſt animi mei ob vitæ negotia fatigatio-

nem

nem inſumere valuiſſem. Qvod E. T. ſcribere audeo, ut aſſeram illi, qvod non mediocriter miror quomodo inter negotia nunquam iis qvi Clara ſtirpe ac ingenio pollent, deficientia, tempus habere potuerit, ut meditationibus, quæ ad diſtinctionem inter animam & corpus intercedentem cognoſcendam requiruntur incumberet. Sed exiſtimavi, has meditationes, quæ minorem, quam cogitationes, attentionem poſtulant, ei majorem obſcuritatem in notione quam de earum unione habemus, dediſſe, impoſſibile enim videtur, quod humanum ingenium ſeparatim eodemqve tempore diſtinctionem inter animam & corpus eorumqve unionem capere poſſit, qvoniam ad hæc tanqvam unica res, ſimul vero tanquam binæ, qvod ſibi adverſatur, concipi debent. Ideoqve ſupponendo, E.T. rationes, quibus animæ & corporis diſtinctio comprobatur in animo ſuo præſentes habuiſſe, cum nollẽ ut eas rejiceret, ut uniones qvas ſemper qvilibet in ſemet absq; ulla Philoſophia experitur, ſibi effingeret ſciretq; unicum hominem corpus & cogitationem ſimul habere, qvæ ita ſe habent ut cogitatio corpus movere & accidentia, qvæ ei contingunt, habere, qvæ ita percipere poſſit. Gravitatis ſimilitudine antea aliarumq; qvalitatum qvas corporibus qvibuſdam unitas eſſe exiſtimamus eodem pacto duo cogitatio cum noſtra unita eſt, uſus ſum,

neque curavi, an ſimilitudo hæc in hoc titubaret qvod qvalitates illæ non reales ſint ut cenſentur, qvoniam vidi E. T. animam eſſe ſubſtantiam à corpore planè ſeparatum tenuiſſe, ſed cum E. T. facilius eſſe cenſeat, materiam intentionemqve animæ tribuere, quam potentiam corpus movendi vel ab eo absque materia moveri, optarim ut hanc extenſionem ac materiam animæ concedere velit; hoc enim idem eſt, ac ſi eam corpori unitam concipiamus, cumque hoc probè apud teipſum conceperis & intemet experta fueris, facillimum erit tibi perpendere materiam, quam huic cogitationi tribueras, ipſiſſimam eſſe cogitationem, extenſionemqve illius materiæ aliam ab extenſione illius cogitationis naturam ſortitam eſſe, hic enim prima ad certum locum determinata eſt, à quo omnem aliam excludit extenſionem quod non in ſecunda reperies, ſicqve E. T. non minus facilè diſtinctionis animæ à corpore notitiam, licet eorum unionem conceperit, deveniet. Tandem cumqve valdè neceſſarium eſſe autumem, ſemel in vita Metaphyſica principia intellexiſſe, cum ea ſint, à quibus Dei, animæque noſtræ notitiam depromimus, neceſſarium etiam cenſeo, mentem in eorum meditatione occupare, cum circa functiones imaginationis ac ſenſuum occupari cum eadem facilitate valeret, ſed melius eſt,

ſi

contenti ſimus, memoriæ fideique noſtras conclusiones ſemel elicitas committamus, deinde tempus reſiduum ſtudio cogitationibusve, in quibus mens cum imaginatione ac ſenſibus agunt. Maximus E. T. obſequia præſtandi ardor, qvo flagro officit, ut libertatem meam ei non ingratam fore ſperare auſus fuerim, meque hic ad majorem enarrationem faciendam impuliſſet, in qva nunc omnes difficultates auferre propoſitæ qvæſtionis enodare conatus fuiſſem, ſed importunum nuntium jamjam mihi delatum, qvo à magiſtratu Trajecti compellor, ut qvæ adverſus unum ex ſuis Paſtoribus ſcripſi comprobem, licet homo ſit. à qvo indignisſimis calumniis denigratus fui, cumque quæ in juſta Apologia mea conſcripſi, cunctis innoteſcãt, coronidem huic Epiſtolæ imponere me invito cogit, ut videam qvo pacto me brevi ab illis litigationibus extricare poſſim, ſum

Sereniſſima Princeps

Excellentiæ Tuæ
Humilimus & obſeqventiſſimus
Servus

Deſcartes.

JOHAN.

Joannis Rhodii

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM

Centuriæ Tres.

FRANCOFURTI,

Impenſis Laurentii Sigismundi Cörneri, Bibliopol.

cIɔ Iɔc LXXVI.

Illuſtriſſimo Excellentiſſimoqve Domino

D. CHRISTIANO THOMESEN

Toparchæ in Stougaard, Eqviti aurato,

Regio Cancellario & Regni Daniæ Senatori.

NAturæ arcana inqvirentibus cauſarum notitia perdifficilis eſt; ſiqvidem tenebris obſitæ magno ingeniorum ſupplicio non aliunde innoteſcunt qvàm dubiis experimentis, qvæ magis ſenſibus, qvàm rationis uſu percipiuntur. Oculis nempe obſervata, vel auditu confirmata, eas formant diſciplinas, qvas verius

conjectura, qvam certis rationu
momentis concipimus.

Hujus generis artibus præſta
qvæ mortalium ſaluti excogita
prædictionibus potiſſimum ſtab
liendis majorum inſtituto bina ſi
fulcra vindicat, Rationem & Exp
rientiam; qvorum adminicul
qvoad mentis hebeſcentis patit
ratio, in rerum intima penetratu
Et ſane freqventi diutinaqve op
exercitatione, non iis modò expe
dendis, qvæ obveniunt qvotidi
ſed etiam diligenti obſervatio
eorum, qvæ rarius ac præter op
nionem contingunt; ne valetudi
præfectꝰ inuſitatis eventis animu
deſpondeat, aut inopinatum plar
putet, qvod uſus aliqvando accidi
ſe docuit. Fortunæ verò prim
heic locus eſt, nec inferior ſedulit
ti, ſi laboris minime pertæſa vir
ingenii ſolertia promovet.

Divinæ prope ſcientiæ, qvæ no

rar

irò conclamatos ab orco reducit,
vanto hæc fuerint uſui, nemo Te
ctius noverit Vir Maxime, qvi à
nebris optimarũ literarum ſtudiis
xcultus varia exterorum conſve-
dine, non otioſa peregrinatione,
ræclara virtutis ac ſapientiæ com-
endatione illud es dignationis fa-
igium adſeqvutus, ut Sereniſſimi
rincipis CHRISTIANI QVIN-
'I jam cœlitibus adſcripti adole-
entia tuæ moderationi in ſpem
nperii credita fuerit. Inde ad-
iiſſus in Divi Parentis interiora
onſilia, poſtqvam Legati munus
l PHILIPPUM QVARTUM
egem Hiſpaniarum potentiſſi-
ium eximia dexteritatis laude o-
iviſſes, Regni Cancellario incom-
arabilis prudentiæ rebus humanis
xemto omnium deſtinatione jam
im ſubrogatus graviſſimum onus
tegritate maxima ſuſtinuiſti. Ea
lenius perſpecta, immortalis me-

moriæ CHRISTIANUS QVAR-
TUS ingentis animi Heros T
Cancellarium delegit, cujus matu-
ris conſiliis etiamnum ſumma r
rum ac tanti imperii moles incum-
beret, cui ſub FRIDERIC
TERTIO Sapientiſſimo optim
qve Rege pari fide ac probitate ſu
ficeres. Longam verò Muſarum
chorus hanc tibi ominatur felicita-
tem, qvi eas tuo foves præſidio
qvo literarum iſtic gloria nititur.

Qvam ob rē nec à tuo genio ne
à meo in tua merita obſeqvio ali-
num fuerit, hoc otii mei ſatis nego-
tioſi ſpecimen tuis auſpiciis in lu-
cem proferri: de qvo Te præte
vix qvisqvam æqvius judicium fe-
cerit, qvandoqvidem & ejus rati
jure qvodam menti tuæ debetu
rerum omnium capaciſſimæ, qvæ
ſtudiis continentur. Si Te optatu
facilem impetravero, tantum ei
nominis tui ſplendore accedet au-

torita

oritatis, qvantum à comitate favoris: cujus ea jam diu in pectore meo ærent monumenta, ut qvicqvid n poſterum ab ingenii mei tenuiate humano generi poſſit commodari gratus libensqve tuum id omne profitear,

Vitam ac fortunas cui crediderim meas.

Patavii Calendis Auguſti ANNO cIↃ IↃc LVII.

Ampliſſimo nomini tuo

Devinctiſſimus

JOANNES RHODIUS.

LECTORI BENEVOLO.

DIuturnis crebriſque languenti-um exemplis cùm naturæ, tùm artis munere fati atque ſaluti reconditi eventus non publicandi ingenii gloria producuntur in medium, ſed tuo mi Lector, uſui: qui facilè noſti, quod non ratione ſcrutamur, non inveniri, niſi caſu. Æquiorem te quidem ſpero, quam ut fabulas putes, quorum maximam partem oculata fide accepi, reliqua ſummorum virorum indicio avidus arripui, artis noſtræ anteſignanos in hoc ſecutus; quandoquidem neque Coo ſeni omnis medicinæ parenti, nec Galeno interpreti ejus maximo ea diligentiæ ratio diſplicuit. Uberioris fidei cauſa utplurimum ſingula ſui temporis ſpatiis definivi; nec minus rei conſcios teſtes adſcivi certos, ac præterea optimos cujuslibet ævi ſcriptores, quibus ſimiles caſus mortalium vicisſitudo ſuggeßit, vindices advocavi veritatis. Quam brevitate perſpicua ſum ita proſequutus,

ut

ut ne in verba ambitioſo arduum Apollonii Philoſtrato dictum reponeretur : Κέϱ-δ͡ος εἴη, μήτε πιςέυειν, μήτε ἀπιςεῖν πᾶσιν. *Veriſimile eſt autem id à quoque prætermiſſum, quod ipſe non cognoverat; à nullo id, quod non viderat, fictum.* Cui graviſſimo Celſi effato ſi acqvieveris Lucilii augurio *evadet ſaltem aliquid aliqua, quod conatus ſum.* Vale, hisqve favente Hygea perfruere.

QVæ ex inconſtanti & inani rerum fulgore advenit humano cœtui gloria, ita in lubrico ſita eſt, mi Rhodi, ita in vacuo fundata, ut nec pedem tuto inibi figere cuiqvam temere credentium ſinat, aut diutius in veſtigio immorari, imò ſua ſponte corruere, & qvamcitiſſimè cum evanido crepitu inter tenues auras diſſipari compertum ſit. Hanc ſibi fortuna, qvæ humanæ rationis utramqve paginam tenet, ex mortalium ſuperbia in eorundem extremum ludibrium contexuit corollam, ut exultans plenum eorum triumphum ageret. Sic fert hominum conditio, ſic capitum è limo non exſurgentium ignavia præ ſe fert, ut qvum modicum faſtigium ſuum leviter ſupergreſſi ſint continuò concidant. Non æqvè tamen talem agnoſcunt exitum, qvi feliciori niſu ſolida fundamenta virtutis tanqvam ſecurum obſidem obtinere conati ſunt. Hi etenim obicibus qvibuscunqve minimè remorantibus ad perennitatem properant ſecuro greſſu: nec fatali ævi furori datum eſt in eosdem graſſari mortalitatis intrinſecam necesſitatem non agnoſcentes, ut qvi veluti in gremio Jovis depoſiti fulmina negligant, nec amplius cruento Marte aut ancipiti alea pugnaturi de victoria decernant ſupra omnem invidiam jam collocati. Qvod inter omnes hujus ævi viros te non

feciſſe

feciſſe, Vir doctiſſime, non eſt, qvi modò ambigat, ob tam varia & præſtantiſſima tua monimenta jam publici juris facta in poſterorum tùm admirationem tùm commodum. Utinam qvi ex priſcis ingenio præpollentes in abditarum rerum naturalium inveſtigatione nullam aut intentatem aut inexſpectatam rem relinqventes ſeſe inſinuarunt, etiam pari pietate illa ſui ingenii præclara ſpecimina poſteris ac tu demandaſſent, nec alienis bonis vitam fraudare concupiiſſent, multa vel occultando, vel ſupprimendo tam præclara & jucunda, tamqve uſui neceſſaria. In tenebris namqve tot mira non laterent, qvæ ſepulta deliteſcunt adhuc cum univerſali hominum mœrore. Lucubrationes tuas doctiſſimas & ſanè ad Epicteti lucernam elaboratas, qvas nuper ad me transmiſiſti, ut ſimul & ſemel ſummam decus non levemqve exiſtimationem mihi afferre conareris, bibulis tùm oculis tùm auribus avidè exhauſi maxima cum mea jucunditate, tùm admiratione. Qvam breviter enim qvamqve luculenter tuo eruditiſſimo calamo totam ferè medicinam in obſervationibus complectaris, judicent qvi emunctiſſimæ naris ſunt, dum paululum materiam introgreſſi divinam hanc ambroſiam pretioſiſſima ingenii tui libamina deguſtaverint. Qvibus ergò cor ſapit, his ſapidum reddent palatum. Optimum namqve vinum prius Sileno fore guſtandum cenſuit Ulyſſes Euripidis. Urbane namqve ipſum Silenum alloqvitur,

Vin' tu prius guſtare, qvid vini feram?

Ad qvæ Silenus:

Ita

Ita convenit: nam guſtus emtorem vocat.

Perge ergò, mi Rhodi Muſarum Apollinisqve alter ocellus Magno Myſtagogæ litare; divinos ut tandem etiam honores adipiſcaris jam tum cæteris qvaſi præſtantior à Diis dilectus. Nec mirum. Etenim non unicam hecatomben, aut bovinam, ſed triplicatam hancqve humanam in hoc tuo ſingulari opere, non Marti Ultori, aut Tauricæ Dianæ, ſed Jovi Servatori Æſculapioqve ſalutis datori, non ſine mola ſalſa voviſti, obtuliſti. Age jam ſupremum faſtigium adeptus non ſine artis medicæ oſtento, dum ex Hippolyto modo, tot ægrorum centenis cæſim punctimqve lacero, Virbium facis immortalem. Et ſanè, vir Clariſſime, medicæ facultatis nunc per tractandæ potiorem partem delegiſti, ut inde veram immortalitatem auſpicareris tibiqve pareres. Ea etenim medicinæ pars cæteris præſtare videtur, in qva ſenſilium rerum & ſingularium tractatio inſtituitur, immò toti in eadem parte vel tractanda vel monſtranda diligentiores ſe exercuere. Ut enim hæc tota ferè obſervatione conſtat, qvæ niſi diutina annotatione variaqve & longa percipi qveat, & hæc niſi ex ampla & exqviſita doctrina ex univerſalioribus rebus deducta comparari poſſit, profectò virum ſummum abſolutiſſimumqve reqvirit. Hinc præ cæteris doctiſſimus viſus eſt Hippocrates in Epidemicis. Hoc in pulvere ſudarunt viri doctiſſimi ante te plures: non ea tamen, qva tu, felicitate metam attigerunt. Qvibusdam enim ſtilus defuit, aliis judicium: qvamplurimi conſarcinata ex aliis opera mendicarunt: Eam ſicut ante aliis gloriam

ademiſti, ita ſubſeqventibus victoriam præripis. Qvod primum eſt, nihil heic Chriſtianæ pietati adverſum, nihil caſtis moribus deteſtabile, nihil Principum majeſtati inviſum. Deus Optimus Maximus in poſterorum comodum præſentiumqve utilitatem Neſtoreos tibi commodet annos, ut qvæ mente jam concepiſti magna & præclara præter hæc jam elaborata edas. Patavii Calend. Januar. An. cIↄ Iↄc LVII.

Georgius à Turre,
In Patavino Lyceo Rei herbariæ Profeſſor Ordinarius, Hortiq; Publici Præfectus.

No

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

H*Avento veduto per fede del R. P. Inquiſitor di Padoa, che nel Libro intitolato* Joannis Rhodii Obſervationum Medicinalium Centuriæ tres, *non vi è coſa contro la noſtra Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro non vi eſſet coſa contra Principi, è buoni coſtumi, concedemo licenza poſsi eſſer ſtampato, oſſervando le leggi in queſtio propoſito con preſentarne due copie per le noſtre liberarie publiche. In quorum fidem Data li 22. Gennaro 1656.*

Stampator Frambotto in Padua.

Zuanne Donado Riſ.
Andrea Piſani Proc. Riſ.
Nicolò Capello Riſ.

Franceſco Verdizotti Segret.

Di

Die 16. Januarii 1657.

OPus præſens manuſcriptum in 4. chartarum 117. cui titulus Joannis Rhodii Obſervationum Medicinalium Centuriæ tres; qvarum principium *Febre &c.* & finis *qvæ jam cecidere*; fuit pro impreſſione Paduæ viſum, & admiſſum, cum in ipſo nihil contra Regulas impreſſionis reperiatur. Die, Menſe, & Anno qvibus ſupra.

Ita eſt. *Ego Frat. Antonius Vercellus de Lendenaria Inqviſitor Generalis Paduæ manu propria.*

SENECA

EPIST. VI.

LONGUM ITER PER PRÆCEPTA, BREVE ET EFFICAX PER EXEMPLA.

ELENCHUS OBSERVATIONUM.

CENTURIA I.

Obs.

1. EPhemera periodica terribilis pag. 1
2. Ephemera præſagium ſingulare 2
3. Ephemera à ſomno ibid.
4. Febris Ardens ab enormi gaudio 3
5. Febris Qvotidiana intermittens qvatuor annorum 4
6. Tertiana breviſſima ibid.
7. Tertiana ſexies repetens 5
8. Tertiana ſpuria urinæ profluvio ſublata ibid.
9. Febres intermittentes malignæ ibid.
10. Tertiana intermittens maligna 6
11. Qvartana ex pituita ibid.
12. Qvartanæ certæ familiæ peculiaris 7
13. Qvartana brevis ibid.
14. Qvartana diuturna ibid.
15. Qvartana ſexies recurrens 8
16. Qvartana nigris maculis terminata ib.
17. Qvartana imaginationi cedens 9

18. Septena febris 9
19. Octona febris 10
20. Hectica peculiaris 11
21. Febris Maligna ſine criſi die ſeptimo ſoluta ibid.
22. Febris mali moris ſine coctione ceſſans ibid.
23. Eſſere ſeu Epinyctides febris expertes 12
24. Variolæ ſine febre ibid.
25. Variolæ criticæ 12
26. Variolæ benignæ 13
27. Exanthemata non maligna ibid.
28. Febris Petechialis præter coctionis indicia deſinens ibid.
29. Aqvoſum frontis tuberculum 14
30. Capitis contuſio curata ſine perforatione cranii 1
31. Cranii vulnus præter ſpem ſanatum 1
32. Stili fruſtulum diu in cerebro relictum. Cerebri vulnus non ſemper letal 1
33. Duræ membranæ gummata 2
34. Cranii caries. Paralyſis ibid.
35. Vigilia ab eſu ferinæ 2
36. Coma, cervice inuſta curatum. Sangvi albus ibid.

37. C

7. Catalepſis cum ſomnolento comate, Opiſthotono Furore atqve ſuffocatione uteri 22
8. Delirium à clyſtere ex vino & aromatibus 26
9. Phrenitis à cerebri inflammatione 27
0. Phrenitis illæſo cerebro ibid.
1. Phrenitis à vini potu ibid.
2. Phrenitis per majorem oculi angulum, item per aures ac nares ſoluta ib.
3. Melancholia trepano ſublata 28
4. Melancholiæ hypochondriacæ facile remedium ibid.
5. Mors metu illata 29
6. Hydrophobia, mente ſana 30
7. Ἡμιπληγία & ἀμαύρωσις ab intempeſtivo ſudorifero ibid.
8. Concuſſio corporis diarrhœa ſedatur ibid.
9. Convulſio à ſero 31
0. Convulſio ungvibꝰ incautè reſectis ib.
1. Convulſio mortifera nervo manus leviter puncto ibid.
2. Nervo digiti puncto convulſio exitioſa 32
3. Convulſio miraculo curata ibid.
4. Incubus per vigilias invadens 33

55. Epilepſia à carnoſo cerebri tubercul ibid
56. Epilepſia ex hypochondrii dextri ob-ſtructione 34
57. Epilepſia à dextræ manus pollice ib
58. Epilepſia à genu intumeſcente ibid
59. Epilepſia à vermibus 35
60. Epilepſia à prægnatione ibid.
61. Epilepſia à Meſenterio 36
62. Epilepſia ab herpete ibid
63. Epilepſia poſt annum qvintum & vice-ſimum ſanata ibid
64. Epilepſia ſangvinis miſſione curata 37
65. Epilepſia hæmorrhoidum fluxu re-preſſa ibid.
66. Epilepſia terebratione cranii ſanata ib
67. Apoplexia à ſangvine 38
68. Apoplexia duarũ horarũ & vapore ib
69. Sæviſſimus capitis dolor perforation cranii ſublatus 39
70. Cephalæa trepano curata ibid
71. Diuturnus capitis dolor ſaccharo roſa-ceo ſedatus 40
72. Inveteratus capitis dolor phænigmi perſanatus ibid
73. Capitis dolor aperta ſaphena profli-gatus ibid

74. Ca

4. Capitis dolor excreta tænia levatus. Cranii caries detecta 41
5. Capitis dolor à lue Venerea fontis calidi ſtillicidio ſublatus 42
6. Hemicraniæ pertinacis auxilium ibid.
7. Plica Polonica ibid.
8. Vulnus ad oculum letale 43
9. Ophthalmia cucurbitulis remota ibid.
0. Lippitudo à freqventi perſicorum eſu ibid.
1. Suffuſio inter corneam & uveam tunicam 44
2. Aqveus humor oculi renatus ibid.
3. Vitreus humor oculi putreſcit 45
4. Procidentia oculi curata ibid.
5. Parotides binæ ſalutari eventu 46
6. Hirudines auribus admotæ corporis tumorem excitant 47
7. Arteriæ ſecundum aures diſſectæ ſine omni ſterilitatis noxa ibid.
8. Os ethmoides tuſſi rejectum 49
9. Hæmorrhagia narium ad vituli boatũ, & vitulinæ conſpectum excitata ib.
0. Hæmorrhagia narium enormis ibid.
1. Hæmorrhagiæ narium præſens auxilium; etiam Vulneris 50
2. Puellus dentatus in lucem editus 51

93. Serius erumpens dens molaris 5
94. Dentes renati extrema ætate ibi
95. Stili ferrei portio in dentis alveo dete
cta 5
96. Dentibus ignis è ligno excuſſus ibic
97. Maxillæ robur 5
98. Maxillæ luxatio ibic
99. Steatoma colli mortiferam 5
100. Aſperæ arteriæ inflammatio ibic

CENTURIA II.

1. PUlmonis inflammatio letalis 5
2. Pulmonis tuberculum ſolis externi
curatum ibic
3. Calculus tuſſi redditus 5
4. Pulmonis hydrops 5
5. Pulmonis vulnus perſanatum ibic
6. Pulmo ſiniſter putris, dextro integro 5
7. Pulmonis lobus dexter corruptus, ſini
ſtro ſano ibic
8. Phthiſis citra ſangvinis aut puris ſpu
tum 6
9. Tabis periculum hæmorrhoidum flux
declinatur 6
10. Pleuritis vera in dorſo ibic
11. Pulmo ante Pleuram læſus in pleurit
de ibic

12. Pleu

12. Pleuritis cum verme per vomitum rejecto 62
13. Pleuritis per urinam terminata ibid.
14. Pleuritis ſudore judicata 63
15. Pleuritis ſputo, urina, alvi dejectione ſoluta ibid.
16. Pleuritis vini potu ſedata ibid.
17. In Pleuritide vena lateris aperta 65
18. Vulnus thoracis grave ſenatum ibid.
19. A thoracis vulnere mictio cruenta ib.
20. A ſuppuratione mictio puris 66
21. Suſpirium à ſiccitate pulmonis ibid.
22. Suſpirium pulmonibus inflatis 67
23. Reſpiratio difficilis pulmonibus coſtis adhærentibus ibid.
24. Reſpiratio difficilis ab omento pingviori ibid.
25. Item à meſenterii glandula 68
26. Reſpiratio difficilis à compreſſione ſepti transverſi ibid.
27. Orthopnœa ex ſero venarum ibid.
28. Orthopnœæ curatio 69
29. Vocis abſciſſio ex vinaceis, item præ metu ibid.
30. Sputum ſangvinis innoxium 70
31. Copioſum ſangvinis ſputum ſine noxa ibid.

32. Sangvinis ſputum ſine tuſſi 7
33. Sangvinis purisqve ſputum ſine tuſſi ibid.
34. Anniverſarium ſangvinis ſputum ſine febre ibid.
35. Sangvinis ſputum à ſanato pedis ulcere 72
36. Aneuryſma pectoris à vomitu ibid.
37. Puellæ papillis lac emulctum ibid.
38. Pericardium à vulnere ſanatum 73
39. Cordis vulnus durante aliqvamdiu vita 74
40. Cordis & arteriarum omnium palpitatio ibid.
41. Cordis palpitatio ſoluta urinis & herpete 75
42. Pulſus privatio ibid.
43. Pulſus in Paralyſi occultus ibid.
44. Pulſus in carpo nullus, vel in alterutro tantùm 76
45. Pulſus media ſyſtole retractus: intervallis aliqvot intermittens longo tempore 77
46. Deglutitio difficilis à caruncula gulæ ibid.
47. Deglutitio difficilis à tumore ſchirrhoſo 78

48. De-

8. Deglutitio abolita 78
9. A pyro cocto devorato mors ibid.
0. A pyro crudo improvidè deglutito ſuffocatio 79
1. Atramentum ſcriptorium impunè hauſtum ibid.
2. Ventriculi abdominisqve inflatio ſubita ibid.
3. Ventriculi ab uvis adſumtis eroſio 80
4. Inedia plurimorum dierum ibid.
5. Inedia decem dierum ſine ſenſu & motu 81
6. Juvenis nullo potu vitam agens 82
7. Malacia hæmorrhoidũ fluxu ſanata 83
8. Caſei averſatio miranda ibid.
9. Ruminationis humanæ cauſa ibid.
0. Singultus à pituita difficilis curatus 84
1. Singultus continuus 85
2. Vomitus eſſentialis copioſus ibid.
3. Vomitus à gemino ventriculi ſteatomate perpetuus 86
4. Vomitus ſangvinis ſalutaris ibid.
5. Vomitus cruentus cum dejectione bilis atræ ibid.
6. Vomitus miſſione ſangvinis curatus 87
7. Vomitus eodem remedio ſedatus ibid.

68. Vomitus pane bis cocto repreſſus: q
etiam deſtillationi remedio 8
69. Cholera periodica 8
70. Cardialgia à flatu ibi
71. Cardialgia ex potu frigidæ 8
72. Cardialgia ab hirudinum morſu, it.
ſerpente ibi
73. Cardialgia à vermibus ibi
74. Inteſtinorum lapis homini cum veter
no communis 9
75. Membranæ inteſtinorum excretæ ſin
noxa 9
76. Inteſtini coli ſchirrhus ibi
77. Coli dolor inteſtinis conglutinatis il
78. Coli inflammatio letalis 9
79. Iliacus dolor cum dejectione ibid
80. Volvulus hydrargyro propinato cu
ratus ibid
81. Alvi ſuppreſſio indemnis 9
82. Alvi adſtrictio lethalis ibid
83. Alvi retentio ab uſu decocti ibid
84. Diarrhœa ab urinæ ſuppreſſione 9
85. Diarrhœa ſangvinea critica ibid
86. Dyſenteria à potu lixiviæ pernicioſ
9
87. Dyſenteria diuturna cum febre, ac pa
ralyſi 9

88. Dyſenteria cum febre ſine dolore ibid.
89. Puris per alvum excretio, à dextri brachii ulcere; itemq; à medicamento; à ſuppuratione, uteriqve abſceſſu 98
90. Urina per alvum emiſſa ibid.
91. Feces per muliebria egeſtæ 99
92. Feces ex ingvine redditæ 100
93. Hæmorrhoidum fluxus ingens ibid.
94. Hæmorrhoidum excreſcentium curatio facilis ac tuta 101
95. Meſenterii abſceſſus ſine febre 102
96. Meſenterii pars oſſea 103
97. Pancreas ſcirrhoſum 104
98. Abdominis tumor ibid.
99. Umbilici calculus: tum abdominis ib.
100. Inveterata hypochondriorum obſtructio curata 105

CENTURIA III.

1. HYpochondrii dextri tumor curatus 106
2. Veſicæ felleæ calculi 107
3. Veſica vellis oſſea 109
4. Hydrops jecore ſano ibid.
5. Hydrops ab hæmorrhoidum ſuppresſione 111

6. Hy-

6. Hydrops nothus 112
7. Hydrops particul. à coli abſceſſu ib.
8. Halitus pueri hydropici ſulfureus 113
9. Leucophlegmatia inunctione Mercu-
liali per urinam ſaluta ibid.
10. Paralyſis à ſiniſtro Leucophlegmatiæ
remedio 114
11. Hydropis promtum remedium ibid.
12. Hydrops vini generoſi potu & abdo-
minis inconſulta perforatione cu-
ratus 115
13. Aſcites vino abſinthite curatus ibid.
14. Aſcites paracenteſi ſanatus 116
15. Aſcite laborans, medicamentis vehe-
mentioribus purgata maſculum
peperit ibid.
16. A deſtillatione Anaſarca 117
17. Malleolorũ ſcarificatio periculoſa 118
18. Copioſa vacuatio ſeri non ſemper ex-
itialis ibid.
19. Icterus à dolore Colico 119
20. I cterus ab eſu herbarum ibid.
21. Icterici jecur ſubviride ibid.
22. Renis colliqvati calculus 120
23. Dolor nephriticus epithemate frigido
ſedatus; pariter ventris; urina fri-
gidæ beneficio prolecta 121

24.Cal-

4. Calculi veſicæ numenroſi 122
. Ulcus veſicæ ſanatum 123
5. Lotium à veſicæ callo ſuppreſſum ibid.
7. Urina retenta compreſſo veſicæ orificio 124
3. Urina diu ſuppreſſa ibid.
9. Urina plurimis diebus nullo dolore retenta 125
. Lapidis nephritici vis eximia in ſuppreſſione urinæ ibid.
. Urina nigra non ſemper ſiniſtri judicii 126
. Urina lactea. Sangvis ejusdem coloris 128
. Urina mucoſa 129
4. Urina purulenta 131
. Urinæ vermiculi ibid.
5. Mictio lumbrici 133
7. Hydrargyrum mictione redditum 135
3. Hydrocele cauterio curata 137
. Præputii cancer à concubitu cum uxore ibid.
0. Mulier barbata 138
1. Fœminæ in marem mutatio ibid.
2. Clitoris 139

43.Pru-

43. Pudendi muliebris tuber ingens 140
44. Teſtis pili, etiam Renum 14
45. Uteri cancer, cum aqvoſo teſticuli tumore 14
46. Steatoma uteri fundo adnatum ibid
47. Perpetuus menſium defectus 142
48. Menſtruus vetulæ fluxus ibid
49. Menſes per umbilicum vacuati 14
50. Menſes per crus purgati ibid
51. Menſes è dentis alveo ſtillantes 14
52. Superfœtatio familiaris ibid
53. Mola viduæ ibid
54. Conceptus ſine menſium fluxu cum partu ſine purgamentis 14
55. Partus falſus 14
56. Partus multiplex 14
57. Ovum à muliere excluſum 15
58. Gemelli ſpecie humana editi à vacca ibid
59. Partus monſtroſus 15
60. Pedes manuum vice functi ibid
61. Vermes in venis 15
62. Rami iliaci vermes ibid
63. In principio arteriæ venoſæ oſſicul 15
64. Habitus corporis verminoſus cum variolis & puſtulis ibid

65. Ver

Vermis cum bilioſis excretus 155
Vermis monſtroſus diuturni morbi & mortis cauſa 156
Excretiones ſymptomaticæ interdum ſalutares ibid.
Medicamentum leniens in habitum corporis translatum 157
Sangvis apprime ſeroſus ibid.
Sangvis nigerrimus ibid.
Sangvis ab hirudinibus admotis fluxus repreſſus 158
Sangvis mere pituitoſus ibid.
Pituita puri ſimillima 159
Sudor periodicus ibid.
Meliceris viridis ibid.
Fœmina laborans Arthridite. 160
Arthritis curata. 161
Coxæ dolor ſanatus 162
Remedium huic dolori efficax ibid.
Osſis coccygis luxatio reſtituta ibid.
Jecur non ſemper luis Venereæ ſedes ibid.
Lues Venerea contagioſa 163
Fœtus cum tophis Venereis editus: alter obſitus variolis 164
Mercurii dulcis ad luem Veneream uſus 165

85. Hy-

85. Hydrargyri uſus in corpore humano 1
76. Hydrargyri inunctio periculoſa 1
87. Hydrargyrum admoto emplaſtro inhære
1
88. Gangræna letalis à veſicantibus ibi
89. Viperæ morſus ibi
90. Scorpii partus; vis venefica Antidotum 1
91. Scorpii impunè vorati, etiam aranei 1
92. Oſſa à Tartaro corroſa ibi
93. Os humeri ab aëris colliſu fractum, ab eode
cœcitas & ſurditas 1
94. Cruris amputatio à febre liberat ibi
95. Leguminis ex ære cocti eſus letalis 1
96. Flammula Jovis cocta in acetaria color
1
97. Naturæ in faba miraculum 1
98. Serpentibus alvi excrementum odore m
ſchi ibi
99. Roſæ rubentis odor qvibusdam infeſtus, et
am letalis 1
100. Mannæ pondus varium 1

JOA

JOANNIS RHODII OBSERVATIONUM MEDICINALIUM CENTURIA I.

I.

Ephemera periodica terribilis.

FEBRE in omnigena morborum colluvie mortalibus infeſta nullum freqventius malum, præcipuè Diaria legitima, cauſis plerumqve tàm levibus, ut vix Medici opem desideret. Naturæ tamen & hæc qvandoqve di-erſam vim, ne dicam ex peculiari conſtitutio-e malignitatem prodit. Ejus generis febre nunc ta defuncti Fauſtus & Hippolytus Soncini Bri-æ nobili gente oriundi, patrueles laudatæ me-oriæ Joannis Baptiſtæ, qvi non ita dudum Pa-vii & Piſis ſummâ laude in prima cathedra Me-cinam docuit, omnibus annis in triennium tavii corripiebantur cum dolore capitis, vigi-s, deliriis, & compreſſione pulſuum, aliiſqve gnis à privata corporis diſpoſitione adeò hor-

 rendis,

rendis, ut maligna videretur. Sed qvàm efficax naturæ vis profligavit. Ea nempe largo lotii profluvio ſolvebatur. Deſtillatio igitur, vel oppilatio putredinis expers, febrem induxit : qvæ, materiâ celeriter diſcuſsâ, neutiqvam in putridam transire potuit.

II.

Ephemeræ præſagium ſingulare.

MItior longè, qvæ religioſum virum Bernhardum Superantium Nobilem Venetum in familia Clericorum Regularium Anno cIↃ IↃC XXII. Patavii degentem, ſeqventi die certo certiùs invadebat, qvoties per qvietem pridiè ſibi viſus fuiſſet pane candido in jure intrito clinici *panatella* veſci. Natura forſan huic alimento per morbum ipſi familiarem aſſveta qvoties infeſtabatur, hâc rei præteritæ velut imagine ſenſum excitabat.

III.

Ephemera à ſomno.

ANno cIↃ IↃc xxv. qvidam Patavii ſuperſtes à ſomno meridiano duarum vel trium horarum æſtate febricitabat. Obortâ ſcilicet inflammatione à tranſpiratione cohibita. Hinc Latini Hippocratis oraculo Cap. VI. Lib. III. *calor excitatur ſomno.* Sed & Febrem à nimio ſomno propt

ꝛopter impeditam alimenti diſtributionem ob-
ervavit Thomas Campanella Med. Lib. VI. Part.
V. Art. I. Cap. III.

IV.
Febris Ardens ab enormi gaudio.

ANno cIↃ IↃC XXIX. III. Mart. juvenis ſtudioſus viceſimum excedens annum ob illicita
rma cuſtodiæ traditus, qvum repentè denuncia-
etur, liberatum iri, præ ſubita & enormi lætitia
ebre fuit correptus. Interveniente autem morâ
vâdam, ea cum delirio ac manifeſtâ exacerba-
one in continuam abiit. Qvæ non Continens,
erùm Ardens ex humore bilioſo ac fermè atrâ
ile putreſcente in vaſis majoribus intra alas &
ngvina. Huic fortaſſis occaſionem præbuerat
phemera ex vehementi ſpirituum conflictione
nimio gaudio; unde poſteà putrida in corpore
iſpoſito maligna, qvam puſillanimitas fractis
iſſolutisqve ſpiritibus vitalibus auxit, ad cor
evehens humorem pernicioſum. Morbi die
ono ſangvis denuò cucurbitulis cum ſcarifica-
one vacuatus: veſicantia qvatuor coxis & cru-
bus admota: Leniens medicamentum intra
em undecimum iteratum: Alterantia, & Cor-
borantia interna atqve externa continuata.

Propinato aliqvamdiu ſero lactis depurato æger à morbo per alvum ſoluto demum convaluit.

V.

Febris Qvotidiana Intermittens qvatuor annorum.

QVotidianam Intermittentem diuturnis febribus accenſet Galenus de Criſibus Lib. II cap. VI. qvi Comm. III. Progn. XXIII. notat cauſam triplicem prorogationis febrium, partem nempe affectam curatu difficilem, aut humore crudos, incoctosqve, & craſſos, aut errorem. Sed Comm. IV. Aph. XLIV. ex his potisſimùm copioſos & craſſos, vel frigidos, aut glutinoſo humores, qvibus coqvendis plurimum tempori opus eſt. Suo id exemplo verum eſſe Ann cIↄ Iↄc XXII. Septembr. XIII. oſtendit in vale tudinario D. Franciſci, decumbens ætatis medi fœmina, qvam febris cum levi rigore qvâvis no ĉte qvadriennium invadebat.

VI.

Tertiana brevisſima.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. Patavii freqventes occur rebant febres Tertianæ, qvæ horas decem ve duodecim durantes poſt unam accesſionem de ſierunt. Sed ex eventu, factâ nempe evacuation materiæ peccantis.

VI

VII.

Tertiana ſexies repetens.

JOannes Prevotius, Medicus admodùm ingenioſus ac diligens, intra qvatuor & viginti horas diſtinctè obſervavit, ſex Tertianas qvotidiè invalentes; qvarum qvatuor perfectam intermiſſionem attigere. Qvod vario adſcribendum materiæ putreſcentis loco.

IIX.

Tertiana ſpuria urinæ profluvio ſublata.

REligioſus qvidam è cœtu Theatinorum Tertianâ nothâ diu vexatus, critico urinæ copioſiſſimæ & à ſalſa pituita valdè acris per qvatuordecim dies profluvio, cum eroſione meatus urinarii aliisqve ſymptomatibus graviſſimis, ex morbo evaſit. Hanc in rem faciunt Galeni verba de Criſibus Lib. III. Cap. VII. *Si qvis ſubito morbo liberatur, omninò huic aliqva evacuatio effatu digna contingit.*

IX.

Febres Intermittentes malignæ.

ANno cIↃ IↃC XXIX. qvum febres malignæ plurimos infeſtarent, etiam Intermittentes è ſymptomatum vehementia ejus generis videre licuit plures. Qvas Galenus qvoq; agnovit Epidem. VII. T. LXXXI. apud Valleſium, declaravit

Petrus Salius de Febre Peſtilenti Cap. X. & indicavit poſt Mercatum Pr. Lib. VI. De Tertiana perniciosa Claudinus Reſponſo VII. itemq́; Jo. Thomas Minadous de Febre maligna Lib. I. Cap. XXII. Peſtilentes etiam cum gravitate cœli enumerat Carolus Gallus de Febr. Peſtil. Tract. I. Cap. I. in qvibus cor primò non afficitur. Zacut. Luſitanus Medic. Princip. Hiſt. Lib. I. Hiſt. II.

X.

Tertiana Intermittens maligna.

M. Antonii Gabrielii Patricii Patavini Eqvitis frater Petrus Febre Tertianâ intermittente correptus intra diem qvartum extenuabatur. Convaleſcenti maculæ proruperunt lividæ; mali moris indices.

XI.

Qvartana ex Pituita.

ANno cIↄ Iↄc XXVII. Antiſtita Qvartana laborans bis in die veram Pituitam ſine ulla ſucci melancholici nota vomuit. Pituitæ qvidpiam ſemper melancholiæ in qvartana permiſtum agnovit Joannes Baptiſta Montanus de Febribus Conſ. XXIV. Imò humores hi ſunt affines. In hac etiam febre ſangvinis frigidi ſtillam reperit V. C. Petrus à Caſtro. Infantes itidem

dem qvartanâ laboráſſe memorat Sennertus de Infant. Curat. Part. II. Cap. II.

XII.

Qvartana certæ familiæ peculiaris.

PAtavii qvidam hoc ipſo anno erant ſuperſtites; qvi ſcabie fœdarentur, niſi Qvartanâ qvotannis correpti. Benedictus Silvaticus vir illuſtris cœnobitam cucullatum obſervavit qvartanâ correptum, qvæ ſcabie ſolvebatur.

XIII.

Qvartana brevis.

ANno cIↃ IↃc xxvii. Qvartanæ Patavii tertio vel qvarto paroxyſmo terminabantur. At hæ non à viſcerum debilitate, ſed ab errore externo ortum trahebant. Qvalem Anno cIↃ IↃc xxv. Joannes Speronius fuit expertus.

XIV.

Qvartana diuturna.

HIeronymi Fabricii ab Aqvapendente V. C. conjux tredecim annis Qvartana per ſucceſſionem paroxyſmorum continua, & interdum uno die triplici acceſſione affligebatur. Alexander Maſſaria de Febribus Lib. vii. Cap. xi. tradit matronam Venetam duobus ac viginti annis Qvartanam traxiſſe. Alios ad trige-

ſimum tertium Joannes Schenchius Lib. VI. Obſ. XXXIX. Qvam tamen Hippocrates VI. Epidem. Com. VI. affirmat, ultra annum neutiqvam progredi. Qvod Galeno in Comm. veriſimile, miſſo ſangvine, ac purgato corpore.

XV.
Qvartana ſexies recurrens.

ANno CIↃ IↃC XXVI. XII. Junii Carolus Benonius Qvartana duplici, qvovis die ter invadente, ab intempeſtivo medicamenti ſudatorii uſu contracta cum deſtillatione ac delirio jam confectus poſtridiè obiit. Tales ejusdem ſpeciei febres invicem complicatæ Galeno de Criſibus Lib. II. cap. VII. ubi tres in eodem homine qvartanos circuitus indicat.

XVI.
Qvartana nigris maculis terminata.

ANno CIↃ IↃC XXXII. Qvartanam diuturnam vidit Benedictus Silvaticus Medicorum ſummus Balthaſari Jordano Chirurgo perito in maculas nigras criticè deſiiſſe, iisqve evaneſcentibus planè ſublatam. Albas in qverqvera febri ſemel obſervavit Carolus Piſo de Seroſa Colluvie Sect. VI. Obſ. CLXXVII.

XVII.

XVII.
Qvartana imaginationi cedens.

SPiritus atqve ſangvis imaginatione & appetitu agitantur. Inde plures nullius momenti amuletis, imò ridiculis perſanati. Cujusmodi perhibetur vetulæ cuidam adverſus Qvartanam jocosè præſcriptum:

Donna ria, tu eri giouane puttana:
Ora vecchia ſei tu fatta ruffiana.

Nec eò efficaciùs putarim amuletum ad Hemitritæum Q. Sereno decantatum, aut carmen apud Trallianum Lib. XII. Cap. VII. Fabulæ verò ſimillimum, qvod Suidas in Hiſtor. commemorat de Galeotico medico, qvi morbos verbis fugaret.

XIIX.
Septena febris.

ANno cIↄ Iↄc XXV. Febr. XIV. Pompejus Caimus, Utinenſis Eqves, amplisſimus primæ cathedræ Profeſſor theoreticus, narravit fœminam ſibi viſam, qvam febris die Veneris per integrũ annum feſtaret.

An. cIↄ Iↄc XXIX. Mart. X. cum Joanne Prevotio Doctore noſtro viſimus Jo. Wilhelmum Zarichi Baronẽ Auſtriacũ, cui ſeptendecim circuitibus qvolibet die Veneris usq; ad centeſimũ diem

recurrebat febris, qvæ rigore ceterisqve febris putridæ notis qvatuordecim vel qvindecim horis infeſta. Noſtra etiam memoria vir celeberrimus Joannes Dominicus Sala viro cuidam febre Septenâ qvotannis correpto medebatur. Patavii qvoq; Anni CIƆ IƆC XLII. Calendis Aprilibus mihi narravit Scipio Granmontius Vaſco, Poëta Græcè & Latinè doctus, in Galliis qvovis die Sabbathi triennium integrum febre cum inſigni pedum tumore ſine cauſa evidenti ſe turbatum fuiſſe, ac ſpontè reſtitutum.

XIX.

Octona Febris.

Nicolaus Treviſanus, magni usûs Profeſſor Patavinus, in fæmina qvadam nono die febrem deprehendit ex pulſu Octonam præceſſiſſe. Benedictus Silvaticus etiam bis vidit à Pituitæ copia in veſica putreſcentis; qvæ per urinam ſpiſſam & glutinoſam diſſolvebatur. Æneas Caprilius qvoqve de Febribus Putridis Lib. II. memorat; ſe in nobili qvodam Ferrarienſi per tres menſes qvovis die octavo febrem offendiſſe. Petrus Salius Cap. XII. Annotationum in Altimarum ſibi ejus generis febrem bis occurriſſe. Octonæ qvoq; meminit Joan. Bapt. Codronchius de Hydrophobia Lib. I. Cap. VI. Octonam ex Qvintana prodit Valerius Martinius

Laco-

Laconiſmo Praxeos. Joannes Dominicus Sala narrabat matrem ſuam qvovis die Dominico febricitaſſe; nobilem itidem Patavinam. Nec mirum. *Morbis enim quoq; qvaſdam leges natura poſuit*, ſententia Plinii Hiſtoriæ naturalis Lib. VII. Cap. I.

XX.

Hectica peculiaris.

HEcticam juvenis Veneti è nobili familia, ſine macie, cum calore ac levi madore univerſi corporis, ſine rigore, ſine propenſione in ſomnum, per octo menſes continuatam Joannes Prevotius præter ſententiam reliqvorum medicorum hydrotico ſuperavit. Cujus generis febris toto vitæ curſu bis ei ſeſe obviam dedit.

XXI.

Febris Maligna ſine Criſi die ſeptimo ſoluta.

ANno CIↃ IↃC XXIV. XXIIX. Aprilis Adoleſcentulæ febre malignâ laboranti morbus die ſeptimâ ſine omni vacuatione critica ſolvebatur.

XXII.

Febris mali moris ſine coctione ceſſans.

ANno CIↃ IↃC XXVII. April. XII. Juveni carnoſo, aucupationibus dedito febris continua

nua die ſeptimâ in malignam mutata cum lotio rubro, turbato, cum tinnitu aurium, & vigiliis non temnendis. Exhibita poſt meridiem caſſia, febris omninò ſublata die octavo ſine omni coctionis indicio, remanentibus qvibusdam motibus convulſivis.

XXIII.
Eſſere ſive Epinyctides febris expertes.

ANno cIↄ Iↄc xxxix. Junii xiv. eximiæ probitatis juveni Jacobo Franciſco Salæ Joannis Dominici Profeſſoris inter Medicos primi filio natu majori epinyctides copioſiæ ſine febre efflorueruut: à qvibus mox convaluit.

XXIV.
Variolæ ſine febre.

VAriolis non ſemper adeſſe febrem ſynochon docuit eventus. Talis enim affectus Joanni Prevotio bis obvenit, & qvidem proximè in Sereniſſimi Principis Anhaltini CHRISTIANI cubiculario, qvum Patavii degeret Anno cIↄ Iↄc XXIII.

XXV.
Variolæ Criticæ.

IN ſtatu ſynochi, præſertim putris, variolis criticè erumpentibus, febris qvandoqve non repetit.

XXVI.

XXVI.
Variolæ benignæ.

ANno cIↄ Iↄc XXXIIX. Aëre calido & ſicco, variolæ pueros æſtate impetebant freqventisſimæ; nullo tamen vitæ periculo.

XXVII.
Exanthemata non maligna.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. Patavino cuidam à qvacunqve febre prodierunt exanthemata. Prevotius etiam conſpexit maculas plumbeas ac lividas poſt duplicem Tertianam. Ideòqve non ſunt hæc ſigna malignitatis neceſſaria, niſi graviora fuerint ſymptomata. In febribus etiam benignis interdum rubra comparent: qvalia nautæ Patavino in vico *al Portello*.

XXIIX.
Febris petechialis præter coctionis indicia deſinens.

ANno cIↄ Iↄc XXIX. V. Jul. die morbi ſeptimâ, præcedente inſigni rigore ab hora decima ſexta in vigeſimam, ſudore à febre petechiali fuit liberata juvencula, Angelæ Garoderinæ filia, non prægreſſis notis coctionis: imò urina planè cruda erat.

XXIX.

XXIX.
Aqvoſum frontis tuberculum.

PRomtam medici operam non ſola valetudo poſtulat, ſed nonnunqvam corporis deformitas, non feminis modò, ſed viris etiam alicujus dignitatis, magis tædioſa, qvàm nociva, eâ maximè parte, qvæ ſingulis obvia oris majeſtatem dehoneſtat. Juveni ſacris Apollineis initiato, qvum patrios lares ab aliqvot annorum peregrinatione reviſiſſem, occurrit civis honeſtus, cui ætate adhuc florente dextro frontis promontorio menſes aliqvot eminebat latâ baſi nucis avellanæ magnitudine cuti concolor; molle, ac velut inflatum tuberculum, ſponte natum. Tactu qvidem compreſſum cedebat, ſubitòqve in priorem ſpeciem vertebatur ſine dolore; non tamen hinc inde mobile deprehenſum, nec increſcere. Itaqve ratus ex iis eſſe tumoribus, qvi ferro veriùs exſtirpantur, qvàm medicamentis diſſolvuntur, corpore ſatis puro nec vitioſis ſuccis ſcatente, Blaſium Mullerum Hafniæ Chirurgum è multis egregium, ſcalpello ſubtili cutem obliqvè incidere jubeo. Dictum, factum: non ſangvis effluxit, ſed perexiguus humor limpidus, qvalis oculi vitreus, in dexteram laborantis procidit, ad qvem ubi manum is retraheret, rogatus ecqvid ſentiret, impenſe calidum aſſeveravit.

Indito

ndito mox in vulnuſculum Mercurio, qvem
ræcipitatum appellant, ſupràqve injectis, qvæ
nflammationem averterent, qvum die ſeqventi
eligaretur, ſpecillo folliculus eximebatur, vul-
uusqve intra paucos dies tàm dextrè fuit gluti-
iatum, ut ne minimum reliqverit cicatriculæ
eſtigium. Ita plurima initio facilè amolimur,
qvæ neglecta ſi inveteraverint, vix ac ne vix qvi-
lem remediis cedunt. Nec dubium, qvin tumor
uic relictus demum in Meliceridem vel Steato-
na migraturus eſſet, morâ craſſeſcente muco,
qvem P. Veget. Renatus Mulomed. Lib. II. Cap.
xxxvi. limpidum notavit in veterinis, qvorum
eadem ſæpè ſunt qvæ hominum vitia. Imò Stea-
omatis liqvorem cryſtallo lucidiorem conſpe-
xit Gabriel Fallopius magni ſuprà ætatem uſûs.
Et verò qvis dubitet melliceridi à ſero initium
eſſe, qvi Steatomati conſummato vix negaverit?
Cogitationem meam plurimorum vice unum
hoc muniet exemplum, qvod Jacobus Elſnerus,
Poliater clariſſimus Patavii, meus qvondam con-
tubernalis, Vratislavia XIX. Decembris Anno
CIↃ IↃC LVI. in hanc ſententiam perſcripſit.
Menſe hinc tertio nobilis Polona ſeptem & tri-
ginta annos nata, exiguæ ſtaturæ ac valdè maci-
lenta, plica multis infeſtata annis Joanni Geor-
gio Pezoldo, notæ famæ Chirurgo ſteatoma in-
ter ſcapulas protuberans demetendum commi-
ſit,

ſit, qvod amplitudine qvartarium Vratislavienſem excedens libras ſexaginta civiles pendebat. Viribus jam nunc attritis, intra duos menſes eo rectiùs habuit in dies confirmata. Tuber in modum lardi veteris atqve tenacis fibroſum aliqvot poſt horis aqvæ ſex qvartarios emiſit. Qvid autem de fervore pronunciandum? Eum veriùs perſenſit ille noſter, qvàm acrimoniam. Nec vereor talem ſero tribuere; qvo procul dubio ſaturata erat pituita propè cryſtallina. Cogitent qvæſo Naturæ conſulti, qvàm ſit fallax caloris vel frigoris à colore indicium. Norùnt id optimè, qvi mineralia & metalla ignis beneficio in varias partes dirimentes prolectant liqvores ſubtilisſimos ac limpidisſimos planè igneos, qvibus nullum qvantumvis purisſimum reſiſtit metallum. Eadem verò principia ſunt omnium, qvæ terræ ſinu conduntur, qvæqve eam veſtiunt ac mortalium nutritionem. Proindè nec mirum, humani corporis ſuccos alibiles eorum repræſentare naturam, qvibus inſigni acrimoniâ immoderatis, & calore propemodùm igneo præditis conficiuntur ac ſuſtentantur. Ejus haut dubiè conditionis erat in viro bilioſi temperamenti ſangvinis ſerum folliculo incluſum. Nimirum, cruda etiam excrementa qvandoq; ex putredine incaleſcunt, vel excedente qvalitate igneâ contrahunt acredinem, qvæ non raró cutem adeòq; carnem ipſam exedit. Qvapropter & Galenus

non

non minus verè qvàm diſertè de Cauſ. Symptom. Lib. V. Cap. VI. pruritum pituitæ nitroſæ adſcripſit. Qvalis procul dubio formicinus ille frontis, cujus meminit Ægineta Lib. VI. Cap. VI. Qvid plura? Morbum comitialem etiam ab humore limpido, calido & ſalſo, aqvæ fortis aurificum æmulo nonnunqvam ortum novimus.

XXX.

Capitis contuſio curata ſine perforatione cranii.

ANno cIↄ Iↄc XXX. Petrus Sagredus, Vir Illuſtrisſimus, ubi Patavinæ Præfectus ſi qvisqvam vigilantisſimus, dum hæc condimus D. Marci Procurator natu grandis cœlo aſſertus, qvum graſſante paſſim peſtilentiâ ad publicæ valetudinis ſecuritatem viciniam obiret, pilento excuſſis habenis præcipitato de ponte Gracii tertio ab urbe lapide, caput ipſi vehementer concuſſum. Joannes Prevotius mox accitus, ut ut hebetudo aliaq; mala ſpem dubiam facerent, ad ferramenta venirẽ noluit, ſed conſilio Celſi Lib. IIX. Cap. IV. ſatius duxit emplaſtris rem experiri. Nec ſine exemplo. Viro enim ſagaciſſimo ſecundum eventum confirmavit anno ſuperiori ſimilis caſus in curatore Mantuanorum e Benavidiis. Qvod ſanè Chirurgis diligenter expendendum relinqvo, maximèqve borealibus.

Zetematium hoc poſt Petrum Aponenſem Diſſer. CLXXI. prolixè diſputat Cæſar Magatus de rara medicatione Vulnerum Lib. II. Cap. XLI. aſſerit ſuo experimento Leonardus Botallus de vulneribus ſclopetorum curandis Cap. XVII.

XXXI.

Cranii vulnus præter ſpem ſanatum.

AScanius Zabarella Nobilitatis Patavinæ apex, qvem fatum poſteris invidit, qvum Cæſaris copiis Mantua premeretur, inter ſuos ſtipatorem habuit, cui cranium ad naſi radicem diffiſſum. Malum qvidem extra omnem humanæ medelæ ſpem erat. Is tamen valetudini reſtitutus diu ſuperſtes fuit. Sorti fortasſis id imputandum, qvod ferrum ei parti fuerit inflictum, qvæ ſub dura cerebri membrana duplicatur falcis appellatione. Qvod Viri Generoſi Stenonis Bilde in Bildesholm Toparchæ militi qvoqve gregario in Dania contigiſſe autumo, qvi ſariſſa inter oculos per verticem adacta convaluit. Circulatorem in Germania vidi gallinæ cranio ſcalpellum impegiſſe: qvo exemto ipſa more ſuo aream obivit.

XXXII.

XXXII.

Stili fruſtulum diu in cerebro relictum. Cerebri vulnus non ſemper letale.

JOannes Veslingius ante ſuum iter in Ægyptum, ubi qvinqvennium Cayri Conſulum Venetorum valetudini adfuit, corporis humani diſſectionem Venetiis publicè inſtituens in cerebro mulierculæ ſtili ſeu pugiunculi ſubtilioris fruſtulum reperit, qvod ipſa qvinqvennium geſtaverat ſine omni moleſtia, niſi qvod ingruente pluviâ caput doleret. Cultelli etiam dimidium octo annis in cerebro ſine damno hæſiſſe, autor eſt Zacutus Luſitanus Prax. Med. admirand. Lib. I. Obſ. V. Itaqve cerebri vulnus qvodvis non ſemper exitiale. Nam & adoleſcentem Joannem Piſtorium vidi propè Marpurgum in pago Wittelsberg, cui puero portionem cerebri ademtam memorat Noſologiæ Harmonicæ Tom. II. Diſſert. xxxvi. Qvæſt. x. Henricus Petræus, apud qvem ſalutaris diſciplinæ tirocinium depoſui. Patavii qvoqve Petrum de Marchettis Eqvitem, publicum Chirurgiæ & Anatomes Profeſſorem, ſeni cuidam cerebri partem dexterrimè præcidiſſe memini. Ambroſius Paræus Chirurg. Lib. ix. Cap. xxii. reſtitutum memorat juvenem, cui inter diſci luſum fracto ſincipite cerebri portiuncula exſiluit

ſiluit, ſurdus tamen vitæ reliqvum duxit. Plures in hanc rem hiſtorias narrat Marcellus Donatus Lib. V. Cap. IV. Fidem tamen excedit omnem, qvod Jacobus Cavacius Hiſtor. Cœnob. D. Juſtinæ autor cultisſimus refert, *cerebrum putro exemtum ac repoſitum à Bartholomæo Montagnano.*

XXXIII.

Duræ membranæ gummata.

NEc miranda cranii caries. In Theatro enim anatomico Patavii Anno CIƆ IƆC LI. VI. Februarii à V. Cl. Antonio Molinetto aperto capite ruſtici lue venerea inqvinati, tria gummata candida inhærebant duræ membranæ, pia illæſa, cujus veſtigia in calva corroſa erant conſpicua. Talia etiam tradit Ludovicus Mercatus de Morbo Gal. Lib. II. Cap. VI.

XXXIV.

Cranii caries. Paralyſis.

ANno CIƆ IƆC XXXVI. XXIIX. Maji in cranio juvenis, qvi paralyſi extinctus, undiq; tempora verſus à lue Venerea caries, utraqve membrana ei tenacisſimè adhærente. Debilitate nempe calore naturali, credibile eſt nervos ita fuiſſe relaxatos, ut gravisſimus inde ſubortus fuerit affectus.

XXXV

XXXV.

Vigilia ab eſu ferinæ.

VIr qvidam eximius interioris notæ amicus, fuſci habitus, literis impensè addictus, venationem ſi qvando menſis adhibet, noctes ducit inſomnes. Nullo tamen incommodo, qvum à primis annis parci admodum ſit ſomni. Numqvid à calidis ſiccisqve vaporibus cerebro naturâ ſicco infeſtis? Carnes autem ferinas etiam ſuccos acres & craſſos gignere jam uſu comprobatum, è qvibus leporinæ ac aprugnæ ſangvinem melancholicum adſcribit Galenus de loc. aff. Lib. III. Cap. VII.

XXXVI.

Coma cervice inuſta curatum:

Sangvis albus.

ANno cIɔ Iɔç xxiv. Septembris xxvii. Sacerdotem juvenem robuſtum comate vidi correptum à recidiva febris cum tremore alterutrius lateris ſine ſenſu, ob renixum virtutis in partibus. Clyſtere acerrimo cum colocynthidis drachmis tribus, mellis roſacei unciis duabus, & ſale, ſine efficacia indito, Prevotius ſeptem veſicantia imperavit. Qvibus parum proficientibus, ad occipitis inuſtionē ventum: à qva melius habuit. Res mira! cujus è ſuggeſtu Prevotius me aliqvoties teſtem appellavit. Sangvis ægro in-

Tertiana duplici è ſalvatella ſecundùm extractus planè albus erat & glutinoſus in modum pituitæ, nec tamen ullum craſsi humoris in urina ſignum, qvæ haut dubiè exuberante bile omninò tenuis reddebatur. Imò vena aperta lac fluxiſſe vidit amicus meus Petrus à Caſtro, Medicus Veronæ clarisſimus. Qvod Jacobo Jano Archiatro conſultisſimo ſibiq; obveniſſe affirmat Vir bonæ fidei Thomas Bartholinus Obſerv. Medic. Cent. I. Hiſt. XVII. Qvalem etiam indicavi Cent. III. Obſ. XXXII.

XXXVII.

Catalepſis cum ſomnolento Comate, Opiſthotono, Furore, atqve Suffocatione uteri.

OMnibus Bononiæ fruſtra tentatis, A. cIↄ Iↄc XXVII. a. d. V. Maji Prevotii curæ commiſſa virgo ſacra Illuſtrisſima Victoria Felix Malvezzi, qvæ ab anno ætatis qvinto poſt lentam febriculam cum obſtructione meſenterii evaneſcente colore roſeo faciei pallorem continuè retinuit. Anno decimo recepta in cœnobium à levi pugno hæmorrhagiam narium contraxit, qvæ annis qvatuor omnibus auxiliis averſa circa qvartum & decimum ſuborto menſium fluxu recesſit. Sex & decem annos nata, qvi ſacro cœtui nomen eſſet profeſſa, intervallo brevi gravisſimis animi perturbationibus agitata ob

patris

patris ac fratris mortem, horrendumq; veſtalis fatum eodem ſemet die in puteum præcipitantis, qvo in monaſterium admiſſa, menſes ei parce proceſſerunt, ſuppreſsâ narium hæmorrhagiâ, qva ſæpiùs antehàc tentata, jamqve annum agens alterum & viceſimum ſub horam undecimam crurum lasſitudine correpta cum levi anxietate, poſt mediam horam inter lætos ſermones repentè corpus univerſum obriguit ſine ſenſu, contractis validiſſimè digitis manuum ac pedum, illæsâ reſpiratione: vultus pars nulla movebatur, oculis clauſis, omninò ſenſus expers jacebat. Idqve unius horæ ſpatio, nihil mutato faciei colore. Qvo tempore novies brevibus intervallis correptâ ſuffocatione cum convulſione ad poſteriora. Acceſſio velox ac brevis cum gemitu obſcuro, & faciei rubore, qvæ initio ad livorem tendebat, ſine ſenſu: in qva circa umbilicum perſentiebantur murmura cum qvalicunqve ventris tumore. Tribus convulſionis acceſſionibus ſubitò ſeſe mutuo excipientibus, tanqvam è ſomno profundo experrectæ univerſa facies ita in priſtinum ſtatum rediit, ut audiret, videret, loqveretur, mox dorſum ac medulla ſpinalis; manibus pedibusqve rigidis ac ſenſu defectis. Excitata retulit ſe in capite ſtuporem qvendam percipere, ſibiqve veluti ſtringi tempora. Optimè ratiocinaba-

tur, tametſi memoriam aliqvantum imminutam opinaretur. Tandem qvatuor circiter horarum ſpatio acceſſio ſic reſolvebatur, ut poſt horam brachium ſiniſtrum, deinde poſt alteram crus ſiniſtrum, poſteà ab hora crus dextrum, ac demum ejusdem lateris brachium ad munus rediret. Hisqve affectibus jam biennium qvotidiè vexabatur per excandeſcentiam vehementem ortis cum cœcitate, qvæ anno CIϽ IϽC XXV. dies duodecim, ſeqventi ad vigeſimum perdurans ſpontè deſiit. Sub viceſimam tertiam veſpertinam alternis diebus uteri paſſionibus maximo cum furore ſine omni febre exercebatur intermixtis crebris ſuffocationibus, ſpina poſteriora verſus retracta, trium horarum & dimidiæ ſpatio; qvamvis initio qvotidiè, jamqve à qvinqvennio diutiùs torqveretur, cum delirio nunc fero, nunc meticuloſo, intumeſcente ventre à ſtomacho ad umbilicum. Sub finem acceſſionis invadebat ſicca tuſſis cum furore concitatiſſima, ad mediã qvandoqve horam. Omnium tandem immemor bellè habuit. Die interjectâ, qvæ mitior, hora pariter ſupra viceſimam tertia Catalepſis cum Suffocatione ac qvibusdam ad poſteriora convulſionibus rediit levi acceſſione, qvæ intra horæ qvadrantem ſolvebatur. Paroxyſmi prænuncia crurum laſſitudo, ac veluti terebratio verticis cum ſenſu frigoris ad verticem. Sub horam noctis

noctis ſextam jam qvatuor annis qvotidiè duabus fermè horis convulſione ad poſteriora detinebatur cum debilitate facultatis cognoſcentis nullo frigore, ut ſeſe in latera verteret, intercurrente nonnunqvam præfocationis ſpecie; præcipuè dum ſangvis miſſus, qvæ deligato vulnuſculo ceſſabat. Menſtrui fluxûs tempore exacerbata ſunt omnia: ubi ea moroſior, & proclivior in irã. Maji extremum præfocatione uteri qvandoq; in qvinqvaginta horas producta ingraveſcebat. Hypochondrii ſiniſtri tenſio levis contra umbilicũ ſatis manifeſta: Venter ad decimũ diem adſtrictus medicamentis levioribus neutiqvam reſpondit, ut ſæpiùs unâ vice extracti colocynthidis ſcrupuli duo, vel Diagrydii grana qvindecim præberentur. Interdum rejecit per ſuperiora. Excrementa omnia pituitoſa. Lotium tenue & aqvoſum copia redditum. Caput extra acceſſionem nullis affligebatur malis, nec de gravitate qverela. Dolor tamen qvandoqve circa tempora, & qvaliscunqve memoriæ imbecillitas obrepſit. Maximorum virorum ingenia variis modis exercuit tot affectuum congeries. Qvam omnibus in rem præſentem ritè adminiſtratis, atqve in primis veſicantibus interiori utrinqve femori affixis, aſſumtisqve cum ſucco cichorei conſpiſſato per vices ſpeciebus hieræ ſimplicis, Prevotius tandem prodigavit Aponenſis aqvæ inſeſſu: à qvo natura-

libus effluens Hollerio de Morb. Inter. Lib. Cap. LIIX. in Scholio non ignotus humor albu men ovi ſimulans naturæ peritis mali fomiten palam fecit. Secunda valetudine ad ſuos rediit qva dum iſtæc eduntur in cœnobio D. Mari Novæ Dei providentia etiamnum firma pe fruitur. Medici verò æſtimationi tantum a ceſſit, ut publicis Senatus Bononienſis tabul à primis Gymnaſii Doctoribus ſolenniter P tavium allatis ad eminentem Medicinæ cath dram opimis conditionibus invitaretur. Se virum beneficii memorem detinuit Veneta l nitas, qvam omni vitâ ſuis rebus mirificè pr penſam perceperat.

XXXIIX.

Delirium à clyſtere ex vino & aromatibus.

JUlius Caſſerius Placentinus cœnobitæ D. Ar tonii ad compeſcendum coli dolorem cl ſterem ex vino cum aromatibus præſcripſi Proſiliens hic è lecto riſu & ſaltu omnes eò ac mirationis duxit, ut V. C. Alexandri Vigonti auxilium implorarent. Qvi re cognitâ, qvu nec febris adeſſet, nec alia ſymptomata urg rent, ſomno & qviete diſcuſſa crapula ſana mentem revocavit. Factum Prevotius pe hibuit.

XXXI

XXXIX.

Phrenitis à cerebri inflammatione.

PHrenitici biduo extincti caput apertum: in qvo cerebrum & membranæ cum rubore ideò tumebant, ut venæ ab ipſius ſubſtantia ſeparari poſſent.

XL.

Phrenitis illæſo cerebro.

AT Fabricius Bartoletus Vir diligens ac ingenuus Anno CIↃ IↃC XXIIX. Mantuæ mihi faſſus eſt, ſe in plurimis phreniticorum cadaveribus inveniſſe piam matrem ſine omni cerebri noxa inflammatam. Talem Ægineta Lib. III. Cap. VI. clarè indicat.

XLI.

Phrenitis à vini potu.

PHrenitidem lethalem à ſolo vini hauſtu in criſi febris continuæ per altum facta deprehendit Prevotius. Materia qvippe morbi è corporis habitu ad interiora & caput transmiſſa.

XLII.

Phrenitis per majorem oculi angulum, item per aures, ac nares ſoluta.

PUer nobilis qvatuordecim annos natus die morbi undecimo à phrenitide liberatus luculento puris fluxu per interiorem oculi angulum,

lum, & nares. Alius abſceſſu per aures ac nare erumpente raro exemplo evaſit. Qvod poſt Ambroſium Paræum Chir. Lib. IX. Cap. XXII. in ju vene ſe Venetiis vidiſſe narrat Hercules Saxoni Prælect. Pract. Cap. III. Eodemqve modo vehe mentem capitis dolorem ſolvi magnus Profeſſo Lib. VI. Aphor. X.

XLIII.

Melancholia trepano ſublata.

JUvenis qvidam annos triginta natus Melan choliâ detinebatur pertinaciſſimâ. Cranio dili genter aperto à Julio Caſſerio Placentino, Ana tomes & Chirurgiæ peritiſſimo, præſente Joan ne Prevotio, etiamſi nulla eſſet puris membra næ incumbentis ſuſpicio, cerebro eventilato a ſanitatem rediit: qvam ſine dubio ſangvinei hu moris evaporatio infeſtabat, cujus meminit A lex. Trallian. Lib. I. Cap. XVII. Mulier qvoqve melancholica cranio caſu fracto aqvâ effluente ab inſania convaluit, Gvil. Rondeletio teſte Meth. cur. morb. Lib. I. Cap. XLI. Similem fei mè hiſtoriam de vulnerato habet Bernardu Gordonius Partic. II. Cap. XIX.

XLIV.

Melancholiæ hypochondriacæ facile remedium.

PRofeſſor qvidam Patavinus diu plurimis me dic

icamentis qvolibet anno ſine efficacia tantùm on confectus, mutato demum conſilio juſcus cichoraceis in prima menſâ hauſtis melanholiam hypochondriacam profligavit.

XLV.

Mors metu illata.

Maginationem mortis cauſam notat Dionyſius Fontanonus, qvi de Morborum Internoum Curatione Lib. I. Cap. xxv. narrat in fuga llemannica prope Regium Provinciæ reperos qvadraginta circiter milites ſine ullo vulne-, ſolo timore peremtos. Qvidni æſtu curſuve fatigati aut ſemineces inediâ conciderint? ero ſimilius, qvod à viris fide dignis accepiaus, ruſticos Venetorum allectos militiæ adhuc rones in bello Fori Julii edito prælii ſigno eximatos. Nimirum anima timore concuſſa, ngvis repentè confluit ad cor, inibiqve inculatur, unde calore ſuffocato mors facilis. Retè optimus lingvæ morumq; magiſter de Tranvillitate Animi Cap. xi. *Sæpè cauſa moriendi t, timidè mori.* Studioſum ab imaginatione orbi pariter extinctum refert Thomas Camanella Medic. Lib. VI. Cap. I. Artic. II. Militem qvoqve ſupplicii terrore fermè oppreſſum, vilielmus Fabricius Hildanus de Lithotomia ap. xi. refert.

XLVI.

XLVI.

Hydrophobia, mente ſana.

ANno CIↃ IↃC XXX. Patavii ſuperſtes erat Virgo inſtituti Capucinorum ante trienniun poſt morſum canis ab annis duodecim rabie correpta. Ingens per acceſſionem torqvebat mordendi deſiderium, mente nihilominu integra. Præcepit enim ſe arctè conſtringi, n adſtantes læderet. Imminente furore loci de morſi ſtigma evanuit. Numqvid recurrent ad interiora veneni ſeminio, qvo cutis infecta Ipſa tandem cauterio perſanata, in conſpectum venit nota, mali adhuc reſidui argumentum.

XLVII.

Ἡμιπληγία, & Ἀμαύρωσις ab intempeſtivo Sudorifero.

ANno CIↃ IↃC XXVI. Monachus D. Juſtinæ Caſſinenſis pituita refertus habitu ſatis obeſo, ſtupore poſt deſtillationem correptus, univerſali vacuatione prætermiſſa Diaphoretica ſumſit calida. Colliqvato humore pituitoſo in hemiplegiam, & viſus obſcuritatem incidit.

XLIIX.

Concusſio corporis diarrhœa ſedatur.

COnſveto menſtruæ purgationis tempore Veſtalis qvædam triduum concusſione adflige

ligebatur. Superveniente alvi fluxu malum re-
niſit, obſervatione Benedicti Silvatici. Adſcri-
endum id procul dubio fuit ſeroſæ bili, qvæ
ab cutem perfuſa naturæ providentiâ in al-
um derivata.

XLIX.
Convulſio à ſero.

ANno CIↃ IↃC XXIV. x. Decembris in fœmi-
na omnes cerebri ventriculi, etiam qvartus,
umore limpido ſero nempe bilioſo referti.
Qvo è qvarto ventriculo in ſpinalis medullæ
avitatem perfluente, qvum irrigato nervorum
rincipio ſtimularetur facultas obſcuri motûs
n nervis, convulſio invaſit.

L.
Convulſio ungvibus incautè reſectis.

ANno CIↃ IↃC XXIII. Nobilis Venetus, qvem
Patavii cum Franciſco Plazzono, Anatomes
Chirurgiæ Profeſſore inviſi, dum præcideret
ngves, læſo nervo ſucceſſit inflammatio, &
onvulſio, tandemqve tertio menſe interitus.

LI.
Convulſio mortifera nervo manus leviter puncto.

NErvo manus punctiuncula tacto, Prevotius
interitum animadvertit.

LII. Nervo

LII.

Nervo digiti puncto Convulſio exitioſa.

EOdem fato V. C. Henricus ab Urſo Patavinus Medicus & primi nominis Chirurgus Venetiis jam ſenex Anno cIↃ IↃC XLIV. menſe Junio qvum inter medendum digito ſuo ſcalpellum impegiſſet, irritis omnibus auxiliis occubuit.

LIII.

Convulſio miraculo curata.

SAlomon Medoro Anconitanus adoleſcens ob orto incendio de ſeptima domûs contignatione in ſedili præcipitatus, ſemianimis è ruderibus tandem ereptus, Pataviumqve cum familia translatus, qvatuor & decem annis convulſus vitam egit. Anno cIↃ IↃC XLIV. tertio ante Paſchatis feſtum menſe per qvietem comparuit ei Senex veſte candidâ, ſalutem pollicitus mòdò divino fideret auxilio. Monito obtemperans, in ſupremam contignationem ſcipionibus contendit. Dictu mirum, ſine ullius adminiculo ſanus ad ſuos deſcendit. Qvem animo & corpore validum in hunc diem Patavii ſarcinatorem conſpicimus. Altiſſimo ſit gloria. *Etenim* ſapientiſſimi Regis oraculo Eccleſ. XVI. *neq; herba, neq; malagma ſanavit* eum, *ſed tuus, Domine, ſermo, qvi ſanat omnia.* *Magnum* verò *eſt ipſe prodigium, qvi mund*

mundo credente non credit, ſententia D. Auguſtini Lib. XXII. Cap. IIX.

LIV.

Incubus per vigilias invadens.

ALexander Maſſaria celeberrimus Patavii Profeſſor Medicus Incubo extra ſomnum gravabatur, qvo in Apoplexiam tranſlato tandem periit. In meo itidem contubernio Juvenis Germanus Patavii lucubrationibus aſſiduis Medicinæ Aſtronomiam jungens etiam excitatus à ſomno de hoc malo plurimũ conqverebatur. Idem Bernardo Gordonio teſte Partic. II. Cap. XXIV. & Nicolo Florentino vulgatum ceu rariſſimum monet Marcellus Donatus Medic. Hiſtor. Lib. II. Cap. IV.

LV.

Epilepſia à carnoſo cerebri tuberculo.

NUllo ingenio huic malo admodum gravi qvandoqve medelam reperiri miretur nemo, qvi communis mali cauſas utplurimum inexpugnabiles conſideraverit. Nobilis qvidam Bononienſis Anno CIↃ IↃC XXIX. ſingulari Joannis Prevotii fama excitatus recuperandæ valetudinis ſpe Patavium ſe contulerat. Nullo effectu ad ſuos reverſus qvum paulo poſt fato ceſſiſſet, in cerebri ventriculo tumor carnoſus fuit

inventus, qvi cerebro compreſſo inanem hu morbo medicinam docuit.

LVI.

Epilepſia ex hypochondrii dex tri obſtructione.

ET qvam varia hujus vitii cauſa? Benedict Silvaticus malum excitari obſervavit perfri cato hypochondrio dextro, qvod longa obſtru ctione tentatum.

LVII.

Epilepſia à dextræ manus pollic

INſultum qvoqve epilepticum à pollice dext manûs incipientem deprehendit idem Vir m ximus Anno cIↄ Iↄc XXII. Ab auræ frigidæ venenatæ è dextro pede exhalatione deſcribit H eronymus Mercurialis To.I. Conſ.LXI. Qvale Zacutus Luſitanus cauterio pollici admoto pe ſanavit Prax.adm. Lib.I. Obſ. XIX. ſimiles caſ enumerat Schenckius Lib.I. Obſ.CXCVI. A m nu ſiniſtra epilepſiam refert Philippus Hœc ſtetterus Part. II. Obſervat. Medicinal. Dec. I Caſu VII.

LIIX.

Epilepſia à genu intumeſcente

HOc ipſo etiam anno menſe Octobri Pata in valetudinario D. Franciſci habitus m

In

lancholici adoleſcens agreſtis decubuit, qvem præcedente ſiniſtri genu tumore ventoſo per conjunctionem ſolis ac lunæ acceſſio epileptica invaſit. Vinculis ſupra injectis vis mali avertebatur. Venetiis Anno cIↃ IↃc XXVII. ſimile qvidpiam in ſervo Nobilis viri Prevotius obſervavit. Alexander Trallianus Lib. I. Cap. XV. morbum comitialem à ſuperiori pedis parte juveni abegit. Malum pariter hoc è cruribus ortum oſtendit Schenckius Lib. I. Obſ. CXCVII.

LIX.
Epilepſia à vermibus.

ANno cIↃ IↃc XXII. menſe Decembri Adrianus Spigelius Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor ſtudioſiſſimus domi ſuæ catellum Melesium, qvem in deliciis habebat, epilepſia confectum aperuit. Inteſtina vermibus cucurbitinis ac tæniis ſcatebant. Sed in primis latus lumbricus iis adhæſit capite bifido, qvi veram candidi coloris faſciam referebat. Hanc affectionem in canibus etiam obſervavit Marcellus Donatus Med. Hiſt. Lib. II. Cap. IV.

LX.
Epilepſia à prægnatione.

PAtavii nobilis matrona, dum utero gereret, poſt ſextum ſeptimumve menſem epilepticis

urgebatur inſultibus. Partum enixa valetudine integerrimâ vitam egit.

LXI.

Epilepſia è meſenterio.

ANno cIↄ Iↄc XXIII. Adoleſcens è Meſenterio Epilepticus poſt acceſſiones inſigni copia fœtidiſſimas alvi feces depoſuit, vacuato miræ colluviei excipulo.

LXII.

Epilepſia ab herpete.

HOrtulani cujusdam ab humore calido herpeti ſanato ſucceſſit Epilepſia: qvæ brachi ſetaceo inſerta hellebori radice Spigelii conſilic fuit curata. Hac tamen circumſpectè utendum Analect. Lib. IIX. animadverti.

LXIII.

Epilepſia poſt annum qvintum & viceſimum ſanata.

MOrbum comitialem ab año vigeſimo qvinto non curari decretum eſt Hippocratis Lib. V. Aphor. VII. Sed pro temporis mutatione. Remediis enim cedere ratum fecit Benedicti Silvatici ſolertia, qvi nobilem Patavinum conſtitutione corporis melancholicum octo & vigin-

[v]iginti annos agentem convenientibus præſidi-[i]s ac trimeſtri abſtinentia vini optimè reſtituit.

LXIV.

Epilepſia ſangvinis miſſione curata.

BOnonienſis Puer octennis ob plenitudinem Epilepſia correptus omnibus auxiliis fruſtra [t]entatis, ſangvine tandem è vena cubiti aliqvo-[t]ies in menſes educto convaluit, ob ſummam [c]orporis mutationem ab hoc præſidio. Qvod ta-[m]en vix admittendum, præterqvam in morbo [p]er conſenſum cum genere venoſo, & ſangvine [p]lurimum fervido.

LXV.

Epilepſia hæmorrhoidum fluxu repreſſa.

NObilem Patavinum ætatis mediæ melancholicum ab Epilepſia liberavit Benedictus [S]ilvaticus, apertis qvovis menſe venis hæmor-[r]hoidibus.

LXVI.

Epilepſia terebratione cranii ſanata.

ADrianus Spigelius memoravit nobilem Patavinum undeviginti annorum juvenem [ſ]æpius epilepſia conflictatum: cum à gravi de ſca-

lis lapſu Hieronymus Fabricius ab Aqva pendente cranio terebram admoviſſet, nunqvam ex eo malum percepiſſe. Proinde hoc auxilium ad Melancholiam in cerebro confirmatam non ab re probat Rondeletius, licet periculoſum exiſtiſtimet Petrus Foreſtus Schol. Obſervat. XV. Lib. X.

LXVII.
Apoplexia ex ſangvine.

ANno cIↃ IↃC XLIV. Januarii XXIII. fœminæ ſubito extinctæ ventriculi cerebri ſangvinis gelati copia erant pleni. In theatro tamen Anatomico Petrus de Marchettis Anno cIↃ IↃC LII. XIX. Martii advertit, in Apoplecticorum cerebro ſe nunqvam deprehendiſſe ventriculos materiâ refertos, ſed venas & arterias per cerebrum ſparſas; qvibus repletis fit Apoplexia. Qvod & Antonius Molinettus Collega in publico demonſtravit Anno cIↃ IↃC LVI. de qva pereruditè Petrus Salius de Affectibus particularibus Cap. II.

LXIIX.
Apoplexia duarum horarum ex vapore.

NObilis Patavinus bis terve qvotannis Apoplexiam ſenſit levem, qvæ in alterutrius brachii paralyſin & lingvæ titubationem verſa intra horas duas omninò deſiit, certo argumento Apople-

oplexiam hanc debillimam è vapore tenui initium traxiſſe.

LXIX.

Sæviſſimus Capitis dolor perforatione cranii ſublatus.

NObilis juvencula Patavii ultra annum dolore capitis veluti perforante ac fixo mire cruciabatur. Medicus, qvod erat ſuſpicatus aliqvid membranis incumbere, bono eventu cranium terebra tentandum cenſuit. Ipſo enim aperto puris fœtidi guttula vix æqvans milii granum excidit. Neqve ex eo dolor unqvam moleſtus fuit.

LXX.

Cephalæa trepano curata.

ILluſtriſſimus Petrus Mocenicus patricius Venetus acerrimâ plurimorum annorum cephalæa ab ictu conflictatus qvina cranii perforatione, qva refrigeratis denſatisq; membranis caput obtuſioris ſenſus factum, plane cõvaluit. Qvod in pleriſqꝫ, ſi humor forte in diploë aut membrana cerebri dura eſſet, ſibi ſucceſſiſſe, fatetur Ludovicus Duretus Annot. Enarrat. in Holler. de morb. intern. Lib. I. Cap. II. Proinde Hollerius Obſervat. ſingul. I. in pertinaci & aſſiduo captis cruciatu optimè ferrum laudat.

LXXI.

Diuturnus Capitis dolor ſaccharo roſaceo ſedatus.

NObilis Patavina ſolo uſu ſacchari roſacei veteris è diuturno multorum annorum capitis dolore oborto ex bile tandem liberata fuit, mitigata ejus acrimonia & repreſſa exhalatione cerebro infeſta, qvandoqvidem roſa refrigerat & adſtringit ſententia Dioſcoridis Lib. I. Cap. CXXXI. proinde ſiccando tenui catarrho non ab ratione commendat id Carolus Piſo de Seroſa Colluvie Sect. III. Cap. III. Obſ. XLI.

LXXII.

Inveteratus capitis dolor phænigmis perſanatus.

BEnedictus Silvaticus invaleſcentem diu capitis dolorem, nec ullis cedentem remediis, veſicantibus coxarum interiori parti admotis feliciter ſuperavit. Imò candenti ferro parte dextra vel ſiniſtra usq; ad os impreſſo contumaces capitis dolores à cauſa frigida curatos tradit Petrus Salius Annot. in Alt. Cap. X.

LXXIII.

Capitis dolor aperta ſaphena profligatus.

ANno cIↄ Iↄc.xxxvii. Joannes Baptiſta Soncinus Medicinæ Patavii Profeſſor Nobili Brixi-

Brixienſi, qvi dolore capitis immani per totius conſenſum tentabatur, aperta dextra ſaphena ſublatum ea capitis parte dolorem deprehendit, deinq; poſt altera parte ad votum ſucceſſit. Sed cum ingenti artuum convulſione, qva intra horam ceſſante, capitis dolor nunqvam rediit.

LXXIV.

Capitis dolor excreta tænia lævatus. Cranii caries detecta.

ANno ɔIcIc LX. amicus qvidam meus Venetiis diuturna cephalalgia mirè cruciababatur. Omnibus incaſſum tentatis qvatuor veſicantia cervici & ſcapulis affixa plurimum profuere. Pilulis deinde cocciis irritata alvo qvum tæniam dejeciſſet, dolor aliqvantulum remiſit, qvi tandem hypocauſto ceſſiſſe viſus. Graviorem autem fuiſſe mali cauſam paucis poſt annis docuit eventus. Inopinato enim bidui dolore qvum ſuccubuiſſet, ille, aperto cranio cerebri membrana glutinoſo humore obſita qvibusdam locis vix avelli potuit, oſſe paſſim carie corrupto, qvalem in aliis cadaveribus deprehendi: Unde que infeſtati Venerea ſævis admodum capitis doloribus ab acri & venenoſo humore nonnunqvam excarnificantur.

LXXV.

Capitis dolor à lue Venerea fontis calidi ſtillicidio ſublatus.

ANno cIↄ Iↄc xxiv. Venetus qvidam diuturno & pertinaci capitis dolore torqvebatur. Qvi nec ſudationibus ter inſtitutis, nec inunctionibus Mercurialibus totidem qvicqvam remiſit. Benedicti Silvatici conſilio ſtillicidiis tandem aqvæ calentis ſulphureæ ad qvartum & decimum diem malum omninò devictum.

LXXVI.

Hemicraniæ pertinacis auxilium.

NEc ſilendum præſens Hemicraniæ pertinacis remedium Adriano Spigelio Anatomico & Chirurgo celeberrimo in ſemetipſo aliisq; exploratum inciſionem venæ, qvæ inter indicem pollicemq; excurrit. Pulſantibus verò arteriis, dolor ſolum eſt in exterioribus. Qvod medico diligenter obſervandum.

LXXVII.

Plica Polonica.

ANno cIↄ Iↄc xxvi. menſe Januario in Comite Nicolao Sapicha Polono Plicam vidi. De qvo poſtea candidus rei medicæ amplificator Daniel Sennertus fuſè Prax. Lib. V. Part. III. Sect. II. Cap. IX.

LXXIIX.

Vulnus ad Oculum letale.

ANno cIↃIↃcxxxiv. menſe Novembri, qvum petulentior adoleſcens Patavinus Juvenculæ ſtilum, qvo tibialia ſubtiliſſimè contexebat, adimere conaretur, agilior ipſa ferrum circa interiorem dextri oculi angulum opinione ſua vehementius adegit. Symptomata mox ſupervenêre graviſſima. Rima oſſis propter exilitatem qvum à Clariſſimo Joanne Veslingio deprehendi non poſſet, nec vulnus ob ſparſa hinc inde vaà tuto dilatari, vulneratus intra ſeptimum diem gravi dolore cruciatus vita exceſſit.

LXXIX.

Ophthalmia cucurbitulis remota.

AUdaci empiricorum conatui ſæpe eventus reſpondet. Oculis cum inflammatione dolentibus noñulli cucurbitulis cum ſcarificatione pone aures ad venæ cephalicæ in humero initium appoſitis ex voto ſubvenere. Qvod tamen vix imitandum, ad evitandam humoris attractionem.

LXXX.

Lippitudo à freqventi Perſicorum eſu.

Perſi-

PErſica in lippitudinem fœcunda prodidit cu-rioſè doctus Joannes Heurnius de morbis O-culorum Cap.III. Qvod in memetipſo apu Germanos expertus, ob humiditatem & acrimo-niam fortaſſis eo loci majorem. In Italia enir tale nihil ſum paſſus, tametſi iis pluſculum indul ſerim. Nec mirum, qvandoqvidem Æginet de re med. Lib. I. Cap. LXXXII. mali ſucci ace ſcunt, & facilè corrumpuntur. Actuario de Spi animal. nutr. Cap. VI. frigida & humida tenuen ſeroſumq; ſangvinem producunt, imò corrupti oni obnoxium, nervosq; offendunt ſententia Si meonis Sethi de Aliment. facult.

LXXXI.

Suffuſio inter corneam & uveam tunicam.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. in Theatro Anatomi-co Franciſci Plazzoni ductu ſuffuſionem vi-dimus inter tunicam corneam & uveam, humor cryſtallino oppoſitam. Cujus materia non era pelliculæ ſimilis, ut vulgo creditur, ſed dura & mediocriter craſſa ſqvamæ corneæ in modum, candelæ tamen admota aliqvantulum pellucida.

LXXXII.

Aqveus humor oculi renatus.

ANno cIↄ Iↄc XXII. Franciſcus Plazzonus duodecim annorum puero medebatur, cui

cor-

ornea pertuſa humor aqveus oculi totus effluxe-
at. Sed intra binos menſes ſponte ſic reparatus
uit ut oculi uſus ipſi omninò fuerit redditus, ob
eliqvarum partium conſtitutionem humidam.
dem Galenus de Sympt. Cauſ. Lib. IV. Cap. II.
nnotavit, & Realdus Columbus Anat. Lib. X.
lurimisqve hiſtoriis confirmat Marcellus Do-
atus Med. hiſt. Lib. IV. Cap. IV. In pullis etiam
ailinaceis fieri docet Joannes Riolanus Enchir.
natom. Lib. IV. Cap. III.

LXXXIII.

Vitreus humor oculi putreſcit.

Vitreum oculi humorem non inflammari tantum, ſed etiam putreſcere, argumento eſt
nno cIↄIↄc XXII. ab Adriano Spigelio reper-
us in vitreo humore oculi eqvini vermiculus,
vi Cunrado Geſnero vitulus aqvaticus ap-
ellatur.

LXXXIV.

Procidentia oculi curata.

AD oculi procidentiam nullum efficacius præſidium, qvàm cucurbitam magnam ſine
carificatione occipiti affixam Aldrighettus de
ldrighettis patricius Patavinus Medicinæ Pro-
eſſor celebris accepit à Nobili Centurione Nal-
lo. Huic enim Conſtantinopoli è Turcis qvi-
lam ictu oculum extra orbitam excuſſerat: qvem
iſtius

iſtius gentis Medicus ea ratione tanqvam divin
manu in ſedem nativam repoſuit. Qvo etiar
remedio cœcitatem à lapſu curatam memini
Duret. in Annot. Enarrat. Jac. Holler. Lib. I. d
Morbis Internis. Cap. XX.

LXXXV.

Parotides binæ ſalutari eventu.

REctè Galenus de Criſibus Lib. III. Cap. III *Parotides judicant Lethargos, & reliqvos capitis affectus*: easq; citra ſuppurationem curari pe inferiora eſt rariſſimum; ejusdem monitu i Epid. I. Comm. II.

Erumpentibus autem binis parotidibus ægros evadere ferme prodigio ſimile eſt, qvando qvidem tantam ſupparationem ipſi vix ferunt Mantua tamen Benavidius patricius inter Patavinos haud infimus iis exulceratis valetudini reſtitutus Joannis Prevotii ſolertia. Qva Carbon cius de Carbonchiis Peruſinus etiam celebris Patavii Juris Anteceſſor Anno cIↄ Iↄc xxvii menſe Novembri valetudinem reſumſit. Hui autem in pus neutiqvam vertebantur, materi in venis devicta. Nec minori ſucceſſu Ann cIↄ Iↄcı. Antonius Molinettus Chirurgiæ & Anatomes Profeſſor primarius nobilem juvenem Joannem Freuen Anglum ſuæ Nationis Conſiliarium gravi febre decumbentem inciſis parotidibus

dibus ad ſalutem reduxit. Adeò veriſſimum Galeni de Criſibus Lib. III. Cap. VII. *Parotides non paucos tempore opportuno liberarunt.*

LXXXVI.

Hirundines auribus admotæ corporis tumorem excitant.

Cui facies impetigine deturpata, nobilis Vincentini auribus hirundines apponi juſſit Prevotius. Temporis momento à ſangvinis ebullitione corpus univerſum & facies cum collo intumuit. Sed intra horam ſponte detumuit.

LXXXVII.

Arteriæ ſecundum aures diſſectæ, ſine omni ſterilitatis noxa.

Anno cIↄ Iↄc xxxvii. Mart. IX. Angelus Carleſchus Pordonenſis faber ingenioſus, plurimarum machinarum inventor, Patavii ab æmulo graviter ſauciatus, arteriis pone aures diſciſſis, à Joanne Veslingio Eqvite Chirurgiæ tunc Profeſſore primario reſtitutus binos ex eo maſculos genuit. Expendant igitur ſagaciores, qvænam fuerit Libro de Aëre, Aqvis, & Locis Coi Dictatoris ſententia, qva inciſis juxta aures venis ſterilitatem pronunciat: & num iſthæc orta ex conſenſu vaſorum in partibus generationi deſtinatis. Numqvid etiam Celſi conſilio Lib. VII. Cap.

Cap.VIII. in pituita oculorum,acri ſcil. ophtha
mia, à media aure ad mediam alteram aure
cutis incidatur integris arteriis? Venæ ſecti
nem poſt aures qvidem ſoporiferam, at ſine ſt
rilitate, tradidit Proſper Alpinus de Med.Ægyp
Lib. II. Cap. X. & XIV. Sterilitatis qvoq; ſuſp
cionem heic amovit Joannes Riolanus Anat
micorum noſtra ætate anteſignanus Enchiri
Anatom. Lib. V. Cap. VI. Arteriarum qvi
etiam hoc loco apertionem perſeverante capit
dolore commendat Paulus Ægineta Lib. II
Cap. V. & XII. in Vertigine cum caliditate c
pitis. In Cephalæa majores oſſibusq; proxim
ſeligit Aretæus de Morbor. Diuturn. Cur. Lib.
Cap. IV. Ad hæc Arteritomiam ſub aure in d
lore dentium præcipit Actuarius Meth. me
Lib. III. Cap. II. Librum verò Hippocratis ge
manum perſvadet Galeni ac veterum autorita
Qvem tamen Joannes Coſtæus magnæ vir d
ctrinæ Decade I. Miſcellan. Medic. magis hiſt
ricum qvam didaſcalicum exiſtimat. Et ſan
Scythas feminalia ſemper geſtantes perpetua e
qvitatione fractos ad venerem imbecilles me
morat divinus Senex, atq; ex defluxione affectio
nes articulorum & coxæ, qvibus hac venarum
ſectione occurrunt: reliqvis etiam hominibus i
ex creberrima eqvitatione contingere. Huic igi
tur ſterilitas procul dubio maximè imputatur.

LXXXIIX

LXXXIIX.

Os ethmoides tuſſi rejectum.

ANno cIↄIↄcxxvi. Illuſtriſſimi Auguſtini Prioli qvondam Epiſcopi Bergomenſis cubicularius Sanctes Faroſſo mediæ ætatis, rubicundus, boniq; habitus, à difficili reſpiratione os ethmoides carioſum copioſa pituita viſcatum poſtridie cum ſputo ſangvinis excrevit; qvod ſpongioſum, à diuturna coryza in lue Venerea deſqvamatum in pulmones delapſum erat. Tuſſis autem ſenſim crevit: inde ſuſpirium, tandemqve orthopnœa. Mirum, non ſuffocatum fuiſſe. Joannes Prevotius hominem laconico reſtituit: qvem depreſſo naſi dorſo ex eo ſæpius habitionem adſpexi.

LXXXIX.

Hæmorrhagia narium ad vituli boatum excitatum.

LUdovico Jacobeo, inſtitori Hafnienſi Anno cIↄIↄc xIx. peſtilentia ſublato, ad vituli boatum, imò vitulinæ in menſa conſpectum, ſangvis è naribus manavit.

XC.

Hæmorrhagia narium enormis.

POmpejus Caimus Eqves, primus Patavii Profeſſor Medicus, dum Romæ è prima ſede

 Ariſto-

Ariſtotelem interpretaretur, juveni annorum ſe
& viginti unius ac dimidii diei ſpatio ſangvin
octodecim libras è naribus fluxiſſe vidit: mon
itqve remedia externa fronti neutiqvam, ſed c
ronali futuræ, applicanda, qvandoqvidem ſa
gvis è venis jugularibus ſub eam ſuturam excu
rentibus erumpit. Effrenem ſangvinis è nar
bus fluxum notarunt Amatus Luſitanus Cent.I
Curat.C. & Petrus Foreſtus Lib.XIII. Obſerv.
Adde Joan.Schenck. Lib. I. Obſ.CCCLIX.

XCI.

Hæmorrhagiæ narium præſen auxilium: etiam vulneris.

ANno cIↃ IↃc XXIIX. Februarii XXII. F
abricius Bartoletus Profeſſor Mantuanus i
publico retulit, deſperatam narium hæmorrh
giam ſe præſente intra medium horæ qvadra
tem qvaſi miraculo cohibitam à cribellario qv
dam, poſtqvam digitis narium interſtitium val
do niſu compreſſiſſet. Qvin hæmorrhagiam vu
neris deſperatam ſola pollicis appoſitione iter
ta repreſſam perhibet Jacobus Thuanus Hiſto
Lib.LXXV. ad An. cIↃ IↃc LXXXII. Huic n
malo ſuperſtitione qvadam deſtinatus erat J
ſpis ruber antiqvus Laurentio Pignorio, antiqv
tatum promo viſus hac inſcriptione, qvam a
Ma

arcelli Burdigalenſis nunc mei Cap. XXIX.
rioſè appinxit?

F V A V S
I N T O R D F
N E A T I D F D

edipo hèic opus. Caracallæ Imperatoris au-
ritate amuleta qvidem vetita refert Ælius Spar-
nus. Ridemus & nos anilia. Hanc verò
mmam inter περίαπτα φυλακτήρια rectè po-
t Dioſcorides Lib. V. Cap. CLXXX. Miram
im ejus ad ſangvinis fluxum efficaciam prodit
nselmus Boëtius à Boot de Gemmis Libr. II.
ap. CII.

XCII.

uellus dentatus in lucem editus.

Anno cIↃ IↃc XXXVI. die Auguſti XVI. Pa-
tavii in vico D. Franciſci prope Franciſci
acopii Pharmacopolium natus Bartholomæo
lodienſi filius maxilla utraqve dentibus con-
icua, cui nomen Franciſci Antonii fuit indi-
m. Mater die octava ſupra decimam humata:
ra cum Paulo Marqvardo Schlegelio Hambur-
nſi Medico laudatæ memoriæ puellum conſpe-
, qvi ſeptimo pòſt anno ſubmerſus. Adi Jo.
henck. Lib. I. Obſ. CCCCV. Marc. Don. Hiſt.
ed. Lib. VI. Cap. II.

XCIII.

Serius erumpens Dens molaris.

OCtavo ſupra viceſimum ætatis anno ma- gno cum dolore nec ſine febre dentem mo- larem ſibi excreviſſe retulit Patavinæ Venetæ nobilitatis flos Abbas Robertus Papafaua Illu- ſtriſſimi Eqvitis Bonifacii filius; itemq; ſine fe- bre qvarto ac triceſimo anno Æmiliæ ſorori ma- tronæ ſupra ſexum prudentiſſimæ.

Peſte Patavium devaſtante qvum Ann cIↄ Iↄc XXXI. Stratam qvinto ab urbe lapid ſeceſſiſſem, hoſpes meus Angelettus de Angele tis annos triginta nato idem ſibi contigiſſe me moravit. Sorori pariter anno ſuperiore, qv marito juncta qvartum & viceſimum tunc an num agebat. Qvarto autem ſeptenario dente enaſci plerisqve hominibus duos, qvi Sapienti appellantur, autor eſt Hippocrates Lib. de Prin cipiis. At ordine. Unum qvippe Nero medic Florentino erupiſſe Anno cIↄ Iↄ LXXXIX Philippus Montaltus ad hunc locum notavit.

XCIV.

Dentes renati extrema ætate.

JAcobo Caſotto Traguni apud Dalmatas nona genario dentes aliqvot renatos, omnibus priu amiſſis, fidē mihi fecit Añō cIↄ Iↄc XXXVII. Ve netiis vir Conſultiſſimus Joannes Lucius Natio nis o

s ornamentum. Mulieri annorũ octoginta idem cidiſſe perhibet Ambroſius Paræus Chir. Lib. XIV. Cap. XIX. Qvod nec Plinio novum ib. XI. Cap. XXXVII. etiam Vetulæ poſt tertin & ſexageſimum annum tradit Sennertus act. Lib. II. Part. I. Cap. X. Plura exempla rert Joannes Schenckius Lib. I. Obſ. CCCCVI. & arcellus Donatus Med. hiſt. Lib. VI. Cap. II. ut Joan. Valverda dentes renaſci negat Anat. ib. I. Cap. VII.

XCV.

Stili ferrei portio in dentis alveo detecta.

Coenobitæ cuidam Patavii è ſodalitate S. Dominici non ſine omnium admiratione ferm è dentis alveo prominebat. Evulſum ſtili ortiuncula videbatur. Memoriam tandem ad æteritorum cogitationem poſtqvam excitaſt, in mentem venit ſtilo ſeu pugione vulnus aqvando capiti inflictum. En miram naturæ ovidentiam, qvæ relictum pluribus annis in pite ſpiculum huc temporis tractu protruſet. Hujus qvoqve meminit V. C. Thomas Barolinus Cent. II. Hiſt. XXIV.

XCVI.

Dentibus ignis è ligno excuſſus.

Gulielmus Sohierus Gallo-Belga nobilis, vir

 mul-

multiſcius maximèqve lingvarum peritus, mi
veteri neceſſitudine junctus, dum hæc ſcribu
tur, pridem Romæ mortalitati ereptus, Ani
cIↃ IↃc XLIV. Patavii memoravit, Nicolai
fratrem hoc ipſo anno Amſtelodami fatis defu
ctum, qvum in Belgium ex Italia redirent, de
tibus è ligni Indici bacillis ignem prolicuiſ
Ignem etiam è dentibus excuſſum patet in Ci
medica Joannis Hornungi.

XCVII.
Maxillæ robur.

ET qvæ non maxillæ vis? Patavii qvenda
vidit Hieronymus Fabricius ab Aqvape
dente, ut autor eſt de Chirurgia dentium, q
trabem ducentas & qvinqvaginta libras pe
dentem ſuis dentibus circumtulit; alium, q
ſaccum tritico refertum. Nobis etiam conſp
cere licuit inibi hominem, qvi nuceum ſcabe
lum ingentis ponderis itidem ferret. Supere
dum hæc eduntur, ætate florida patricius Patav
nus, qvi nullo negotio librarum qvinqvagin
pondus dentibus levat.

XCIIX.
Maxillæ luxatio.

ANno cIↃ IↃc XXIV. menſe Julio in vale
tudinario D. Franciſci Patavii vetulæ ex Æ
thic

hiopia canis horridæ, à ſola deſtillatione man-
libula luxata chirurgi dexteritate in priſtinum
tatum fuit reſtituta.

XCIX.

Steatoma colli mortiferum.

ANno cIↃ IↃc XXVII. XX. Aprilis in Juvene pallido, melancholico, imberbi, Steatoma colli ad latus dextrum conſpexi immenſæ magnitudinis, duos habens lobos, exulceratum penitusq; cancroſum, ex qvo ſæpe ſangvis manavit. XV. Maji profuſa ulceris hæmorrhagia mortem ſubitaneam attulit.

C.

Aſperæ arteriæ inflammatio.

ANno cIↃ IↃc XXIV. Decembr. XXIV. in cadavere fœminæ aſpera arteria tota erat inflammata parte interiore cum notabili nigredine. Qvod nunqvam à Spigelio antea obſervatum. Longo intervallo qvum rauca vixiſſet, tandem obmutuit.

CENTURIA II.

I.

Pulmonis inflammatio lætalis.

VEntriculo nimis incaleſcente, pulmonis inflammatio pernicioſa, decreto Hippocrati de Morbis Lib. II. Qvali Ovenus Lunge ſuæ familiæ poſtremus Cimbricæ nobilitatis decus Patavi Anno cIɔ Iɔc XXXVII. XXI. Febr. abripitur, qvi juvenis ſangvineus vehementi in gymnaſticis exercitio febrem continuam ſibi attraxit inflammatis pulmonibus; qvos corpori exemtos ita deprehendimus affectos, anteqvam ad ſuos in patriam transportaretur.

II.

Pulmonis tuberculum ſolis externis curatum.

ANno cIɔ Iɔc XXIV. Antonium Remondinum chartularium ſub Collegio bovis, habitantem à pulmonis tuberculo lipothymia ſubinde cum inæqvali pulſu citra febrem invadebat. Nullis medicamentis propinatis, intra duos menſes diſcuſſū id ſolo meliloti malagmate cum floribus, qvos vocant, ſulfuris, aut ſolo ſulfure, ipſo ſuperſtite in annum cIɔ Iɔc XLIIX. qvo

vo ſeptuaginta major vita exceſſit. Hic verò aſus ab eo longe diverſus, qvem de Antipatro Medico Galenus memorat de Locis aff. Lib. IV. Cap. IIX.

III.

Calculus tuſſi redditus.

JOannes Prevotius calculum nuce avellana majorem tuſſi rejectum vidit. Calculoſam uſſim poſt Trallianum Lib. V. Cap. IV. atqve Æ-inetam Lib. III. Cap. XXIIX. & XXXI. itemqve Bern. Gordon. Part. V. Cap. XIIX. memorat Za-utus Luſitanus Prax. Med. admirand. Lib. I. Ob-erv. XCVI. qvi XCV. tradit calculo per tuſſim ejecto ceſſaſſe ſpirandi gravitatem. Plurimos tiam ſibi in pulmone lapillos fuiſſe viſos narrat ræter Columbum Anatomes Lib. XV. Trincau. le cur. aff. Lib. X. Cap. VI. & Reinerum Solenan-drum Sect. V. Conſ. XV. Num. 2. Carolum Piſo-nem de feroſa colluvie Sect. III. Cap. IV. Obſerv. XLIV. itemqve Dominicum Panarolum Pent. I. Obſ. XXII. Gulielmus Fabricius Hildanus Cent. II. Obſ. XXIX. ſe præſente rejectos teſta-ur amicus noſter Thomas Bartholinus Cent. I. Hiſt. XXXIII. Hiſce affines hiſtoriæ leguntur plures apud Joannem Schenckium Libr. II. Obſ. XLIX.

IV.
Pulmonis hydrops.

PUlmonis vitium ex tenui, acri, multaq; deſtillatione è capite in hunc ipſum illapſa cum lenta febre notavit Jodocus Lommius Obſerv. Medic. Lib. II. Tale qvid Anno cIↄ Iↄc XXIV. in Olao Slangedorpio cive meo viro optimo & doctiſs. obſervare licuit Patavii, qvi à febre continua in itinere Neapolitano contracta Romæ à V.C. Joanne Fabro vix ſanatus, extenuato corpore, qvum ſuperatis Hetruriæ montibus Patavium rediiſſet, intra paucos dies XXIV. Septembris vitam cum morte commutavit. Viri eximii Verneri Rolfinkii contubernalis noſtri & conſecranei opera thorace aperto cauſa mali patuit.

V.
Pulmonis vulnus perſanatum.

HIeronymus Todeſchinus Patavinus, citharœdus, homo ferox vinoq; deditus octo hinc annis à milite machæra in dorſo confoſſus vulnere tam amplo, ut non pericordium modò in conſpectum veniret, ſed exſerta etiam pulmonis portio fuerit à Chirurgo proſciſſa, Prevotii conſilio canaliculum geſtabat vulneri inditum, qvod omnis glutinatio deſperata videretur. Conqveſtus demum non hærere, vulnere intra biduum clau-

clauſo ſponte ſanatus fuit. Qvem validum adhuc ſenem conſpeximus, Anno cIↄ Iↄc XXX. peſtis abſtulit. Caſum huic prope ſimilem Abel Roſcius Lauſannæ medicus ad Gulielmum Fabricium Hildanum perſcripſit Cent. II. Hiſt. XXXII. Alium recitat Joannes Schenkius Lib. II. Obſ. CLXIX. Pulmonum fibras nullo periculo ademtas oculatus teſtis perhibet Marcellus Donatus Med. Hiſt. Lib. V. Cap. IV.

VI.

Pulmo ſiniſter putris, dextro integro.

ANno cIↄ Iↄc XXIII. die XXII. Martii Franciſcus Plazzonus in theatro anatomico ſecuit canem, cui ſiniſter pulmo globulo ſauciatus plumbeo putruerat, illæſo dextro, cujus beneficio diu ſuperfuit. Dextrum itidem viri conſumtum ſine difficili reſpiratione aut notabili tuſſi memorat Dominicus Panarolus Pent. I. Obſ. XLVI.

VII.

Pulmonis lobus dexter corruptus, ſiniſtro ſano.

PLazzonus qvoq; nautam Patavii medicabatur in ſuperiore dextri pulmonis ala vulneratum, qvi per tres hebdomadas cum pure ipſum pulmonis parenchyma ejecit. Ex qvo ſuſpicatus ille

ille abſumtos dextros pulmonis lobos. Siniſtr tamen uſu vixit : ſed cum difficultate ſpiritus Dextro etiam lue Venerea corrupto hominem vixiſſe tradit Hippolytus Boſcus Lect. 1. de facultate Anatomica. Qvid igitur mirum pulmonis ulcera ſanari, ſi putrida ipſorum vulnera curantur? Galeni eam in rem ſi expenduntur momenta, difficultatem qvidem oſtendunt, non tamen medelam prorſus denegant, de loco aff. Lib. IV. Cap. V. relicto nempe callo, veluti notavit Cordanus de Cauſ. ſign. ac Loc. morborum §. 60.

IIX.

Phthiſis citra ſangvinis aut puris ſputum.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. Maji XXIV. apud Joannem Dominicum Salam Doctorem Lycei clariſſimum juvenis occurrebat, cujus majores phthiſi omnes perierant, ſine ſangvinis ſputo, præterqvam paulò ante mortem. Idem qvoqve ingenio & multiplici uſu clarus plures animadvertit hoc morbo defunctos, qvi nunqvam pus rejeciſſent. Plures qvoq; ab ipſo ortu & à patentibus latente pulmonum vitio ſine deſtillatione aut cruoris ſputo contabuiſſe notat Fernelius de Partium Morb. & Symptom. Lib. V. Cap. X. Pulmones ſine ulcere & rejectione ſangvinis ad conſummatam phthiſin qvandoq; flacceſcere monet

Hie-

Hieronymus Mercurial. To. II. Conſ. XLIII. Solo qvoq; muco allabente, phthiſin M. Aur. Severinus de Novis Abſceſſib. Cap. XXV. Sect. II.

IX.

Tabis periculum hæmorrhoidum fluxû declinatur.

BAro qvidam diuturno tempore deſtillationi ſalſæ obnoxius tabem verebatur. Clauſis nempe hæmorrhoidibus præſertim externis, remeat per venam cavam magnamq; arteriam ſangvis bilioſus & pituitoſus ſalſus, temporisq; tractu acrimoniam adſciſcens vaſa erodit, unde Tabes. Huic autem Hæmorrhoidibus biennium fluentibus omnis cauſa metus fuit ſublata; imò emendatus corporis humor noxius.

X.

Pleuritis vera in dorſo.

ANno cIↃ IↃc XXXIIX. Benedictus Silvaticus veram dorſi Pleuritidem offendit in Vicentino qvodam nobili: qvæ lotio fuit ſoluta.

XI.

Pulmo ante pleuram læſus in Pleuritide.

IDem in cadavere cœnobitæ cucullati Empyema cum tabe conſpexit læſis ante pleuram pulmoni-

monibus. Æger nempe ab Augina in peripneumoniam, & ex hoc in Pleuritidem inciderat.

XII.

Pleuritis cum ferme per vomitum rejecto.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. XXIV. Januarii villico robuſto ante dies tredecim febre acuta correpto ex pulſu inordinato & jactatione Prevotius eventum morbi ſiniſtrum prædixit. Die morbi undecimo ſupervenit Pleuritis cum ſputo admodum glutinoſo, cruori permixto. Pridie vermem digiti longitudine noctu vomuit. Cujusmodi etiam vomitum indicavit Antonius Cermiſonus de Stomachi ægritudinibus Conſilio XI. Solis hordeaceis præ fortunæ tenuitate ad refectionem & expectorationem inſiſtens evaſit. Vermes è pulmonibus ſcreatu rejectos prodidit Aloiſius Mundella Dialogo VI. tuſſimq; ab animalibus in arteria pulmonum genitis Alzaravius Pract. Tr. XIII. Cap. II.

XIII.

Pleuritis per urinam terminata.

JOannes Prevotius diligens pariter & ſagax medicus ſiniſtri lateris pleuritidem plerumq; per urinas deponi obſervavit. Ideoq; hoc in caſu feliciter Diuretica exhibebat mitiora; è qvibus

us Diacuminum ipſi erat familiare: Diapho-
ētica nunqvam voto reſpondere. Hæc autem
Martinus Rulandus pater qvum tantopere ex-
ollat, procul dubio aciem intendit ad Anaxio-
is hiſtoriam apud Hipp. Epid. III. Ægroto IIX.

XIV.

Pleuritis ſudore judicata.

HIc Anno cIↃ IↃc XXVII. olitor qvidam Pa-
tavii ab exqviſita Pleuritide morbi die ſepti-
ma liberatus fuit, ſudore noctu ſuperveniente.

XV.

Pleuritis ſputo, urina & alvi dejectione ſoluta.

ANno cIↃ IↃc XXVII. in vico S. Maximi mu-
lier pleuritica meri puris per ſputum, uri-
nam & alvum excretione viginti diebus judicata
fuit.

XVI.

Pleuritis vini potu ſedata.

ANno cIↃ IↃc XXIX. XIIX. Aprilis Johan-
nis Franciſci Bellaſini Philoſophi Patavini
ſervus duos & viginti natus annos mediocris
ſtaturæ, qvadratus, nervoſus, boni habitus, ca-
pillis ſubrufis, febre acuta correptus cum dolore
dextri lateris, & decubitu in oppoſitum difficili,
cum

cum tuſſi, & ſputo cruento, morbi die tert
Prevotium conſuluit, qvi mox juſſit educi è de
tro cubito ſangvinis uncias decem. D
qvarto morbi, ſputo ſuppreſſo, repetiit ſa
gvinis miſſionem è ſalvatella dextræ ad u
cias ſex. Puſtulis nigris hoc die in univerſo co
pore prorumpentibus, cucurbitulæ cum ſcarific
tione lumbis affixæ, ſiccæ una partibus dorſi ſ
perioribus, & extractæ ſangvinis unciæ ſex. Di
ſextæ nocte ſua ſponte bibit æger vini albi gener
ſi libras tres. Hinc reſtituta exſpuitione ante coh
bita univerſi corporis mador ſubſeqvutus, a
tenuatis nempe humoribus. Itaq; febris paul
tim remiſit, ægro intra triduum convaleſcent
averſis medicorum præceptis, & medicina ipſ
ut verè Prevotius in hæc verba proruperit: *Qu
ſto giovane à gvarito al diſpetto delli medici
è della medicina ſteſſa.* Vino tamen parum dil
to ſe qvamplurimos à pleuritide ſublevaſſe affi
mat Polydorus Seraphinus Errore XVI. ſeptu
ginta annorum hominem à ſupparatione reſtitu
Cardanus, qvi cum Raſe vinum album dulce a
ægro valde expetitum concocta materia conce
dit, de malo medendi uſû Cap. VI. Qvid multa
Cæſar Crivellatus cum in febre maligna tùm i
petechiali medicis invitis tantillo vini convalui
cujus in plurimis poſtea uſum deprehendit ſalu
tarem, ut fatetur ipſe de uſu vini in Acutis Ca
XXII. Imò gulæ reſolutio febri ardentiſſim
ſuper

uperveniens vini potu ſublata, referente Zacuto Luſitano prax. Med. admir. Lib. I. Obſ. LXIII.

XVII.

In Pleuritide vena lateris aperta.

ADrianus Spigelius noſtra memoria ſartorem Germanum cum diſcrimine à lateris dolore decumbentem ſervavit apertâ lateris venâ, qvæ in conſpectum venit.

XIIX.

Vulnus thoracis grave ſanatum.

ANno cIↄ Iↄc XXXIV. Novembris XXIII. in publico ſtabulo eqvitem Illyricum vidi ſub coſtis ſiniſtris vulneratum enſe dextrum hypochondrium penetrante. Dies erat undecimus: præceſſerat vomitus biliosus ac ſpumoſus cum febre. Nullis iam gravatus ſymptomatibus, niſi dum ſeſe erigeret levi tuſſi, reſtitutus fuit.

XIX.

A thoracis vulnere mictio cruenta.

PLazzonus vulnerata thoracis parte dextra qvinq; vel ſex dierum ſpatio merum ferè ſanguinem per urinæ vias emiſſum vidit.

XX.

A Suppuratione mictio puris.

IDem ſuppuratum inviſit, qvi pus cum urina copioſum reddidit.

XXI.

Suſpirium à ſiccitate pulmonis.

JAcobus Gallus JC. in Academia Patavina celeberrimus diu ſuſpirio torqvebatur. Cui medicorum peritiſſimi decoctum ligni ſancti ex jure galli nullo effectu ſvaſerant, omnibus incaſſum tentatis ad materiæ craſſæ attenuationem. Acceſſit freqvens Nicotianæ uſus, qvo ſe laborans profecturum ſperabat. Mali verò cauſam fuiſſe pulmonem à ſiccitate ſubſidentem oſtendit eventus: qvandoqvidem in defuncti corpore ſola reſtabat aſpera arteria cum pulmonum vaſis fidium inſtar ſiccatis. In qvam rem videatur Galenus de Marcore Cap. II. Reſpirationis difficultatem à pulmonum ſiccitate in juvene indicavit Petrus Salius diverſus Annotat. in Altimarum Cap. XLIIX. Nec omiſit Scholæ Pariſinæ ornamentum Joannes Riolanus Enchiridii Anatom. Lib. III. Cap. VI. Cujusmodi vitio qvum ſublatus eſſet Patavii XVII. Januarii Anno cIↄ IↄcXI Caterva Diamantinus politioris literaturæ Profeſſor publicus, pulmones à diuturno ligni gvajaci-

acini decocto exaruiſſe, in cadavere compertum uit.

XXII.

Suſpirium pulmonibus inflatis.

ANno cIↄIↄc XXIII. IX. Aprilis Benedicto Silvatico præſente Hyeronymus Sabionus Chirurgus celebris nobilem virum diarrhœa cum ſuſpirio extinctum diſſecuit. Pulmones oſtendimus flatu adeò turgentes, ut omnem thoracis cavitatem implerent. Qvod ex Avicenna qvoq; tradidit Joannes Coſtæus de potu in morbis Lib. II. Cap. XXX. notavit Rembert. Dodon Obſerv. LIV.

XXIII.

Reſpiratio difficilis, pulmonibus coſtis adhærentibus.

ANno cIↄIↄc XXV. & duobus ſeqventibus pulmonum ad coſtas agglutinatio in plurimis cadaveribus obſervata eorum, qvi ſuſpirio valde angebantur. Qvam indicavit Hercules Saxonia Præl. Pract. Par. I. Cap. xxvii.

XXIV.

Reſpiratio difficilis ab omento pingviori.

BOnoniæ dyſpnœam in muliere deprehendit Fabricius Bartoletus ab omenti pingvedine, ſeptum transverſum comprimente, diſſentibus

medicis, qvi pulmonum hydropem adeſſe cogitabant.

XXV.

Item, à Meſenterii glandulâ.

MEſenterii glandulam offendit ibidem ip[illegible] in muliere Bononienſi, qvam plures ann[illegible] geſſerat. Unde Dyspnœa, retracto per ventri[illegible]culum diaphragmate. Mirum, ἀνάδοσιν hau[illegible] interceptam fuiſſe.

XXVI.

Reſpiratio difficilis à compreſſione ſepti transverſi.

MInoris Ordinis D. Franciſci ſocius reſpirationis difficultate aliqvamdiu laborans c[illegible]li dolore ſubito è vita ceſſit. Inteſtina ejus ade[illegible] flatibus intumuere, ut ventre aperto in adſtante[illegible] proſilirent. Compreſſo igitur ſepto transverſ[illegible] pulmonibus movendi atqve reſpirationis facul[illegible]tas cohibita fuit.

XXVII.

Orthopnœa ex ſero venarum.

PHarmacopœus qvidam Brixienſis, cui Prevotius cum Nicolao Treviſano Profeſſore Patavino, conſuluit, qvatuor horis tam graviter ſpiritum

itum trahebat, ut feneſtris apertis vix recreari poſſet. Intra qvatuor & viginti horas meliuſcule habuit, emiſſis plus ſex & triginta libris urinæ; certo argumento, malum hoc ſine deſtillatione à capite ex accurſu ſeri in toto genere venoſo redundantis invaſiſſe. Ipſo enim demum oppreſſo in pulmonibus nihil à conſtitutione naturali fuit alienum.

XXIIX.

Orthopnœæ curatio.

POſtqvam Adrianus Spigelius plurimum deditus experimentis deprehendiſſet in Orthopnoicis diſſectis inflammatam aſpera arteriæ tunicam ob materiam tenuem ac biliofam ipſi inhærctam, diuturnæ Orthopnœæ acceſſiones medicamentis ſcammoneatis, ut pilulis cocciis, aureis & hujus generis cæteris levavit.

XXIX.

Vocis abſciſſio ex vinaceis; itemqve præ metu.

ANno cIↃ IↃc XXII. menſe Sept. virgo ſacris dicata in cœnobio S. Sophiæ ab odore vinaceorum obmutuit ſenſibus integris. Clyſtere injecto ſangvis miſſus, inunctione cervi-

cis ex convenientibus medicamentis convaluit. Anno ſimiliter cIↄ Iↄc XIX. Septembris XVI qvum Baſileæ literis operarer, Viro præclariſſimo Gaſpari Bauhino ruſticus qvidam oblatus cui à ſpectro, ut fereb atur, perterrito, ſenſibus illæſis, & inoffenſo lingvæ motu, deperditus erat ſermonis uſus.

XXX.

Sputum ſangvinis innoxium.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. Patavii mulier ſingulis aut alternis menſibus impunè ſangvinem exſpuit: imò ceſſante hac vacuatione graviter ſe habuit. Menſtruo fluxu qvin etiam ſuppreſſo ſangvinis ſputum biduo vel triduo inceſſit, ſine omni pectoris offenſa.

XXXI.

Copioſum ſangvinis ſputum ſine noxa.

FOemina qvædam Patavina inter vertebram ſpinæ tertiam & qvartam ictu bombardæ læſa per os cruorem copioſum reddidit. Dictu mirum, evaſit. Sed qvod fidem ſuperat, Joannes Prevotius notavit ſangvinis libras octo ſupra viginti intra horas tres rejectas.

XXXII

XXXII.

Sangvinis ſputum ſine tuſſi.

IDem copioſum ſangvinis ſputum obſervavit ſine tuſſi, cum qvadam veluti exſpiratione. Nimirum, temperatæ ſubſtantiæ ſangvis facilè adeoqve ſine tuſſi excernitur: non ſecus ac deſtillatio qvandoqve per aſperæ arteriæ cavitatem, non irrigatis lateribus ipſius, ſine tuſſi fertur.

XXXIII.

Sangvinis puriſqve ſputum ſine tuſſi.

SAngvinem inſigni copia ſine tuſſi è pulmonibus ejectum bis meminit Dominicus Sala: puris pariter libras triginta, pectore vulnerato.

XXXIV.

Anniverſarium ſangvinis ſputum ſine febre.

NOſtra memoria ad pontem S. Sophiæ habitavit infector, qvi omnibus annis aliqvot ſangvinis catinos exſpuit ſine febre, venis à tincturæ calido vapore apertis, pulmonibusqꝫ à fumo laxatis; præeunte totius corporis gravitate. Nullo valetudinis regimine vinum bibit, ſine refrigerantium grumosve diſſolventium uſu.

XXXV.

Sangvinis ſputum à ſanato pedis ulcere.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. Decembris XXIV. narrabat Adrianus Spigelius puellæ noven-ni Viennæ pedis ulcus, qvum nulla ratione glutinare potuiſſent Anabaptiſtæ, parentum precibus id ſe tandem obtinuiſſe. Verùm paulò poſt exſpuiſſe ſangvinem. In conſilium vocatus ille ulcerato prius loco fonticulum infixit, propinatoqve ſimul decocto juvenculam non à tabe modo præſervavit; ſed in meliorem ſtatum reduxit. Qvæ diu ſuperſtes fuit. Itaqve ſedulò expendendus venarum & arteriarum conſenſus.

XXXVI.

Aneurysma pectoris à vomitu.

ANno cIↄ Iↄc XXXIV. Julii X. Piſaurenſis qvidam in valetudinario D. Franciſci decubuit, cui à vomitorio ex antimonio geminum in pectore aneuryſma protuberabat.

XXXVII.

Puellulæ papillis lac emulctum.

AAnno cIↄ Iↄc XXIV. Calendis Februarii in theatro Anatomico Spigelii juſſu obſtetrix puellæ octo dies natæ papillis lac expreſſit. Qvod

Qvod pingvioribus & laxioribus non eſt diffici-
le. Eoqve argumento conficere voluit, ſangvi-
nem in venis generari, confluente in eas lacte,
qvod ex uberibus maternis hauſtum. Verior
fortaſſis cauſa in venas referenda lacteas, qvi-
bus nuper Thomas Bartholinus mirandum na-
turæ meritum patefecit.

XXXIIX.

Pericardium à vulnere ſanatum.

PAnniculus cor ambiens, qvum ſolus affici-
tur, nullum adfert periculum, inqvit Ga-
lenus de loc. aff. Lib. V. Cap. II. Anno CIϽ IϽC
XXV. Januar. XXVII. Spigelius pericardium vul-
neratum ſpecillo tangens animi deliqvium exci-
tabat. Integras ipſius particulas cum pure
excretas animadvertit, parte poſtica thoracis
inciſa, qva in papillam ſica penetrarat. Sau-
cium poſtqvam gravi periculo exemiſſet, cogi-
tare cœpit, num ſine pericardio homini vita pen-
ſet conſtare. Spiculum in corde cervi repertum
ſine vitæ noxa refert Alphonſus Lopez in Gale-
num fol. 87. num. 15. Realdus Columbus Lib. XV.
rei Anatomicæ ſcribit ſe in Academia Romana
juvenem ſecuiſſe pericardio deſtitutum, qvi
tandem infeſta ſæpius ſyncope interiit. Mi-
ram vide hiſtoriam Exercit. III. Guiliel. Harvei

de Generatione Animalium. Nec Riolan Enchir. Anatom. Lib. III. Cap. IV. abſurdum ſterno terebra perforato pericardium ab humore copioſo ſuffocationem minante liberare.

XXXIX.

Cordis Vulnus durante aliqvam diu vita.

ANno cIɔ Iɔc XXIV. Miles qvidam Mutinenſis vulnere in cavitatem cordis penetrante, ut ex cadaveris diſſectione patuit, cum inſigni inflammatione dies novem ſuperſtes fui Anno cIɔ Iɔc LIII. Alius in patria vulnerat dextro ventriculo ad ſextum diem ſpiravit. D qvo Thomas Bartholinus hiſtor. LXXVII. Cent. I cui tunc aderat Henricus à Moinichen, adſiduu in præſens Patavii Herophili æmulator.

XL.

Cordis & Arteriarum omnium palpiratio.

JOannes Prevotius Baronem Kotz Bohemum à palpitatione cordis, omniumq́ arteriarum in motum anaurysmatis ex bile retorrida ſero lactis & aqvæ dulcis balneo intra annum liberavit. Hoc etiam malo nobilis matrona Patavii affligebatur. Forſan ab utero. Qvod & Ludovicus Duretus ſignificavit Scholiis in Lib. I. Cap. XXIX. de Morbis Internis. Hanc pulſationem innuit Jo. Fer-

Jo. Fernelius Patholog. Lib. V. Cap. XII. Qvam in febre lenta puellæ notavit Felix Platerus Obſervationum Lib. II.

XLI.

Cordis palpitatio ſoluta urinis ac herpete.

JOannes Prevotius cordis palpitationem copioſo lotii effluvio, & dextri cruris herpete finitam vidit.

XLII.

Pulſus privatio.

BEnedictus Silvaticus virginem ſacram cœnobii S. Claræ ſine pulſu offendit. Qvod in Sereniſſimo Duce Mantuano FERDINANDO Gonzaga, atq; in Illuſtriſſimo qvodam Polono ſimiliter obſervavit. Joannes Riolanus medicorum Lutetiæ primus duos ſine omni pulſu cum inſigni virium debilitate ſex & decem annos vixiſſe teſtatur Enchirid. Anatom. Lib. IV. Cap. XLV. Hujus etiam affectionis exempla occurrunt apud Schenckium Obſ. CCXL.

XLIII.

Pulſus in Paralyſi occultus.

DOminicus Sala in paralyſi dextri lateris pulſum deliteſcentem ſex menſes, in ſiniſtri menſes duos notavit.

XLIV. Pul-

XLIV.

Pulſus in carpo nullus, vel in alterutro tantùm.

ANno cIↃ IↃc XXII. die Auguſti XIII. viro nobili Marino Sangvinacio, nullus in carpo ſentiebatur pulſus: qvem incliti Dominici Salæ ductu inter pollicem & indicem invenimus, Qvo loco pulſus in qvibusdam viſu dignoſcitur; qvando ſcil. arteriæ ad ſummam emergunt cutem, ut in metacarpo Joannis Bauhini, in Theodoro Zvvingero inter pollicem & indicem dextrum. Qva etiam ratione V. C. Paulo Andreæ Paulino Doctori Philoſophiæ ac Medicinæ meo civi ſtudiorum qvondam in Italia conſorti micabat. Simile qvid ſibi Nicolaus Tulpius vir celeberrimus occurriſſe tradit Obſervat. Lib. III. Cap. XLV. Matth. de Gradibus etiam in IX, Raſis Cap. XXXV. ſcribit in utroq; Doctoris cujusdam Neapolitani carpo nullum ſe pulſum percepiſſe. Qvod in vetula qvoq; ſibi obveniſſe ait Marcell. Donat. Med. hiſt. Lib. VI. Cap. III. Nonnunqvam in alterutro tantum deprehenditur. Qvod elegantiſſimi ingenii Medico Joanni Thomæ Minadoo aliqvando contigit, qvi à Prevotio accitus ad curam Joannis Fraie Angli Tertiana Intermittente ſimplici laborantis cum graviſſimis affectionibus, qvum in dextro carpo nullum perſenſiſſet pulſum, mortem intra noctem prædixit.

xit. At die ſeqventi intermiſſionis adhuc vivum offendit, qvem patria diu poſt coluit.

XLV.

Pulſus media ſyſtole retractus: intervallis aliqvot intermittens longo tempore.

IN Reverendo P. Octaviano Strambiato Ravennace, Ordinis Minorum Conventualium D. Antonii Lycei Patavini Profeſſore Metaphyſico ſene obeſo media ſyſtole pulſus accuratè dignoſcebatur. Syſtole qvippe rarò obſervatur tam retracta, ut vulgo traditur. Prevotius qvoq; in ruſtico ſimilem offendit. Etiam Paulo Sanſono octogeſimo ætatis anno in eodem cœnobio fidei Qvæſitori pulſus erat inordinatus, imò pluribus annis aliqvot intervallis deprehendebatur intermittens. Cauſa Cent. III. Obſervat. IV. non obſcura eſt. Cujus etiam mentio à me facta Mantiſſæ Anatomicæ Obſervatione IIX.

XLVI.

Deglutitio difficilis à caruncula gulæ.

OEſophagi ulcere ex lue Venerea ſanato, caruncula ſuborta ſolidorum ac liqvidorum deglutitionem cum dolore difficilem reddidit. Æger diu vitam trahens tandem ad plures penetravit.

XLVII. Di-

XLVII.

Diglutitio difficilis à tumore ſcirrhoſo.

ANno cIↃ IↃc XXVII. Patavii nobilis virg Deo ſacrata jam ſeptem ac decem annis vi aliqvot guttulas liqvoris demittit. Oeſophag nempe ab oſſiculo aviculæ olim ſaucio ſchirrho ſus tumor affluente materia genitus.

Murani qvoq; alia ab intempeſtivo refrige rantium ad inflammationem uſu contracto gul ſcirrho aſſumta ægerrimè deglutiebat.

XLIIX.

Deglutitio abolita.

ADoleſcentulo octenni per febrem ardente abolita deglutitio ab œſophagi anguſtia qvæ tanta, præſente Joanne Prevotio, ut gula ca davere aperto aqvam non admitteret.

XLIX.

A pyro cocto devorato mors.

ANno cIↃ IↃc XXVI. ſervus qvidam Pat vinus pyro cocto avide vorato cum gr viſſimis ſymptomatibus confeſtim interiit, ad ſtis nervis, qvi ventriculi orificio jungu tur.

L. A py

L.

A pyro crudo improvide deglutito ſuffocatio.

ANno cIↄ Iↄc LIII. adoleſcens pyrum crudum temere in ore agitat, rupto petiolo in fauces invito delabitur; qvibus dum eximi nevit, ſpiritum intercipit.

LI.

Atramentum ſcriptorium impunè hauſtum.

ANno cIↄ Iↄc XXXIIX. puer trimus Luciæ Baſſanenſis nepos, atramentum ſcriptorium confertim hauſit; nec ullum percepit incommodum præter leviuſculum gulæ ardorem, poſt aliqvot annos febre defunctus.

LII.

Ventriculi abdominisq; inflatio ſubita.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. Illuſtriſſimus Aloiſius Delphinus Præſul Vicentinus, qvum ad temperiem capitis humidam chinæ decocto viginti diebus eſſet uſus, pridie feſti B. Virgines Deiparæ aſſumtis piſcibus, ventriculus & abdomen confeſtim intumuere, nec ullis remediis flatus diſcutere licuit. Autumno ſeqventi primum in tym-

in tympaniten, deinde in aſcitem novem men-
ſium fatalem incidit. Res mira, qvandoqviden
inflatio morboſa plerumq; ſenſim oritur.

LIII.

Ventriculi ab uvis abſumtis eroſio.

PUellus ab immodico uvarum eſu trium hora-
rum ſpatio extinctus. Ventriculus perfora-
tus copioſum ichorem viridem continebat. Q
procul dubio erat bilis æruginoſæ cujus ingen
eſt acrimonia.

LIV.

Inedia plurimorum dierum.

LIbro de principiis, qvi vulgo *de Carnibus* in-
ter Hippocraticos refertur, *pleriq;, qvi ſepte*
diebus nihil edere aut bibere volunt, in his morin-
tur; qvòd ſi qvi eos ſuperaverint, nihilominus ta-
men moriuntur. Etſi verò ipſius mihi fides cu
Valleſio ſemper ſuſpecta fuerit, nec is Hierony
Mercurialis judicio Hippocratis Coi german
cenſeatur, huic tamen placito etiam refragat
magiſtra nobis experientia. Nam Joannes D-
minicus Sala cibi abſtinentiam ad undecimu
diem ſine detrimento, notavit. Mulierem qvo
dies viginti ſive alimento ſuperſtitem vidit H-
ratius Augenius. Qvales etiam ſuæ commiſſ
cu

uræ memorat Antonius Muſa Braſavolus Commentar. in Hippoc. de rat. vict. in acut. Lib. I. Sect. XLIV. Patrem ſuum à nono ante obitum die prorſus cibo abſtinuiſſe memorat Hieron. Cardanus de vita propria Cap. IV. Rarum inediæ exemplum Centur. II. Obs. XLII. edidit Fabricius Hildanus, mihi dum fuit de optima fide notus: pariter Joſephus Qvercetanus Diætet. Polyhiſt. Sect. II. Cap. IV. Diuturnæ inediæ cauſas eruditiſſimo Commentario enucleavit Fortunius Licetus ingens ævi & neceſſitudinis noſtræ decus.

LV.

Inedia decem dierum ſine ſenſu ac motu.

Anno cIↃIↃcXXVI. ad Benedictum Silvaticum Brixia perſcriptum, virginem religioſam decem dies ſine ſenſu ac motu, & ſine alimento ſuperſtitem ad ſe tandem rediiſſe. Plerosq; ultra diem undecimum inediam tolerasſe notat Philippus Beroaldus in Lib. I. Tuſc. Quæſt. Cic. Qvod in pueris valetudinem recipientibus notavit Polydorus Seraphinus de error. med. in verminantibus ad ſeptimum diem Trincavel. de cur. aff. part. Lib. VII. Cap. V.

LVI.

Juvenis nullo potu vitam agens

ANnò cIↄ Iↄc XXVII. Illuſtriſſimi Anton. Canalis Prætoris Patavini, filius viginti an norum omni potu abſtinuit.

Annò cIↄ Iↄc XXXI. juvenis viginti & unum natus annos fructibus impenſè delectatus potum nunqvam eſt expertus; imò, ne juſcul qvidem admittit, etiamſi aromaticis & ſalſ veſcatur; prævaleſcente, nî fallor, corporis hu more viſcoſo, cui calor impar. Joviani Por tani tempore dum vixit qvendam vinum au aqvam nunqvam libaſſe narrat Marcellus Do natus Hiſtor. med. Lib. VI. Cap. III. Tullium Chryſogonum Dalmatam Patavii nihil unqvam liqvoris adſumſiſſe narrat Alexander Maſſari Practicæ Lib. VI. Cap. I. Germanum qvendam non bibiſſe Franciſcus Pona Eqves teſtatur de vitiata Reſpiratione Cap. VII. Priamum inter Galliæ proceres diu ſine omni potu vitam tra duxiſſe ſcribit Illuſtriſſimus Aloiſius Lollinus in ter patricios Venetos noſtri ævi eruditiſſimu qvondam Præſul Bellunenſis Lib. IV. Epiſto Marchionem qvoq; à Gallorum Rege in Ita liam ablegatum, à teneris nihil penitus biben tem Baſileæ ſibi viſum tradit Felix Platerus Ob ſervationum Lib. I. de Appetitus Defectu. D Julio Viatore ſimile qvidpiam refert Plini

Natu

Natur. Hiſtor. Lib. VI. Cap. XIIX. De Magone Carthaginienſi & Laſyrta Laſyonio Athenæus Deipnoſoph. Lib. II.

LVII.

Malacia hæmorrhoidum fluxû ſanata.

SCabie fœdatus malacia trimeſtri cruciabatur. Oborto hæmorrhoidum fluxu, ſine aliis præſidiis, qvibus præ fortunæ tenuitate impar erat, die ſecundo ex morbo evaſit. Nimirum materia in venis hærente nervi ventriculi afficiebantur: qva ſubtracta, æger liberatus fuit à moleſtia. Ex qvo manifeſtum eſt, in hoc affectu materiam non ſemper nervis impingi.

LVIII.

Caſei averſatio miranda.

JOannes Prevotius Profeſſor Patavinus optimi temperamenti, & ventriculo ad qvævis eſculenta firmo, Caſeo ſecto veſcebatur ſatis commodule, tritum ſine vomitu & ventriculi fluctuatione vix deguſtabat.

LIX.

Ruminationis humanæ cauſa.

VItio plane belluino humanis calamitatibus novitas pondus adjecit. Nimirum invito cibi

à ventriculo non confecti in os retroceſſu cum voluptate mandendi, à levi expultricis motu irritatæ ab aſperiori & vix attrito ob ingluviem cibo. Cauſa tandem verior innotuit paucorum fato.

In cœnobio D. Juſtinæ Patavii Monachus qvidam cum voluptate cibos ruminavit. Joannes Thomas Minadous cæteriq; primi nominis medici brutorum more gemino ventriculo præditum putabant. Ipſo morte ſua defuncto, Franciſcus Plazzonus, Antiſtite ac Minadoo præſentibus, oeſophagum reperit undiqvaq; carnoſum inſtar muſculi reliqvis univerſi corporis partibus ſe rectè habentibus. Marcore interiiſſe notat Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente de varietate ventriculi. Ubi & alterius addit ruminationem, cui ventriculus fuit ingens, membrana interiora admodum aſpera. Hac etiam patrem juxta filium in Germania qvondam affectum ad C. V. Joannem Burgouerum amicum noſtrum perſcribit Gregorius Horſtius Epiſtol. Medic. Lib. III. ſect. III.

LX.

Singultus à pituita difficilis curatus.

SUtori Patavino ſeptem dies graviter ſingultienti Hieram cum Oxymelite præbuit Bene-

dictus

dictus Silvaticus. Excretis pituitæ unciis duodecim & qvod excedit, planè ſanatus fuit. Ecce, qvanta vis medicamenti etiam leviſſimi opportunè dati: ut non opus ſit ſubinde operoſa conqvirere. Simile qvid à ſe tentatum monet Duretus Enarrat. Cap. XXXIII. Lib. I. Holler. de morb. intern.

LXI.

Singultus continuus.

ANno clɔ Iɔc XLIII. Patavii Germanus adoleſcens compreſſa thoracis vertebra undecima, qvæ ventriculi orificio ſuperiori objecta, perpetuo graviſſimè torqvebatur ſingultu, nec ullus remediis locus fuit. Vicinum etiam Bartholinus conſpexit.

LXII.

Vomitus eſſentialis copioſus.

VIrgo veſtatis è familia Zabarellæ in cœnobio D. Blaſii ſuppreſſis anno qvadrageſimo purgationibus menſtruis in octogeſimum ſeptimum qvotidie triplum ad aſſumta, nempe ultra libras tres bilis, cum tolerantia per os reddidit: ceſſante vacuatione vertiginem ſibi moleſtam aliaq; accidentia fuit perpeſſa.

LXIII.

Vomitus à gemino ventriculi Steatomate perpetuus.

JOannes Prevotius in cadavere qvodam vidit Steatoma parti internæ orificii ſuperioris ventriculi magnitudine ovi adnatum, qvo propendente vomitus continuè infeſtabat; alterum digiti longitudine ad ſiniſtrum qvoq; orificium, ejusdem mali cauſam.

LXIV.

Vomitus ſangvinis ſalubris.

ANno cIↄ Iↄc XXV. Patavii duæ vixerunt fœminæ, una Deo dicata, altera cælebs. Imminente fluxu menſium pridie ſangvinem innoxiè rejecerunt, imò vomitum præſenſere. Qvem ſi medicus cohibere tentaret, varia ſuborta ſunt accidentia ipſo vomitu ſublata.

LXV.

Vomitus cruentus cum dejectione bilis atræ.

ANno cIↄ Iↄc XXVII. Virgo ſacra cœnobii Omnium Sanctorum mulierculaꝛum conſilio ulceri antiqvo ac tetro tibiæ dextræ adſtringentia qvædam & ſiccantia admoverat. Inde ſangvinis vomitus, cum dejectione ac vomitu atræ bilis,

ʾilis, qvæ atramentum ſcriptorium nigritie ſuʾperabat. Recrudeſcente per autumnum malo ʾum cordialgia fatis ceſſit.

LXVI.

Vomitus miſſione ſangvinis curatus.

JUvenis qvidam Patavinus boni habitus prorumpente materia fervida ex hypochondrio dextro in vomitionem conjectus (nullis potuit ſanari auxiliis præterqvam ſangvinis vacuatione; tametſi de ea multum dubitarent medici. Ab hac nempe jecinoris intemperies deſiit.

LXVII.

Vomitus eodem remedio ſedatus.

NAutæ pariter ad D. Joannem puri alimenti ſive cibi vomitus cum appetitu cucurbitula ad ventriculi fundum affixa reprimi non potuit: ſed ſola ſangvinis detractione, ſic enim calida jecoris evaporatione imminuta, qvæ ſuperius ventriculi orificium vellicabat, laborans ad priſtinam valetudinem rediit.

LXIIX.

Vomitus pane bis cocto repreſſus: qvi etiam deſtillationi remedio.

VOmitum diuturnum ab inſigni laxitate ven-

triculi refrenavit mercator, Patavinus aſſumtis qvotidie per dies qvadraginta mane jejuno ventriculo ſine potu qvatuor autqvinq; horis ante prandium panis bis cocti duabus vel tribus unciis. Humore namq; conglobatus in pilæ modum ventrem mollit, ac ventriculum inſigniter corroborat. Huic remedio præluxit Plin. Lib XXII. Cap. XXV. contra deſtillationem. Qvam Nicolaus Fabricius Peierſchius Galliæ atq; ſeculi ornamentum buccella cruſtæ ſicci panis cum tragemate odorato compeſcuit, referente V. C. Petro Gaſſendo in vita ipſius Lib. VI.

LXIX.

Cholera periodica.

ANno cIↃ IↃc XXIIX. IV. Januarii Joannes Prevotius pro lectione retulit, qvendam aſſumto antimonio non ſatis correcto ſingulis ferme hebdomadis per biennium aliqvot horis cholera moleſtiſſima fuiſſe vexatum.

LXX.

Cardialgia à flatu.

PHarmacopœus qvidam à flatu diſtendente ſuperius ventriculi orificium cardialgia correptus cum difficili reſpiratione, ſero copioſiſſimè per urinas excreto intra qvatuor ac viginti horas convaluii. Cujus etiam

hujus

hujus Centuriæ Obſ. XXII. memini. De gravi inflatione ventriculi conſulatur Epiph. Ferdinandus Hiſt. LXXVI.

LXXI.

Cardialgia ex potu frigidæ.

JUvenem gracilem, & in febre Tertiana à vomitionibus bilioſis extenuatũ cardialgia invaſit exqviſita à potu frigidæ, contractis orificii ventriculi nervis.

LXXII.

Cardialgia ab hirudinum morſu; item à ſerpente.

JOannes Prevotius ab Hercule Saxonia ſummo viro aqvæ ſalſæ potu confeſtim ſedatam vidit Cardialgiam à morſu hirudinum, qvæ naribus adhibitæ chirurgi negligentia in gulam irrepſerant. Sal enim iſtis animalculis adverſum. Qvo nomine hirudines muria excutit autore Dioſcoride Lib. VI. Cap. XXXII. A ſerpente per os ruſticæ in ventriculum ſubrepente idem malum Benedicto Silvatico animadverſum.

LXXIII.

Cardialgia à vermibus.

ANno cIↄ Iↄc XXX. IV. Januarii puella habitior trium & viginti annorum Cardial-

gia infeſtata, qvum propinatæ fuiſſent ipſi mellis roſacei unciæ qvinqve cum pulpa tamarindorum ex aqva rutæ caprariæ, ventre purgato viginti vermes vivos evomuit. Menſibus inde retentis hypochondrium ſiniſtrum cum ſenſi pulſationis intumuit. Ad avertendam igitur lienis inflammationem mox eadem veſpera è ſaphena ſiniſtra ſangvinis unciæ ſex miſſæ. Vermem vomitu rejectum notavit Antonius Benivenius de Abditis ac mirandis morborum & ſymptomatum cauſis Cap. II. & LXXXIIX. Qvalem etiam hujus Cent. Obſ. XII. indicavi.

LXXIV.

Inteſtinorum lapis homini cum veterino communis.

LApidem ab inteſtinis ſibi viſum pernegat de Locis affect. Lib. VI. Cap. II. Galenus, qvicqvid ei adſcribat Ægineta Lib. III. Cap. XLI. coli rarum advertit Aetius Tetrab. III. Serm. I. Cap. XXX. itemqve Bernardus Gordonius Part. V. Cap. XIIX. Poſteris tamen aliqvoties occurrit. Realdum Columbum Anatom. Lib. XV. teſtem habeo, ac Petrum Salium Annotat. ad Altimar. Cap. LXXIX. itemqve Ambroſium Paræum Chirurg. Lib. XXIV. Cap. XIX. Franciſcus Frigimelica dolori colico ſæpe obnoxius pila duriſſima ovi gallinacei magnitudine per alvum excreta convaluit, annotante Aloiſio Bellacato. Qvod

etiam

tiam in literas retulit Hieronymus Capivacce-s Pract. Lib. III. Cap. xiii. Globum tophace-m à muliere nobili dejectũm autor eſt Jacobus ollerius Schol: Cap. lvi. Lib. I. de Morbis inter-is. Malo Punico ſimilem ſibi conſpectum ſcri-it Riolanus pater Meth. Gener. Lib. II. Sect. II. ap. II. ovo parem Anſelmus Boëtius à Boot de emmis Lib. II. Cap. ccxcix. Viderunt etiam alculum alvo redditum Matth. de Grad. Cap. xiv. odericus Fonſeca de Calcul. Remed. Lib. I. ap. v. & Zacutus Luſitanꝰ Prax. Med. admir. Lib. I. Obſ. cxxix. Qvinto geſtationis menſe poſt in-entia ventris tormina mulier tres calculos cine-os & ſpongioſos dimidii ovi magnitudine tribꝰ artibus junctos pondere ſemunciæ reddidit ob-rvatione Joañis Matthæi Caſu II. Plures lapillos ullo dolore deturbatos nucis juglandis & caſta-eæ magnitudine deprehẽdit Ferneliꝰ Patholog. ib. VI. Cap. ix. piſi ac hordei Ludovicus Auge-ius parens, ut refert Horatius in Comment. Ar-s Curat. ad Glauconem Galeni. Cujus ge-eris Diarrhœam calculorum notarunt Hercules axonia Pract. Par. II. Cap. xix. Sect. I. Alexan-er Maſſaria Pract. Lib. III. Cap. xiix. Joannes homas Minadous ad Gal. de loc. affect. Lib. IV. ap. II. qvi apud me ſervatur, Joann. Hayn de orbis Aſtralibus Cap. V. Adde, ſi libet, Corne-um Gemmam Cosmocrit. Lib. I. Cap. VI. Vi-torem Trincavell. de cur. affect. part. Lib. X.

Cap.

Cap.VI. Marcell. Donatum Med. hiſt. mir. Li V. Cap.IV. Joan. Hornung. Epiſt. CCXXIX. Petrum Poterium Obſervat. ſingular. Cent. I. Curat. LXXXII. Henricum Rufum ad Lazarum Riverium Obſerv. IV. & Danielem Sennertum Pract. Lib.III. Part.II. Sect.I. Cap.I. Qvibus jure accedet Antonius Fracancianus in Prælect. ad IX Raſis de Colica, ſi qvando lucem apud me impetraverit. Mea qvoqve memoria An. cIↃ IↃ XXVI. Nobilis qvidam Foro-Julienſis Diacrydio aſſumto calculum dejecit duas ferme uncias pendentem, Prevotio teſte, cujus uberiorem nobis uſuram fatum præripuit. Benedictus Silvaticus etiam vidit matronam nobilem poſt ingentes coli dolores injecto clyſtere binos ovi columbini magnitudine per alvum calculos poſuiſſe. Cujus meminit Cent.III. Conſ. VII.& LVI Nec humanum duntaxat genus hæc offenſa prægravat; qvin etiam veterinum. Franciſco Bottanæ honorato negotiatori An.cIↃ IↃc XXXIX Veronæ eqva cito alvi turbine calculorum qvartarium cinerei coloris cicerum forma reddidit plurimis poſt annis hero commoda. Eorum mihi copiam fecit Poliater celeberrimus Petrus à Caſtro crebris exercitationibus optimè de Medicorum filiis meritus.

LXXV.

Membranæ inteſtinorum excretæ ſine noxa.

Oannes Prevotius Nobilis Raguſei Dyſenteria decumbentis curationi præfectus ingenti ole inteſtinorum membranas vidit egeri. Nec men æger interiit.

LXXVI.

Inteſtini coli Scirrhus.

ANno cIↃ IↃc XXIII. ix. Junii cum Adriano Spigelio inviſi monachum Caſſinenſem x flatibus Hypochondriacum: in qvo ſcirrhus oli manifeſtus, mobilis, nec jecinoris figuram ervans: qvibus notis ab iſtius viſceris obſtrutione diſcernebatur. Contactum ejus hemirania, ſeqvebatur. Clyſtere emolliente bis ter e in hebdomada injecto plurimum profecit. Unventum ex medulla bovis & oleo cumini cum ıccida ſuperimpoſitum. Inteſtini cœci ſcirrhum n cadavere hominis ileo extincti occurriſſe reliqvit Fabricius Hildanus Cent. I. Obſ. LXI. Ilei ine iliaca paſſione in muliere octoginta annoum tradit Hippolytus Boſcus Sect. I. de facultae Anatomica.

LXXVII.

Coli dolor inteſtinis conglutinatis.

Nobi-

NObilis Patavinus prope Servitas Auguſti-nus Piazzolus inteſtinis à dyſenteria con-glutinatis ſæviſſimis coli doloribus excruciatu[s] tanti mali cauſam ab interitu detexit.

LXXIIX.

Coli inflammatio letalis.

ANno cIↄ Iↄc XXIII. Decemb. II. Adrianu[s] Spigelius monuit ſenibus qvandoqve co[-] ſtam ſpuriam incurveſcere, eaqve colon inteſti-num pungente inflammationem ac mortem in-ſeqvutam.

LXXIX.

Iliacus dolor cum dejectione.

FIgulus qvidam Patavinus Iliaca paſſione cor-reptus paulò ante obitum ventrem exonera-vit. Anno cIↄ Iↄc XXIV. menſe Majo idem Juris conſulto Patavino ætatis anno ſupra octogeſi-mum ſexto tribus ante obitum horis accidit, fa-tiſcente jam natura; ſolutaqve vi retentrice. It[em] mulier ad Tiſamenum alvi recrementa cruda, te-nuia; pauca reddens nihil juvantibus remedii[s] periit, ſene Coo teſte de morbis popularibu[s] Lib. III. Sect. VII. Ægr. IX. Id etiam ſibi viſum affirmat Petrus Salius de affect. particul. Cap. XI.

LXXX.

Volvulus hydrargyro propi-nato curatus.

Ann[o]

ANno cIↄ Iↄc XXIII. Februarii IIX. memoravit Aldrighettus de Aldrighettis Brixiæ Medicum longo uſu famigeratum Hydrargyri unciis qvatuor cum melle roſaceo ſolutivo propinatis Iliacum dolorem ab inverſione inteſtini deploratum compeſcuiſſe.

LXXXI.

Alvi ſuppreſſio indemnis.

NObilis Germanus corpore valido Baronis à Sinzendorff Ephorus dies qvatuor & viginti nihil per alvum reddebat, ſine omni valetudinis offenſa, ventriculi tam firmo, ut jam pranſus medium capum abſumeret. Puellam trimeſtri ſpatio vix ſemel alvum poſuiſſe notat Jo. Heurnius in Hippocr. de Purgantib. Remed. Tex. XIV.

LXXXII.

Alvi adſtrictio letalis.

MIliti cuidam Patavii Dyſenteria laboranti mutuo utriusqve lateris ulcerati contactu inteſtina coaluere. Venter ſuppreſſus tandem mortem accivit.

LXXXIII.

Alvi retentio ab uſu decocti.

ALii inteſtina ab uſu decocti columbi cum ſaſſafras arefracta concidere. Idipſum à calidis medicamentis contigiſſe refert Marcellus Donatus Med. hiſt. Lib. IV. Cap. X.

LXXXIV.

LXXXIV.

Diarrhœa ab urinæ ſuppreſſione.

Lotio à caruncula urethræ poſt gonorrhæam ſuppreſſo Diarrhœa ſucceſſit in generoſo Polono, cui Benedictus Silvaticus aderat.

LXXXV.

Diarrhœa ſangvinea Critica.

Anno ciↄ Iↄc XXIII. Febris malignæ ardentis, qva decumbebat Uladislai Epiſcopi Poloni nepos, die ſeptimo & decimo fluxus alvi magno cum fœtore tam ingens ſupervenit, ut ſeſqvihoræ ſpatio ſupra triginta octo libras excretus fuerit per alvum ſangvis niger. Ex qvo æger ſibi reſtitutus Joanne Prevotio curam gerente. Natura nempe ſangvinem circa jecoris cavitatem corruptum depoſuit, facultate excretrice admodum valida. Ideoqve in Diarrhœa cruenta neqvicqvam animum deſpondere convenit. Matronam qvoqve Patavinam obſervavit Prevotius die febris acutæ decima ſeptima poſt fluxum bilioſum evaſiſſe, itidemq; hoc morbi die Juriſconſultum Patavinum.

LXXXVI.

Dyſenteria à potu lixiviæ pernicioſa.

Puerum

PUerum lixivia imprudenter hauſta dyſenteriam ſibi pernicioſam contraxiſſe, teſtis mihi enedictus Silvaticus.

LXXXVII.

Dyſenteria diuturna cum febre ac Paralyſi.

ANno cIↃ IↃC XXIII. Septembris XI. cum Joanne Prevotio inviſi juvenem Polonum, ienſes tres Dyſenteria laborantem, qvæ alteratim tanqvam in Paralyſin mutabatur, alvo gni podagram minata. Bilis ac puris plus triplo ddidit, qvam alimenti aſſumſit. Idq; febre innſiori. Ophthalmiam & articulorum dolorem Dyſenteria prodidit Joannes Matthæus Obrv. Medic. Caſu IX. Ex qvo ſubtiliſſimi Fernei ſententia de Part. Morb. & Sympt. Lib. VI. ap. xiix. non ſemper firma, podagræ materiam er cutis partes derivari, ſed per venas etiam pantiores.

LXXXIIX.

Dyſenteria cum febre, ſine dolore.

ANno cIↃ IↃC XXII. XIII. Auguſti cum Joanne Dominico Sala duos vidi nobiles atavinos Dyſenteria cum febre ſine dolore deumbentes. Qvæ hujus morbi ſpecies Patavii eqvens eſt.

LXXXIX.

Puris per alvum excretio, à dextri brachii ulcere; itemq; à medicamento, à ſuppuratione, uteriq; abſceſſu.

PUer nobilis Venetus annos qvinq; natus, dextri brachii ulcere vexatus cum convulſione pus merum qvandoq; per alvum excernebat, illæſo ventriculo, inteſtinis tamen minimè integris, qvandoqvidem pus etiam per umbilicum ſtillabat, certoq; ulcerationis indicio per ipſum nuclei pini & uvarum acini prodibant. Valetudinem recuperavit ſpectante Silvatico, qvi nuper hiſtoriam vulgavit Cent. II. Conſ. LXXXIX.

Exhibitis viro Illuſtriſſimo mellis violacei ſolutivi ſex unciis, puris libræ ſex per alvum dejectæ.

Nobilis Patavinus à Pleuritide ſuppuratus ultra ſex libras puris alvo depoſuit; & ſacra virgo ex uteri abſceſſu plus qvam decem.

XC.

Urina per alvum emiſſa.

ANno cIↄ Iↄc XXX. urina ab urethræ caruncula cœnobitæ ſuppreſſa per inteſtinum rectum clarè fluxit, donec ſublata obſtructione ad conſvetam viam natura duceret. Simile malum prodidit Benedictus Silvaticus Cent. II Conſ

onſ. XCV. Praxagoras etiam apud Ruffum phéſium de Veſ. Aff. Cap. IIX. qvendam vidit nnis duodecim urinam per ſedem reddidiſſe. oan. Schenckius Lib. III. Sect. poſt. Obſ. CCXLIV. huic hiſtoriæ alias adnectit. Qvod enus pariter notavit V. C. Gregorius Horſius apud Fabricium Hildanum Cent. V. Obrv. XLVII. Ab urinæ ſuppreſſione obſervait Hildanus de Lithotomia Cap. V.

YCI.

Feces per muliebria egeſtæ.

ANno cIↃ IↃc XXII. Auguſti XXXI. mulier in valetudinario D. Franciſci utero ac ineſtino recto eroſis à fluxu albo cum lue Venerea arte anteriore feces reddidit, poſtica lotium, rdine naturæ inverſo. Qvod Aldrighettus m tertium viderat. Septembris XXIX. vita reeſſit. Simile qvid obſervavit etiam Cent. II. urat. X. Amatus Luſitanus. De Hebræi puella atavii talem hiſtoriam recitat elegantiſſimus ieronymus Mercurialis de Morbis puerorum ib. I. Cap. IX Nec omiſit diligentiſſimus Daiel Sennertus Pract. Lib. IV. Part. I. Sect. I. ap. I. Prodidit etiam Benedictus Silvaticus ent. III. Conſ. XVII. Antonius Benivenius e abditis morbor. cauſ. & curat. Cap. LXXXVI.

puellam vidit, qvæ clauſo ani meatu nata octavo qvovis die recrementa è naturalibus reddebat. In Gallia & Dania talem excrementorum viam bis deprehendit Thomas Bartholinus Cent. II. Hiſt. LXIII. Plures hujus generis hiſtorias proſeqvitur Joan. Schenckius Lib. III. Sect. I. Obſ. CCLIIX.

XCII.

Feces ex ingvine redditæ.

INteſtino tenui diſſecto à curione, qvi ſe bubonocelen curaturum profitebatur, Joannes Prevotius ruſticum vidit ex ingvine toto vitæ curſu alvi feces faſculis excipientem. Similem affectum narrat poſt Galenum de loc. aff. Lib. I. Cap. I. Hildanus Cent. I. Obſerv. LXXIV. Qvalis etiam ruſtici fuit in valetudinario D. Franciſci Patavii decumbentis, cui inteſtinum in ingven prolapſum una cum ſcroto computruerat. Virum integerrimum Carolum Offredum teſtem advoco.

XCIII.

Hæmorrhoidum fluxus ingens.

PAtávii Anno cIↃ IↃc XXIIX. Clericorum Regularium miniſtrum novi, cui ſupra decimum jam annum per hæmorrhoides qvotidie ſangvinis ferè qvatuor unciæ manabant, ſine labe viſcerum, aut facultatis naturalis debilitate.

Mulier

Mulier ibidem ſuppreſſis menſtruis qvatuor menſes integros ultra qvatuor ſangvinis uncias excrevit qvotidie per hæmorrhoides; adeoq; hoc temporis ſpatio libras unde triginta: imò fluxu ad horam ſaltem ceſſante, mox in animi deliqvium incidit. Hiſpanum integra valetudine ſangvinis libram qvovis die per hæmorrhoides emiſiſſe ſcribit Dominicus Panarolus Pentecoſte II. Obſ. XLVI. Joannes Baptiſta Montanus Conſil. CLIII. interdum libras decem, qvandoqve duodecim, nonnunqvam viginti qvinqve, imò paucis diebus triginta ſex, & qvadraginta manaſſe refert à nimia ſangvinis copia.

XCIV.

Hæmorrhoidum excreſcentium curatio facilis ac tuta.

Medicamenta adurentia Celſi Lib. VI. Cap. XIIX. & ab Ægineta Lib. VI. Cap. LXXIX. ex Leonide repetita parum tuta. Mitiſſima heic medendi ratio erit, præmiſſo medicamento leniente è ſyrupo roſaceo ſolutivo & ſyrupo de Polypod. compoſito diſſolutis in decoctione tamarindorum ex aqva plantaginis, & ſyrupo alterante ex jure pulli cum acetoſa, cichoreo, ſoncho & agrimonia parato, additis ſyrupi de

pomis & acetoſi ſimplicis partibus æqvalibus. vaporare hæmorrhoides alternatim ſpongiis duabus expreſſis è lactis vaccini chalybeati libra, in qva foliorum hyoſcyami manipulus ſemis ad qvartas ebullierit, addita ſucci cydoniorum uncia. Perſeverante autem dolore, vim ejus remiſſiorem deprehendi, ſi pro hoc fotu rad. althææ uncia, foliorum verbaſci manipulus ſemis ex aqvæ chalybeatæ percolatæ viniqve rubri ſingulorum unciis octo ad conſumtionem tertiæ coqvantur, additis colaturæ expreſſæ ſucci hypociſtidis drachmis duabus, & opii granis qvinq;. Lamina candente mox admota cominus hæmorrhoides contrahuntur ac veluti corrugantur. Qvæ in ſuum repoſitæ locum, ne denuo procidant, annulo ferreo dextrè cohibentur: qvem ſummi ingenii viro Paulo Servitæ Veneto plures magno commodo acceptum referunt. Annulum verò aluta utrinq; continet, qvæ perinæum & clunes verſus faſciis qvatuor ejus capitibus adſutis lineo cingulo innexis firmatur.

XCV.

Meſenterii abſceſſus ſine febre.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. Julii XXV. Franciſcus Caſtellus Patavinus Chirurgus dexterrimus

errimus ad ſenium vergens temperamenti bi-
ioſi anno ſuperiore menſes decem fluxu hepa-
ico implicitus continuo ſucci cichorei & ab-
ſinthii uſu cum maſtiche & rhabarbaro reſtitu-
us, nunc initio ſanioſa, deinde bilioſa & pi-
uitoſa cum dolore virumqve debilitate reddi-
dit. Feces, præter eas, qvæ clyſteribus evocatæ, nihil puris habebant. Urinæ conſtitutio naturalis, Pompejus Caimus putabat eſſe jecinoris ἀτονίαν ſive infirmitatem, ex qva chylus ita crudus ad inteſtina remearet. At fluxus iſte jam deſierat. Joannes Prevotius credidit meſenterii abſceſſum adeſſe. Nec abſonum, eo rupto, loco nempe interiore, nullam perſenſiſſe febrem, à qva, ut & à torminibus, planè immunis erat. Rectè divinaſſe docuit eventus, qvum paulò poſt is medio exceſſiſſet.

XCVI.

Meſenterii pars oſſea.

Puella qvædam ſatis boni habitus Ictero fœdata diuturno: tandem poſt initum aperientium aliorumq; præſidiorum uſum vita ipſam defecit. In cadavere præter veſicam felleam ejusq; meatum in duodenum inteſtinum bona meſenterii pars fuit planè oſſea. Itaq; recedente in ventriculum bile, aſſumto cibo dolor vehemens à materiæ commotione cruciabat.

XCVII.

Pancreas ſcirrhoſum.

PAncreas aliqvando in ſcirrhum & cartilagineam duritiem faceſſit, ut Mantuæ in filio Marchionis cujusdam. Ab eo ſi comprimitur vas breve, humor melancholicus in ventriculum & inteſtina remeat. Hinc vomitus & dejectio nigra. Ex eo qvoq; gangrena, ut in famulo menſarii Bononienſis.

XCIIX.

Abdominis tumor.

ANno cIↄ Iↄc XXII. puero in valetudinario D. Franciſci diſſectus abdominis tumor, qvi latebat intra muſculos. Effluxere puris libræ tres ſine ulla noxa.

XCIX.

Umbilici calculus : tum Abdominis.

ANno cIↄ Iↄc XXIIX. Januarii XXVI. Mantuæ in theatro anatomico memorabat Fabricius Bortoletus ſe Bononiæ in ſatellite qvodam defuncto in valetudinario offendiſſe umbilici lapillum nucis avellanæ magnitudine : item in miniſtro nummularii, qvi erumpente calculo poſt ſuppurationem convaluit. Lapillos etiam umbilici notavit Columbus Anatom. Lib. XV. Calculum ex umbilici abſceſſu

proſilien-

proſilientem conſpexit Aldrighettus de Aldrighettis noſtra memoria ſolers Patavii medicinæ Profeſſor. Viderunt & alii apud Schenckium Lib. III. Sect. poſt. Obſ. CCCLXIV. Qvod neqve Veslingius præteriit Syſtematis Anatomici Cap. V. Qvid qvod Veronæ Joannis Baptiſtæ cauponis uxori ad portam Epiſcopi, poſt diuturnam toto autumno febrem erraticam & inſignem ventris duritiem ſuccedente ad menſem ferme copia notabili alvi fluore mucoſo, qvalis renum eſſe conſvevit, qvo ceſſante febris invaleſcebat, redeunte deſinebat, dolore gravi ac diuturno è regione renis dextri ad ilium protenſo, tandemq; ceſſante, tumor ingens abdominis ad ilium ortus, qvo cum dolore acerrimo in pus verſo & aperto, intra qvindecim dies cum pure prodierint cicerum magnitudine calculi fermè qvadringenti ſubcrocei coloris, non admodum duri, qvorum meditullium album & nigrum deprehendit Petrus à Caſtro Poliater. Abſceſſu glutinato valetudinem recepit ſine omni ventris duritie.

C.

Inveterata hypochondriorum obſtructio curata.

Franciſci Contareni Sereniſſimi Venetorum Ducis noſtra memoria feliciter inaugurati frater Nicolaus fœminæ cujusdam conſilio Rha-

barbari in aqva leviter decocti potu inveteratas
hypochondriorum obſtructiones removit: jam-
qve hoc ipſo remedio ex eo tempore familiam
ſuam à diverſis affectionibus incolumem ſervat.
Nec immeritò Joan. Baptiſta Montanus de Fe-
bribus Conſ. X. in obſtructione pertinacem ejus-
dem uſum ex aqva endiviæ imperat.

CENTURIA III.

I.

Hypochondrii dextri tumor curatus.

ANno cIↃ IↃc XXVI. XIII. Januarii fœmi-
næ robuſtæ, conſiſtentis ætatis, fuſci colo-
ris, jam ſexto & qvadrageſimo die febre conti-
nua in valetudinario D. Franciſci afflictæ dex-
trum hypochondrium cum tumore rubicund
valde tenſum erat. Muſculorum fuiſſe, non u
teri, vel jecoris, perſvaſit doloris ad contactum
exacerbatio. Pulſus neqvicqvam freqvens ac
celer, qvalis indicat viſceris inflammationem
qvæ ſine abſceſſu, imò ſine morte, tanto tempo
vix perduraſſet. Sangvinem è venis majoribu
duci vetuit imbecillitas virium. Itaqve è ſa

vate

vatella duas ſangvinis uncias placuit extrahi, deinde è ſaphena, ne materia in locum affectum duceretur: inde malagma emolliens impoſitum. Sexto hinc die Petrus de Marchettis ferro abſceſſum aperuit, ulcusqve curavit, ægra convaleſcente.

II.

Veſicæ felleæ calculi.

ANno cIↃ IↃc XXXVII. Januarii XXI. in cyſti fellea binos conſpexi calculos nigriantes.

Anno cIↃ IↃc XXV. xiix. Januarii in va- tudinario D. Franciſci mulier etiam hydrope iblata qvatuor lapillos habuit angulares viri- es atqve in nigrum deſinentes. Cujus in Ob- rvationibus Anatomicis V. C. Thomæ Bartho- no dicatis à me facta mentio Hiſt. xxiii.

Anno cIↃ IↃc XXIIX. Cal. Februarii antuæ in Anatome Fabricius Bartoletus retu- ſe in veſica fellea nobilis fœminæ reperiſſe ecentos lapillos magnitudine ciceris. In Prin- pe Mantuano FERDINANDO GONZA- A munificentiſſimo eruditiſſimoq; Academiæ nditore ad orificium veſicæ triangularem cal- lum offendit. Salem urinæ volatilem cum iritu ſulfuris, ſummum heic remedium exiſti- avit. Tales olim viſi in veſicula CHRISTI- NI III. Daniæ Regis mitiſſimi, Joanne Kent-

man-

manno teſte in Libello de Calculis humani co
poris; etiam Patavii in cadavere Germa
febre continua mortui trianguli, qvadrangul
omniumq; formarum, carbonis in modum nig
Itemqve in Friderico Ferrarolo eqvite Brixien
& Reverendiſſimo Aloiſio Priolo, ut notavit ſ
manu Aloiſius Bellacatus Lycei Patavini qvo
dam Doctor celebris ad Antonium Beniveniu
de Abditis Morborum & Sanationum cauſi
qvem V. C. Angeli Montagnanæ Patavini Pr
feſſoris munere teneo. Nec diffitetur Colur
bus Anatom. Lib. XV. ſe plures colore atqve
gura diſcretos vidiſſe. In muliere novem lap
des fabæ magnitudine, coloris citrini, cortic
bus cepæ in modum concretos, in alia duos
nereos à ſe repertos tradit Hippolytus Boſcus
Facultate Anatomica Lect. I. In veſicula fell
matronæ admodum nobilis duos & viginti l
pillos gagatis forma repertos autor eſt Duret
Annot. Enarrat. in Holler. Cap. XLIIX. Lib. I.
morb. int. Solenander etiam Sect. V. Conſ. X
Num. II. lapides heic ſibi viſos commemora
pariter Carolus Piſo de Seroſa Colluvie Sect.
Par. II. Cap. IV. Obſerv. XVII. In follicu
Friderici Saxoniæ Ducis tres juſtæ molis calc
los fuiſſe ſcribit Joannes Langius Lib. II. Epi
LVII. eoq; illæſo in virgine Veſtali ponderoſu
ſatis, qvi motu inteſtinum attriverat. Veſic
la nobilis matronæ ampla & nigra ſine bile i
num

umeros lapillos exemit V.Cl. Thomas Platerus, t refert Felix frater Obſervationum Libro I. In alia calculum, qvi cylindri figura folliulum felle deſtitutum replebat, Joannes Plache-us Gregorio Horſtio ſignificat Epiſt. Medicin. ib. III. Sect. iv. Veronæ non ita dudum in Anſtita prægrandis olivæ forma Petrus à Caſtro eperit. Joanne Baptiſta Soncino Profeſſore Meico præſente, in cadavere cucullati cœnobitæ ebre maligna extincti Offredus noſter ſeptem alculos angulares nucis avellanæ magnitudine bſervavit.

III.
Veſica fellis oſſea.

Puella ictero diuturno confecta veſicam felleam repræſentabat plane oſſeam, de qva Cent. II. Obſ. XCVI.

IV.
Hydrops jecore ſano.

Anno cIↄ Iↄc XXV. Januarii V. Benedicto Silvatico & Jacobo Zabarella Profeſſoribus lariſſimis præſentibus, in cadavere Capucini Anaſarca extincti jecur ſine omni labe inventum ed admodum ingens. Lien erat ſemiputris ac velut in ſaniem verſus. Sangvis craſſus & adu-tus. Laboravit igitur intemperie, non mutato colore

colore ſubſtantiæ, qvi ipſi naturalis erat.

Cujus generis Hydropem ſpurium, jecore non primum affecto, ſed ventriculo, in matrona qvadam Anno cIↄ Iↄc XXVI. Maji XXIX. obſervare licuit, qvæ priſtinæ valetudini reſtituta.

Anno cIↄ Iↄc XXVII. Aprilis XIX. Joanne Dominico Sala & Joanne Prevotio D. Antonii Medicis aſtantibus Joannes Veſlingius jam tum mortuorum lacerationi deditus Reverendo admodum Paulo Sanſono folliculum dextra cordis auricula eduxit, venuſis ei ad nutritionem annexis; in qvo nihil puris, licet id initio morbi excreviſſet. Dextro cordis ventriculo circa initium pingvedo adhærebat. Jecur nulla infectum labe. Itaqve virum ſuſtulit à ſolo cordis vitio hydrops, qvod ad ſangvinis qvidem generationem facit, etiamſi de primaria ipſius officina cathedrarii contendant. Ariſtoteli verò partis primatum Cæſar Cremoninus nervoſè vindicavit. Pingvedinem qvoq; candelæ ſebaceæ ſimilem in ſiniſtro cordis ſinu vidit Hippolytus Boſcus Lect. I. de facultate Anatomica. Idem in qvodam nobili Scoto Leidæ renum ulcere extincto notavit V. C. Paulus Schlegelius Hamburgenſis, itemqve in juvene Pariſino, cui nullæ unqvam præceſſerunt qverelæ. Qvin & menſe Februario, qvo hæc in lucem

ucem parantur, theatro freqvente V. C. Petrus Marchettus in fœmina hydrope defuncta calcu-um hac magnitudine ac figura venæ arterialis principio impactum offendit: qvi facie triplici pectatur. Hujus procul dubio rudimentum a-ena, qvam cum ſangvine miſſam tradidit Za-utus Luſitanus Prax. admirandæ Lib. III. Ob-ervat. LII.



ed & in cadavere mulieris Anno cIↃIↃcXXV. anuarii xiix. in valetudinario mortuæ nullius iſceris aderat vitium. Solus humor ſeroſus à imio potu mali cauſa deprehendebatur; qvem argius ingeſſerat ob inſignem æſtum ab ulcere entriculi, cujus fundus cum pyloro erat exul-eratus.

V.

Hydrops ab hæmorrhoidum ſuppreſſione.

Hæmorrhoidibus internis nõ fluẽtibus inter-dũ Hydrops naſcitur, materia, qvæ qvalitatẽ copia peccat, reſtagnante ad colõ, qvo inflama-o dolor, ac ſitis. Hinc aqva liberalius hauſta læſa

prima

prima coctione, qvæ ſecunda non emendatur perturbatio, ac hydrops. Nec ſola melancholia ut cenſuit Galenus in Comm. VI. Aphor. XII. Hippocratis, verum & bilioſa, atqve pituita ſalſa. Cujusmodi plures in Germania obvii fuere Spigelio, pituita ſalſa per renes atqve arterias hæmorrhoidales internas & externas fluente. Qvod ſedulò notandum ad memoratum vetuſtiſſimi autoris locum.

VI.

Hydrops nothus.

HYdropem ſpurium inter abdomen proprie dictum & muſculos, qvi introrſum qvaſi incurvantur Olomutii Anno cIↃ IↃc XIV. in fœmina juſſu Magiſtratûs à ſe diſſecta notavit Adrianus Spigelius optimatum tunc in Moravia Medicus, ex qva humoris nigri libræ decem promanarunt.

VII.

Hydrops particularis à coli abſceſſu.

EX inteſtini coli abſceſſu in febre ſemitertiana hydropem deprehendit idem in mercatore Viennenſi.

IIX. Ha-

IIX.

Halitus pueri hydropici ſulfureus.

Anno cIↄ Iↄc XIX. Chriſtophorus Heinichius bonæ memoriæ, vir probus ac doctus, cum Baſileæ medicinam faceret, puero hydropico adhibitus halitum ipſius perſenſit ſulfureum. Qvod ubi mecum familiariter communicaſſet, in memoriam venit Plinius Valeriani titulo hactenus eruditorum plerisq; nominatus. Qvi Lib. III. Cap. XII. in Leucophlegmatia tradidit mali odoris exſpirationem; non, ut in vulgatis libris exſtat, *inſpirationem*. Sulfuris odorem quis in brachiis obſervatum prodidit Cardanus in vita ſua Cap. XXVII. qvam viri optimi Gabrielis Naudei, nobis dum vixit conjunctiſſimi, curæ debet poſteritas: in pueri capite Romæ Alexander Taſſonus Medit. Lib. V. Cap. XXXVI.

IX.

Leucophlegmatia inunctione mercuriali per urinam ſoluta.

Qvum nobilis Patavinus lue Venerea & Hydrocele affectus nuper inunctione mercuriali ab utroqve morbo evaſiſſet, Aldrighettus de Aldrighettis Profeſſor Patavinus vir curioſe doctus in valetudinario D. Franciſci ſuæ

curæ commiſſo XIV. Maji Anno cIↄ Iↄc XXIII. fœminam ſtatæ ætatis validam leucophlegmatia tumentem eodem exemplo ſimiliter obliniri juſſit. Urina copioſè prodiit, ſine ulla ſalivatione: colli tamen qvalemcunq; dolorem percepit: integre convaluit. Simile qvippiam obſervavit Joannes Thomas Minadous, qvi de Arthridite Cap. X. memorat Patavii matronæ cuidam nobili aqvam intercutem urinis vacuatum.

X.

Paralyſis à ſiniſtro Leucophlegmatiæ remedio.

VEſtali Patavii cruribus in tritici acervo detentis leucoplegmatiam curaturæ materi[a] ad nervos retruſa Paralyſis ſucceſſit.

XI.

Hydropis promtum remedium

HYdropicus tenuioris fortunæ Patavii co[...] meſtis verno tempore tenerioribus ruſc[i] germinibus, qvem imperitum rei herbariæ vulgus heic *Sparago di montagna* vocat, intra menſem ab hydrope liber evaſit. Radicis ruſci decoctione mendico idem factum ſcribit Lazaru[s] Riverius Cent. III. Obſ. LII.

XII. Hy

XII.

Hydrops vini generoſi potu & abdominis inconſulta perforatione curatus.

R. M. P. Clemens Porettus Patavinus in cœ-u D. Antonii Anno cIↃ IↃc XXVI. ab hydrope ucumeris ſilveſtris decocto aliisq; remediis in neliorem ſtatum reſtitutus; poſtea crebris in Germaniá vini meraci potationibus omninò onvaluit. Patriæ redditus ventrem denuò tur-entem qvum ſibimet ſcalpello non conſultis nedicis pertudiſſet; emiſſa ingenti aqvæ copia, lures annos mihi notus incolumis duxit. Senior amen genio liberius indulgens, recurrente mor-o tandem naturæ debitum ſolvit die IV. Octo-ris Anni cIↃ IↃc XXXIV.

XIII.

Aſcites vino abſinthite curatus.

)Resbytero cuidam Patavino menſe Octobri Anno cIↃ IↃc XXVII. Tertiana decumbenti aſit Prevotius abſinthii uſum, ne nimio refri-erantium uſu in hydropem ageretur. Diſſen-ente medico domeſtico ob febris ardentis me-m; venter ægri cum pedibus intumuit. Corpo- igitur lenioribus vacuato, literatisq; mitiori-ıs Hydragogis; ſolo vini abſinthitis potu re-

ctaq; victus ratione reſtitutus eſt. Alter itidem ſacerdos, propinatis diebus alternis vini abſinthidis unciis duabus, in qvibus cucumeris aſinini radix drachmæ pondere macerata.

XIV.

Aſcites paracenteſi ſanatus.

ANno cIↄ IↄcXXXV. Aprilis XXIX. in valetudinario D. Franciſci Petrus de Marchettis ruſticæ juveni habitu ſatis pleno cum mediocri virium robore aſcite laboranti ſub umbilico trium digitorum intervallo lævam verſus inciſo abdomine falcato cultello evocavit aqvæ flaveſcentis prope libras qvatuor. Obturata plaga ſeqventi biduo à medela ceſſatum, poſtqvam venter detumuiſſet. Interea ventriculo & hepati aperientibus atq; corroborantibus conſultum fuit. A morbo evaſit, anno ſeqventi filium enixa

XV.

Aſcite laborans medicamentis vehementioribus purgata maſculum peperit.

ANno cIↄ Iↄc XXV. die Octobris XXV. mulier ætatis profectæ Anaſarca & Aſcite correpta cenſebatur, puellum enixa vegetum: qvum validis antehac medicamentis tertium fuiſſet vacuata.

XVI. A d

XVI.

A deſtillatione Anaſarca.

ANno cIɔIɔcXXVI. die Februarii XVII. Illuſtriſſimus Jacobus Wolfgangus à Dietrichſtein Baro Styrus ætatis qvinto ſupra trigeſimum anno parte dextra capitis dolore bienni cruciatus, qvum duabus ante intempeſtam noctem horis ſub dio ſtante aqvilone ambulaſſet, poſtridie vehementi deſtillatione correptus collo, pectore, imo ventre artubusq; intumuit. Decumbenti artus detumeſcebant, erecto vel incedenti valde turgebant, horisq; matutinis à ſomno partium ſuperiorum tumor invaleſcebat; qvi corpore tunc purgato aliqvoties, prolectoq; ſudore, aliqvantulum remiſit. Purgatione menſe Auguſto repetita, poſt balnei ſulfurei ad complures dies uſum, aſſumto ſexaginta diebus decocto ligni gvajacini cum ſudore, deſtillatio tumorq; colli, faciei, atq; manuum planè receſſit; etiam crurum ac pedum paululum remiſit, perſeverante abdominis univerſi tumore inſigni, qvem à prima curatione materiæ copioſæ & aqvoſæ profluvium viginti fermè dies perdurans amoverat. Eo jam protuberante flatibus, aqva & pituita, non licuit explorare viſcerum conditionem. Facie florida, nonnihil tamen tumida, ſiti rarius afficiebatur, moderatiſſimo vini albi, tenuis, odorati, ſine dulcedine, potu contentus, nullum

 medi-

medicamenti genus detrectabat. In patriam reverſus non multo intervallo naturæ conceſſit.

XVII.

Malleolorum ſcarificatio periculoſa.

NOſtra tempeſtate Patavii à duabus tantùm incifionibus malleoli aqva tam vehementer fluxit, ut mulier protinus exſpiraverit. Subtracto etiam ſangvine caloris fomite, nonnunqvam gangræna ſuccreſcit.

XIIX.

Copioſa vacuatio ſeri non ſemper exitialis.

LArgum tamen ſeri effluvium hydropicis non ſemper damnoſum, modò vires adſint integris viſceribus, ſuo exemplo confirmavit agreſtis in valetudinario Divi Franciſci, qvi perforatus excuſſo per qvietem canaliculo profuſiore humoris effluxu ab hydrope ſanatus fuit. Sic etiam Patavii in hypocauſto Marſilii balneatoris à Nobili Brixiano lue Venerea infecto Baſſanenſis qvidam in ventre vulneratus vacuato confertim humore ab aſcite liberatur. Similem ferè hiſtoriam ex Franciſco Rouſſeto de partu Cæſareo habet Joannes Schenckius Lib. III. Sect. poſter. Obſ. CXLVI.

XIX.

XIX.

Icterus à dolore Colico.

ANno cIↃIↃcXXVI. Martii IIX. Mulier qvædam in valetudinario D. Franciſci à copioſo pomorum crudorum eſu poſt coli dolorem ictero correpta fuit, nempe compreſſo ductu biliari. De hoc affectu Hercules Saxonia Prælect. Pract. Lib. II. Cap. XXVI.

XX.

Icterus ab eſu herbarum.

JUvenis pariter ictero diuturno Patavii extinctus univerſum jecur habuit viride. Qvalẽ ejus colorem aſſiduo herbarum ac bilioſorum eſu acqviſiverat. *Fieri verò etiam poteſt, ut jecinoris ſecundum naturam temperie mutata humores hujusmodi vitio afficiantur, & qvidem citra obſtructionem aut inflammationem, aut ſcirrhum*, Galeno monente de Locis affectis Lib. V. Cap. VII.

XXI.

Icterici jecur ſubviride.

FAmiliæ D. Franciſci religioſus toto corpore ſubviridis referebat colorem, qvi Gallis *feville morte*. In cadavere defuncti nulla obſtructio aliave reperta fuit ejus cauſa præter parenchyma jecinoris concolor. Hujus forſan commatis urina viridis, cujus poſt Actuarium de Urinar. Differ. Cap. IIX. atq; Theophilum de Urinis Cap. V. meminit Ludovicus Lemoſius de

optima prædicendi ratione Lib. II. Cap. XI. qvalem vidit olim Patavii Tancredus Lælius civis intimus non ita pridem ob ſingularem peritiam celeberrimus; qvi etiam interiora denati æruginoſa bile infecta cum abſceſſu in jecinoris cavo deprehendit. V. C. Petro à Caſtro etiam herbarum ſucco ſimilis obſervata in febre maligna puellæ mortifera. Qvam pravæ cujusdam corruptæq; bilis exuſtionem ſignificare tradit Actuarius Meth. Med. Lib. I. Cap. XIII. auriginem Theophilus de Urinis Cap. VI. Celſus Lib. II. Cap. VII. viſcerum tumorem doloremq; cum aliqvo periculo, aut certe corpus integrum non eſſe; Galenus de Criſibus Lib. I. Cap. XII. perniciofam; in febre non intermittente letalem Ludovicus Lemoſius de optima prædicendi ratione Lib. II. C. XI. Nec fortaſſis ab hac alienus, qvi ſeptimo die febris admodũ ardentis erupit ſudor croceus, teſte Fabricio Hildano Cent. VI. Obſ. LXXVII.

XXII.

Renis colliqvati calculus.

ANno cIↄ Iↄc XLIV. Januarii XVII. in cadavere mulieris ætatem ſenilem proſpicientis ren dexter totus erat flaccidus marſupii modo, calculis undiqve incruſtatus minimis, qva pori conſpiciebantur; magnus inſuper lapis & inæqvalis impactus ureteris principio. Calculi verò materia potiſſimum eſt bilis ac pituita ſale permixto,

mixto, qvi ſupereſt in linteo ſoli expoſito; per qvod urina fuerit trajecta. Ejusmodi renem ſiniſtrum in Præſule Aqvini obſervavit Lælius à Fonte Conſult. XXXVII. dextrum in Domino Mancy notavit Jacobus Hollerius in Schol. Cap. XLVII. de morb. intern.

XXIII.

Dolor nephriticus epithemate frigido ſedatus; pariter Ventris: urina frigidæ beneficio prolecta.

JOannes Bellonus civis Venetus Patavii Philoſophiæ Naturalis Profeſſor publicus, cui jam ſeni Anno cIↄ Iↄc XXII. calculus inſignis magnitudinis exciſus, dolores nephriticos non alio remedio, qvam frigidæ fotu compeſcuit.

Ventris itidem ſublatum dolorem teſtatur Benedictus Silvaticus Centur. I. Conſil. LXIX. Colicum à frigidis flatibus in habitu carnoſo frigidæ affuſione à ſe propulſatum tradit Sanctorius de Sanctoriis ad Cap. Art. medic. Galeni LXXXIIX.

Aldrighettus de Aldrighettis pariter aqvæ frigidæ communis ſtillicidio dolore ſedato Illuſtriſſimo Auguſtino Nani Senatori Veneto ac D. Marci Procuratori lotium provocavit. Riſumne movebit, an admirationem cœnobitæ cujus-

dam è Caſſinenſibus D. Juſtinæ conſvetudo, cu dum cymba veheretur nunqvam urina proceſſit niſi prius loro in frigidam vel nivem immiſſo Viden', ut frigoris objectu calor excitatus materiam extenuet, adeoqve dolorem compeſcat, ſimulq; facultatem expultricem roboret? Rariſſimum eſt, qvod Petrus à Caſtro fidei plenus memoravit, partibus in urinæ ardore contracti cum nihil excerneretur, ab injecto ex decoction & oleis convenientibus clyſtere nive perfrigerato laxatis viis cum lotio turbido ingentem calculorum copiam laborantis commodo proru piſſe. Nec ſane Hieronymus Mercurialis maximus Medicorum hoc præſidium in febre ardente aliqvando Piſis damnavit. Ægrè tamen in exemplum admiſerim, niſi ætate vegeta, firmi viribus, & favente anni tempore. Cujus infelicem eventum Thomas Bartholinus Cent. I. Hiſt LXXVI. conſulto narravit.

XXIV.

Calculi veſicæ numeroſi.

ANno cIↃ IↃc XXIII. Franciſcus Plazzonus in veſica cujusdam ex aula Præfecti Patavini nucis juglandis magnitudine in modum cretæ albicantes calculos novem ac triginta numeravit.

XXV. Ul-

XXV.

Ulcus veſicæ ſanatum.

IOannes Dominicus Sala in aula Prætoris ulcus veſicæ inceptum ſola aqvæ B. Virginis montis Ortoni injectione intra duodecimum diem perſanavit.

XXVI.

Lotium à veſicæ callo ſuppreſſum.

ANno cIↃ IↃc XXVI. xxvi. Januarii Æditulæ ad Collegium Societatis JESU curio Ventura Veſpaſianus ſeptimo ſupra ſeptuageſimum ætatis anno ſatis vegetus refrigeratis pedibus undecimo hinc die urinæ retentione cruciatus, oborta ſenſim febricula omnibus à Prevotio in caſſum tentatis exſpiravit effluente poſt lotio. Corpore à Petro de Marchettis eviſcerato Renes cæteræq; generationis partes rectè ſe habuerunt. Soli veſicæ orificio appendicula calloſa interius adnata, & verius interior ambitus orificii membranoſus in articuli magnitudinem excreverat, qvæ antehac mictionem cæteroqvin difficilem ſenſim producens, affluente poſt muco pituitoſo, ſic viam anguſtavit, ut ne catheterem qvidem admiſerit. Veſica erat lotio repleta, renes pariter,

ter, præcluſa inferiore via: Veſica qvin etiam cum inteſtinis flatibus turgens ab extenſione adeò attenuata, ut contactu fuerit disrupta. Inflammatio nulla initio, nec febris notata, qvam progreſſu morbi deprehendimus.

XXVII.

Urina retenta compreſſo veſicæ orificio.

PAucis notatum, qvod Fabricius Bartoletus Piſis obſervavit, in corpore glanduloſo à ſemine retento genitum fuiſſe calculum, qvo veſicæ orificium comprimente urina fluere deſiit.

XXIIX.

Urina diu ſuppreſſa.

JOannes Dominicus Sala V. C. qvi ætatem inter experimenta conſumſerat, ſemel omni vitæ ſpatio ſe urinam qvindecim diebus in viro ſuppreſſam vidiſſe monuit, venis ad pollicis amplitudinem intumeſcentibus, qvæ fluente denuo urina in ſtatum naturalem rediere. Secus, urinam ſupra qvinqve vel ſex dies nunqvam meminerat retentam.

XXIX.

Urina plurimis diebus nullo dolore retenta.

ILluſtriſſimus Petrus Capellus infundibulo utriusqve ureteris obturato per octo dies nihil urinæ reddidit ſine dolore inſigni, qvod calculi nondum eſſent in ureteres detruſi. Qvum ſtaret erectus, partium inferiorum venæ plurimum tumebant. Decumbens autem ſi crus alterum elevaret, ſuperiora non minus turgebant. Hypogaſtrii tumor nullus, ut in retentione urinæ à calculo. Expulſis tandem vi medicamenti duobus calculis urina longè profluxit. Hydrops hic ſpurius ſeu potius ex Galeni ſententia de Symptomatum Cauſis Lib. III. Cap. II. repentinus hydropum ſtatus admodum rarus: cujus etiam meminit Petrus Salius de Affect. particul. Cap. IX. Prevotius huic à valetudine fuit. Veſica non affecta Iſchuriam hanc impropriam monet Epiphanius Ferdinandus Hiſtor. XCVII. poſt Salium Diverſum de Affectib. Particular. Cap. XIV. cujus addendæ Annot. in Alt. Cap. C.

XXX.

Lapidis nephritici vis eximia in ſuppreſſione urinæ.

ANno cIↃ IↃc XXVI. Nicolaus Treviſanus Medicinæ Theoreticæ Profeſſor jam ætate confe-

confectus à veſicæ calculo urinæ vexabatur ſuppreſſione. Jacobi Zabarellæ V.C. tunc Profeſſoris medici munere atqve conſilio qvum lapidem nephriticum brachio aptaſſet, calculum excrevit: nec qvicqvam ex eo percepit incommodi, poſtqvam ipſum perpetuo circumferret. Eandem ejus efficaciam Vir Ampliſſimus Joannes Andreas Schogardus popularis meus ac primæ notæ amicus, plurimis poſt annis Conſtantinopoli celebris medicus in agricola fuit Patavii expertus, qvi urina retenta dum valde torqveretur, lapide iſto coxæ interiori admoto, ea protinus effluxit. Miras præterea ipſius dotes Nicolaus Monardes Libello de Simplicibus medicamentis ex Occidentali India allatis Carolo Cluſio interprete pluribus exemplis comprobat. Qvibus Anſelmus Boëtius à Boot Gemmarum Hiſtoriæ Lib. II. Cap. CX. ſymbolam confert. Igiada qvoqve carpo ſiniſtro alligata renum calculos deturbari, autor Guilielmus Laurenbergius in Diſſertatione Epiſtolica de Calculo Veſicæ. Lapidi vim omnem aqvæ dulcis balneo ademtam ſuâ obſervatione Olaus Vormius in Muſeo annotavit Lib. I. Sect. II. Cap. XI.

XXXI.

Urina nigra non ſemper ſiniſtri judicii.

Paulus

)Aulus Borella Patavinus Theol. D. Anno
cIɔ Iɔc XXVI. D.Sophiæ templi modera-
›r per febrem ſemper urinam mejebat nigram
1 univerſalem morbi remiſſionem, obſtructo
aſe brevi à compreſſione ob tumorem pancrea-
s. Imò Petrus Gambarus Patavinus V.C.An-
›nii Profeſſoris medici nuper defuncti parens à
rima pueritia usqve ad ſeptimum ac decimum
tatis annum lotium ſemper emiſit nigrum: in-
e ad ſecundum ſuprà qvinqvageſimũ qvo febre
ertiana duplici Anno cIɔ Iɔc XXV. extinctus
acteam etiam integra valetudine; alvo ſimilia
votidie reddidit. In melancholiam & iracun-
liam pronus; carnes averſatus piſcium fructu-
ımq; eſu, & liberaliori potu vini delectabatur.

Anno cIɔ Iɔc XXVII. menſe Aprili mo-
ıachum vidi in cœnobio D.Antonii habitûs me-
ancholici; cui ſano urina ſemper nigra. Hic
amen poſt criticam ſeroſi humoris per alvum e-
racuationem lotium cum ſedimento craſſo bili-
›ſum fecit.

Anno cIɔ Iɔc XXIX. menſe Majo Aloi-
ſius Roatus nobilis Brixienſis febre maligna de-
cumbens in collegio Brixienſi urinam valde co-
piofam & nigram excernens præter omnium ex-
pectationem ſedula Prevotii cura evaſit. Qva-
lem & Fernelius Pathologiæ Lib. III. Cap. XIII.
cum in acutis, tum in diuturnis morbis & melan-
cholicis decretorio die in laborantis ſalutem ex-
cide-

cidere tradit. Ludovicus Lemoſius de opt. præd. rat. Lib.IV. Cap.V. etiam plures ita liberatos fatetur, qvos papulæ invaſerant: utut Galen. de Criſ. Lib.I. Cap.XII. fatetur, ſe neminem unqvam ſervatum vidiſſe, qvi totam urinam denigratam reddiderit. Qvod virium robori tribuit Avicenna Lib.I. Fen. II. Doctr. III. Cap.II.

XXXII.

Urina lactea. Sangvis ejusdem coloris.

ANno cIↃ IↃc XXIV. puellæ ſedecim annorum ſuppreſſis menſibus in ſynocho qvaſi maligna Benedicto Silvatico jubente ſangvis termiſſus ſemper lacteus comparuit: qvem bonæ concoctionis argumentum putat Fernel. Meth. Med. Lib.II. Cap. XVII. Theodoro Zvvingero in Phyſiologia Medica non ignotum: ejusdem qvoqve coloris fuit urina. Joannes Prevotius hanc adſcripſit impuris circa uterum humoribus, non pituitæ; cujus nullæ aderant notæ, nec ſangvis tenax, aut ulla febris ei reſpondens; minus lacti, qvum virgo eſſet; adeoq; nec ſeminis profluvio, cujus lotium duntaxat in fundo ſubſidit. Ejuſmodi verò urinam eorum, qvi diu fœda profluvie venerea conflictati, autor eſt Joannes Baptiſta Minadous Joan. Thomæ parens in Appendice Diſſertationis de abuſu non mittendi

ſangvi-

ſangvinis in febribus malignis, etiam apparentibus peticulis; ubi de falſo renum ulcere agitur. Virili tamen ætate poſt matrimonium ultra qvadraginta annos ſine ulla renum aut veſicæ morbo aliisve incommodis talem urinam excrevit Felix Platerus, ut ipſe autor Obſervationum Lib. III. cujus etiam mentio apud Galenum Lib. alt. de Dynamidiis. Uxori centurionis in Cantabria puerum lactanti, qvum febre continua mali moris laboraret, aperta baſilica merum lac effluxiſſe notavit Petrus à Caſtro; qvod morbo per ſudorem ſoluto in mammas rediit. Idem Veronæ contigit mulieri mali habitus filiam enixæ ſuppreſſis purgamentis ac urgente febri, qvum ſaphena dextra tunderetur. Lac autem fuiſſe, non pituitam, coagulo fuit compertum. Ipſa poſt paucos dies naturæ ceſſit.

XXXIII.

Urina mucoſa.

MUcoſum urinæ contentum non ſolum nec omne Renum aut Veſicæ ulcus ſeqvitur, verum ſuperioribus etiam partibus debetur; qvamvis ſubtiliſſimus Fernelius diſſentiat Pathol. Lib. II. Cap. XVI. Sedimentum qvippe tenax & mucoſum renibus atqve veſica neutiqvam læſis obſervavit Prevotius in Petro Gennaro Sacerdote, qvi anno CIↃ IↃC XXI. ſuæ valetudinis cauſa

Patavium acceſſit, poſt qvam iſchuria cum urinæ ardore ſummaqve difficultate laboraſſet, ac tanqvam plumbei ponderis gravitatem in veſica percepiſſet,ut nonniſi cruribus elevatis mejeret. Sedimentum verò lotii tam glutinoſum erat, ut è feneſtris ſublimioribus effuſum in terram continuè pertingeret. Qvale ad libras tres qvotidie prodiit, certo argumento, non fuiſſe à renibus, aut veſica: qvod eæ partes ab excremento usqve profuſo tandem fuiſſent colliqvatæ. Ipſo demum urinæ ſuppreſſione Patavii ſublato, præter mucum in renibus,ureteribus, & veſica nihil in cadavere inventum à naturali conſtitutione alienum.

Simile qvid Ludovico Federici nobili Brixiano accidit Anno cIↄ Iↄc XXIV. qvi puer qvinqvennis diebus canicularibus à tergo fratris eqvitans renibus ſolis fervore incaleſcentibus ſangvinem minxit,accedente inſigni ardore, cum effluvio materiæ cujusdam albæ. Refrigerantium uſu liberatus ab eo malo poſtea capite valde humido, & jecore calido circa viceſimum ætatis annum raro & per intervalla diuturna cum ſedimento urinæ albo, tenaciſſimo & copioſiſſimo, cœpit iſchuria urgeri,qva Patavii altero poſt anno ſublatus, eventu diſſimili à priore. Nam ſcrotum intra duas horas in magnitudinem capitis cum ſcirrho intumuit; unde ſubita gangrena & mors. Sangvinis è baſilica nuper miſſi pars

pars tertia referebat ſerum, altera pituitam velut ovi albumen concretam, tertia nigricans erat. In defuncti corpore nihil niſi mucus in veſica & urinæ viis occurrebat. Urinæ mucoſæ meminit Marcellus Donatus Med.Hiſt.Lib.IV.Cap.XXX. Qvalem etiam Hollerius inter qvædam rara deſcribit. Gelatinæ more coagulatam obſervavit Petrus à Caſtro medicus longo uſu conſummatus.

XXXIV.

Urina purulenta.

Anno cIↃ IↃc XXII. Adriano Spigelio curæ adhibito, qvidam in lumbis globo vulneratus, renibus & veſica neutiqvam ſauciis, per duos menſes pus copioſè minxit.

Anno cIↃ IↃc XXIV. IIX. Januarii memorabat ipſius Collega Franciſcus Plazzonus alium thorace vulnerato ingentem puris copiam per urinæ vias reddidiſſe.

XXXIV.

Urinæ vermiculi.

Anno cIↃ IↃcXXXVI. Jan. XIII. in urina nobilis Poloni articulorum dolore atq; hypochondriorum æſtu vexati vermiculi fuſci, cornuti, morſicantes amplius qvinqvaginta viſi. Nigros & cornutos acus longitudine cum vehementi renum dolore projectos ad Lazarum

LII 2 Ri-

Riverium transmiſit Petrus Pacheqvus Lunelleníis Medicus Obſerv. XL. Qvibus non abſimiles Benedictus Silvaticus ad curationem viri cujusdam nobilis evocatus obſervavit, & cauda bifida in veſtali Vicetiæ bis animadvertit. Hafniæ ſemel ſibi viſos in lotio vermes, teſtis Thomas Bartholinus Cent. I. Hiſtor. LXXXIX. Eos autem extra corpus etiam à materia urinæ putrida & calore miti produci poſſe, à verò minimè alienum videtur. Putris enim materia vermium generationi apta nonnunqvam cum urina fertur, ex qva in fundo matulæ vermiculi albi aſcaridibus minores facta hypoſtaſi illicò producuntur. Interdum tales in corpore nati cum ſero prodeuntes mox in urina comparent. Hac ratione toto morbi decurſu, qvi nonaginta erat dierum, in excrementis Alexandri Vigontiæ Profeſſoris Medici ſuperficie tenus vermes pediculorum magnitudine geniti. Si enim alvo eos reddidiſſet, fecibus fuiſſent permixti. Vermes in urina capillares ſibi occurriſſe ſcribit Rondeletius de piſcibus Lib. XII. Cap. XXV. qvi etiam Griffium eos monſtraſſe ſcribit de dign. morb. Cap. XVII. qvales & Fernelius Patholog. Lib. VI. Cap. X. obſervavit, ſimulqve indicat Hollerius Schol. Cap. L. & LIV. Lib. I. cum urina excretos notavit Aloiſius Mundella Dialogo VI. in veſicæ abſceſſu cum urina purulenta Fabricius Hildanus Cent. I.

Obſ.

Obſ. LVI. Qvorum remedium tradidit Joan. Hayn de morbis Aſtralibus Cap. VII.

XXXVI.

Mictio lumbrici.

RArius eſt, cum lotio excerni vermes, qvi figura, longitudine & colore ad lumbricos teretes accedunt; qvalem Anno cIↄ Iↄc XXIX. Julii IV. Paulus Groe Noribergenſis J.C. Febre acuta mali moris colluctatus, ſedimento urinæ verè pituitoſo non multum copioſæ die qvinta morbi, ſine dolore ac effatu digna difficultate, nullo præcedente renum aut veſicæ vitio, mediæ magnitudinis, longiorem ſpithama, vivum & in ſpiras tortum reddidit. Nec unqvam perſanata febre mictio moleſta fuit. In difficili mictione lumbricum etiam cum lotio excretum ſyrupo althææ ex aqva fœniculi propinato literis commiſit Joannes Matthæus Obſervationum Medicin. Caſu III. Idem vidit Gentilis Fulginas referente Hieronymo Mercuriali de Morb. Pueror. Lib. III. Cap. III. notavit pariter Balduinus Ronſſeus Med. X. Aloiſius Mundella Dialogo VI. etiam in Nobili Veneto Her-

 cules

cules Saxonia ſe memorat obſervaſſe Pract. Part. II. Cap.XXXV. §. VI. itidemqve incertus qvidam Medicus Piſanus, forſitan Philippus Montaltus, ad Hippocratis Lib.IV. de Morb. adſcripſit, qvi apud me ſervatur. Aloiſius Bellacatus medicus Patavii ſua ætate celebris in ſchedis reliqvit, adoleſcentulum qvendam Curtii presbyteri nepotem, poſt difficilem qvinqve dierum mictionem cum inſigni dolore pungente ad cervicem veſicæ, propinata chelidonii aqva mox convaluiſſe, poſtqvam copioſo lotii profluvio tæniam reddidiſſet vivam. Mira certe hiſtoria: niſi qvod crediderim, lumbricum fortaſſis innuerit. Qvem hac via prorupiſſe vix ſibi perſvaderi paſſus fuit Cæſar Cremonius, animi cæteroqvin haud usqve pertinacis Philoſophus. Hoc autem non magis mirum, qvam qvod commemorat Plutarchus autor graviſſimus Sympoſiac. IIX. Qvæſt. IX. qvi Athenis hoſpitem ſuum novit, cui beſtiola hirſuta (θηρίδιον δασὺ non ut Xylander interpretatus *aſpera*) multis pedibus celeriter ambulans ejecta cum urina genitali, ex meatu, qvi lotio communis. Addatur Hollerius in ſchol. Cap.X. & Cap. LIV. Lib.I. de Morb. Intern. Claudinus Conſil. XL. & Sennertus Pract. Lib.III. Par.IIX. Sect. I.

XXXVII.

Hydrargyrum mictione redditum.

ANno cIↄ Iↄc XXIX. menſe Septembri Illuſtriſſimo Falcini Marchioni Franciſco Alvaroto Patavino, gravibus inſidiis DEI providentia liberato vinum honorarium in prædio Arini fuit oblatum. Qvo deguſtato ille ventriculi ulcere diu excruciatus maximorum in urbe medicorum auxilio vix ac ne vix qvidem libitinam evitavit, poſtqvam ſvadente Silvatico Valentini Borgiæ exemplo incluſus fuiſſet mulo exenterato, veneno ab internis ad ſummitatem cutis evocato, paucis poſt annis febre maligna extinctus. Qvæ viri nobilis in ſuos erat comitas, facta etiam familiæ vini copia. Qvotqvot delibaverant, veneficium ſenſere. Stipator inter alios ubi minxiſſet hydrargyrum evaſit. Caſus venenum demonſtravit: Mercurio nempe, qvem ſublimatum vocant, infectum fuiſſe merum. Hunc autem hydrargyri forma prodiiſſe, minime iis mirum, qvi norunt huic minerali qvomodocunqve præparato formam priſtinam ſpiritualis inſtillato reſtitui, cui congener ſaccatus humor corporis, qvem ille reddebat: utut Mercurius ſublimatus urinam ſupprimit Franciſci Valleriolæ ſententia Lib. I. Obſ. VI. Patavii

D. Catharinæ religioſis mulieribus à miniſteriis etiamnum ſupereſt fœmina, cui hydrargyrum ex ampulla imprudenter hauſtum præter omnem noxam eadem via erupit. Cum ardore id Muſico bene poto eveniſſe tradidit Philippus Hochſtetterus Obſervationum Medicinalium Dec. II. Caſu IV. Ruſticæ etiam caſu potum alvus copioſè reddidit ſine offenſa præſente Felice Platero, qvi hiſtoriam Lib. III. Obſervationum prodidit. Iniqviori autem caſu qvidam ſeplaſiarius congelato ſangvine periit referente Antonio Toſio de Anthrace, poſt Andream Matthiolum in Dioſcoridem Libr. V. Cap. XXIIX. qvi frigidæ humidæqve ejus facultati hanc vim tribuit. Eam certè veteres non perſpexere, inter qvos Dioſcorides Libr. V. Cap. CX. potum qvidem exitiale notat, ſed qvod gravitate interiora exeſt. Venenum rerum omnium pronunciat Plinius Lib. XXXIII. Cap. VI. Galenus de ſimpl. med. fac. Lib. V. Cap. XIX. tota eſſentia contrarium, qvi Lib. IX. negat ex iis, qvæ ſponte naſcuntur contra Dioſcoridem & Oribaſium Collectan. Lib. XIII. ſibiqve uſum ejus ignotum ingenuè fatetur. Qvem in corpore tamen humano tutum patefeci Cent. III. Obſ. LXXXV.

XXXIIX.

Hydrocele cauterio curata.

ANno cIↄ Iↄc XXV. XII. Januarii operationes Chirurgicas in theatro exhibens Joannes Veslingius perhibebat, ſe in Ægypto obſervaſſe ſanatum ab hydrocele ſexagenarium uſtione per linum Ægyptiis familiari utrinq; ſupra ſcapulas in cervice, ſimiliterq; eodem momento ngvina ad radicem proceſſus peritonæi peracta, ine aliorum externorum adminiculo, evaneſcente ſenſim tumore aqveo.

XXXIX.

Præputii cancer à concubitu cum Uxore.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. menſe Aprili ætatis mediæ ruſtico in valetudinario Divi Franciſci præputium cancro infectum ex gonorrhœa nte qvinqvennium contracta poſt concubitum um uxore, dum ei menſes fluerent. Interea qvatuor liberos ex ea ſuſceperat. Cariem ſimiliter colis à lue Venerea alienam obſervavit allop. de Tumor. Cap. XXXII. etiam Zacutus uſitanus Prax. Med. adm. Lib. II. Obſ. CIII.

XL.

Mulier barbata.

ANno cIↄ Iↄc XXVII. Decembris XI. Patavii cum marito viſa mulier Neapolitana qvinqvaginta annorum, cui decimo ſexto hinc menſe deficiente fluxu menſtruo barba erupit qvam nunc aluit nigram, denſam, mediocriter promiſſam. Vox ei virilis. Mammæ moderatæ magnitudinis, ſatis hirſutæ. Sexu fœminam teſtabantur cæteræ mulieres. Hujus qvoq; meminit Benedictus Silvaticus Cent. IV. Conſ. XII. qvi Conſ. IIX. in aula etiam Cæſarea mulierem barba prolixa ſibi viſam perhibet. Simile qvid in Abderis de Phaëthuſa Pytheæ uxore ſuppreſſis menſibus, atq; Namyſia Gorgippi conjuge prodidit Hippocrates Epidem. Lib. VI. Sect. IIX. In Græcia qvoq; ſibi viſum ſcribit Alexander Benedictus de Cur. morb. Lib. XXVI. Cap. IV. Triennem puellam elegantis formæ toto corpore hirſutam & barbatam notavit Zacutus Luſitan. Prax. med. adm. Lib. III. Obſ. XCI.

XLI.

Fœminæ in marem mutatio.

IMò, qvod fermè fidem excedit, Anno cIↄ Iↄc XXVI. XII. Febr. Pompejus Caimus in theatro anatomico fide firma retulit, Romæ ad D. Apollinaris ædem anno abhinc decimo octavo

ſepla

plaſiarii filiæ nubili paulo ante ſponſalia noctu
:retrum prorupiſſe. Qvæ poſtea habitu virili
ſe mercibus vendendis applicuit, matrimonio
contracto prolem ex conjuge ſuſcepit. Mulie-
m qvoq; in virum abiiſſe autor Alphonſus Lo-
:z Ann. ad Galenum: etiam virginem in Ama-
ice Picenorum oppido, & Veſtalem Hiſpanam
: Oviedo, ac Neapoli puellam octo dies na-
m memorat Thomas Campanella Med. Lib.
[. Cap. XXI. Art. VII. aliamq; non perforatam
virum verſam Zacut. libri memorati Ob.
CII. Transformationem hanc pluribus exem-
is illuſtrat Joannes Schenckius Lib. IV. Obſ. V.
Marcellus Donatus Med. Hiſtor. Lib. VI.
ıp. II. variis rationibus evincit. Cauſam red-
re conatus eſt Fortunius Affaytatus Conſiderat.
ıyſ. & Aſtron. Cap. II. & V. Hanc tamen ſexus
ımutationem non admittit Anatomicorum
nmus Joannes Riolanus Enchirid. Anat.
b. II. Cap. XXXI.

XLII.

Clitoris.

ANno ↄIↄIↄc XXIV. Julii V. ætatis mediæ
ſcorto carnoſi & fuſci habitus in valetudina-
D. Franciſci parte poſtica mariſcis, antica ul-
ribus obſita cum gonorrhœa, clitoris dimidii
giti longitudine propendebat. Qvalem etiam
Clariſs.

Clariſs.Tulpius Obſ. Med. Lib. III. Cap.XXX deſcribit.

Anno cIↄIↄc XXXVI. April. XXI. alia inibi ejusdem magnitudinis conſpexi, qvæ tumorem deſinebat pilæ luſoriæ parem und qvaqve verrucoſam. Qvam Balthaſar Jord nus Chirurgus præcidit, loco ferramentis adu ſto. Vide Joan. Schenckium Lib. IV. Ob LXXXIX. & XCI. Joannes Veſlingius, qvi Æ gyptiis qvandoqve colli anſerini magnitudir prominentem vidit, populare vitium cenſui Hujus etiam turpitudinis meminit Felix Plater Obſ. Lib. III.

XLIII.

Pudendi muliebris tuber in gens.

ANno cIↄ Iↄc XXIX. die IX. Martii Petr de Marchettis in valetudinario ſcorto e cidit tuber ſcirrhoſum ex pituita ortum cucu bitæ magnitudine, qvod ſuperius pubis oſſi a hærens utrumq; pudendi latus ipſamqve rima velabat puſtulis ſcatens malignis, ad radice exulceratum. Sangvinem cauteriis reſtrinx appoſitis in goſſipio bolo Armeno, ſangvi draconis & ovi albumine. Mucocarneum jusmo

ſmodi tumorem deſcribit vir peritiſſimus . Aurelius Severinus de Nov. Abſceſſib. ıp. III. Præciſum notavit Zacut. Luſit. Prax. ed. adm. Lib. III. Obſ. LXXV. Cujusodi tumorem anomalum de ſteatomatum gere ibidem qvoq; alio tempore Carolus Ofedus adimadvertit.

XLIV.

Teſtis pili: etiam Renum.

ANno cIↃ IↃcXIIX. Septembr. XXI. Baſileæ præſentibus medicis omnibus, adſtan: Fabricio Hildano Chirurgo Bernenſium celeerrimo, ſub pergula in cœmeterio D. Eliſabeethæ V. C. Felix Platerus Profeſſor Anatomiıs diſſecuit fœminam, qvæ à militia Pedemonına in Germaniam redux in valetudinario ſcite obierat. Evocata huic per umbilicum qva citrina, ſpumoſa ad qvatuor & decem menıras, qvum triduo ante obitum rupto umbilio ferme qvatuor & viginti effluxiſſent, refeente ſummo viro Gaſpare Bauhino, qvi tunc noodochio præerat. Jecur non usqve magnum outruerat. A puerperio malum cœpit, muliere orſan minus recte purgata. Pulmonum pars lextra pleuræ adhærebat. Teſtis dexter anſerini

magni-

magnitudine tumens ac purulentus pilis admo-
dum exilibus mediumq; digiti æqvantibus lon-
gitudine, materia qvadam putri conglomeratis
ac interiori membranæ adglutinatis erat refer-
tus: qvas primum obſervaſſe Gaſparem Bauhi-
num eruditi de Plica Libelli Cap. XLI. ſcrib-
Hercules Saxonia, magnum qvondam Ly-
cei Patavini decus. Tale qvid etiam Lugdun
deprehendit V. C. Joann. Bauhinus relatu Joan-
nis Schenckii Lib.IV.Obſ.CXVI. Hiſtoriam han
ab Hildano miſſam poſt vulgavit Gregorius Hor-
ſtius vir doctiſſimus medendi peritia celebri
Epiſt. med. Sect. V. qvam & ſuis illſe Obſervatio-
nibus Centur. V. tradidit. Hujusmodi pilos vi-
dit qvoq; Marcellus Donat. Medic. Hiſt. Lib. IV
Cap. XXIX. etiam Holler. notat in Schol. Lib.
Cap. L. & qvod mirandum ſemipedis longitud
ne Ludovicus Lemoſius de opt. prædic. ra
Lib. II. Cap. XVI. Cujus generis tanqvam ſe
tarum capillamenta cum Renum calculo excre
ta mucoſæ materiæ adſcribit Alexander Bened
ctus Anatomes Lib. II. Cap. XXII. Qvidni etiam
bili aduſtæ? Nam & nigri coloris veſtalem cum
calculo reddidiſſe meminit Dominicus Panaro
lus Pentecoſt. V. Obſerv. XXXVI. Periodicum
qvoq; pilorum mictum, qvi muco involveban-
tur, vidit Nicolaus Tulpius Obſervat. Med
Lib. II. Cap. LII. Renibus autem innaſci minu
mirandum, qvàm teſtibus, niſi ad hos ferantur

qvo

vod per tot meatuum anguſtias difficillimum.
udovicus Mercatus tamen Method. uniu. Med.
cutus Actuarium de Urinis Lib. I. Cap. XXI.
ro ſimilius putat in ureteribus, qvam Avicen-
e ſententia Lib. III. Fen. XIX. Tr. II. Cap. XX. in
nibus naſci pilos, qvi cum urina prodeant. Non
ale venis materiam, renibus formã adſcribit Le-
oſius. Tales poſt Hippoc. Sect. IV. Aph. LXXVI.
Celſum Lib. II. Cap. VII. Galenus de Loc. aff.
b. VI. Cap. III. Itemq; ex Archigene propoſuit
ëtius Tetrab. III. Serm. III. Cap. XXXI.

XLV.

lteri Cancer, cum aqvoſo teſti-culi tumore.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. Januarii XXIV. ute-
ris in cadavere mulieris mediæ ætatis can-
oſus cum inſigni tumore aqvoſo teſticuli, ſine
ıbio atræ bilis conſorte, mora genito è bilioſo
cedente propter veſicæ felleæ obſtructionem
alculo rotundo olivæ nucleum æqvante, qvi
ris albicans intus talci modo ſplendebat.

XLVI.

teatoma uteri fundo adnatum.

ANno cIↄ Iↄc XLIV. Januarii XVII. Steato-
ma occurrit uteri fundo adhærens, cujus ca-
vitatem

vitatem materia ſevi ſimilitudine replebat: uteri reliqvum inſigni pingvedine obſitum.

XLVII.

Perpetuus menſium defectus.

ANno cIↄ Iↄc XLII. Januarii XXIX. in theatro ulterus mole carnea oppletus veram perpetuæ ſnppreſſionis menſium cauſam detexit.

Alia mulier, cui ob conformationis vitium menſes nunqvam fluxere, neq; ab utero qvicqvam, integra valetudine annum ſexageſimum attigit.

XLIIX.

Menſtruus vetulæ fluxus.

ANtiſtitæ cœnobii D. Matris Domini Patavii è familia Camerina carnoſæ boniq; habitu menſes ab anno ætatis undecimo usq; ad ſexageſimum provenere. Petrus à Caſtro hac etiam ætate in binis mulieribus Veronæ ſtatis temporibus idem naturæ beneficium nuper animadvertit. Ad octavum & ſeptuageſimum in matrona qvadam vidit Fabricius Hildanus Cent. II Obſ. LXI. Hercules Saxonia Præl. Pract. Parte III. Cap. XXIII. refert virgini ſacræ centeſimum agenti annum ceſſaſſe moleſtum ſex menſium pruritum à fluxu menſtruo, cujus in annum tertium vices perſenſit. In annum pariter eundem ſupra centeſimum ejusmodi evacuationem

obſerva-

ɔſervavit Reinerus Solenander Sec. V. Conſ. V. Num, 36.

XLIX.

Ienſes per umbiculum vacuati.

ˀœminæ Patavii noſtra ætate prope hortum medicum habitanti ſtatis temporibus menſes anabant per umbilicum; ubi venæ epigaſtricæ mus cum mammaria jungitur. Ejusmodi qvoq; ıxus meminit Zacutus Luſitanus Prax. admir. b. II. Obſ. XCII.

L.

Menſes per crus purgati.

Oannes Baptiſta Soncinus mulierem norat, cui menſes nunqvam fluxiſſent: ſed imminente ic purgationi tempore conſveto, magna ſan-inis copia è dextra tibia erupit, aperta ulceris ıſtra. De ancillâ Hafnienſi tale qvidpiam pro-dit amicus & civis meus Thomas Bartholinus gius Medicinæ Profeſſor, Cent. I. Hiſtoria XVI. ɛnſes è maligno pedis ulcere ſtatis temporibus ɛllæ prorupiſſe teſtatur Eſaias Meiſchnerus ce-ɔris medicus apud Schenckium Lib. IV. Ob-v. CCLXIX. Sed & Gangrænam à menſibus crus delatis tradit Sennertus Pract. Lib. IV. rt. II. Cap. I.

LI.

Menſes è dentis alveo ſtillantes.

ANno cIↄIↄcXXX. menſe Majo Bononiæ conſilii cauſa perſcriptum ad Joannem Prevotium, veſtali menſes per dentis alveum erupiſſe. Simile qvidpiam notavit Jacobus Hollerius Com. II. Sect. II. Lib. II. Aphor. XIIX. Coac. Prænot. Itemq; Balduinus Ronſſeus de primordiis vitæ humanæ Cap. XXIIX. Menſes cum ſterilitate per gingivas fluxiſſe tradidit Zacutus Luſitanus Prax. med. adm. Lib. I. Obſerv. XCI.

LII.

Superfœtatio familiaris.

NAviculatoris cujusdam Patavii *al Portello* conjux qvovis anno obnoxia erat ſuperfœtationi. Cujus exemplum dedit Hercules Saxonia Prælect. Part. III. Cap. XXIIX. rationem confecit ac hiſtoria multiplici declaravit Joannes Schenckius Lib. VI. Obſ. CXXVI.

XXIII.

Mola viduæ.

ANno cIↄ IↄcXXVI. Februarii XIV. hora noctis ſecunda mulier ſexagenaria molam excluſit, dum graviſſimis preſſa doloribus in uteri repoſitione Hieronymi Sabioni conſilio ſpiritu

m comprimeret. Mirandum verò, qvod jurando confirmaret, octo & decem annis lla ſe viri conſvetudine uſam. Anno ſeptuage- Petrus à Caſtro notavit. Nec ſane id abſonum lei viro acris judicii Melchiori Sebizio præfiſci- Germanorum Æſculapio ſingulari de Molis iſſertatione. Et verò puellæ cum motu intra rpus male habenti molam adjudicarunt medi-, referente Amato Luſitano Centur. IV. Obſ. XXVI. Talem verò carnem rectius diffor- em ſtatuit Jacobus Caranta Medicophyſ. ib.I.Sect.I.

LIV.

Conceptus ſine menſium fluxu, cum partu ſine purgamentis.

ANno cIↄ Iↄc XXIIX. Patavii binæ matronæ nobiles vixêre graciles ac proceræ, qvæ ne menſiū fluore concipientes perperere, nunvam à partu purgatæ. Sed prægnationis temore graviter ſe habuerunt. Nobili Patatav. à vaudine V. C. Georgius à Turre longo medendi ſu peritiſſimus commonuit, menſibus perpetuò eſtitutam ex voto octies enixam. Fabricius ildanus Cent. V. Obſ. XLI. memorat ſe qvinvagenariam vidiſſe validam, qvæ menſibus erpetuò retentis liberos edidiſſet ſeptem, à par- leviter purgata. Idipſum Ariſtoteli aſſe- t Hollerius de Morb. Intern. Lib. I. Schol.

Cap. LIIX. variiſq; exemplis confirmat Joannes Schenkius Lib. IV. Obſerv. CXVII. & Marcellus Donatus Med. Hiſt. Lib. IV. Cap. XXIII. notavit pariter Sennertus Pract. Lib. IV. Par. II. Sect. II. Cap. I. ſe idem vidiſſe memoriæ prodit Panarolus Pentec. I. Obſer. XV. Americanis id arte qværſitum narrat Joannes Liberius Hiſtor. navigat. Braſilienſis Cap. XVII.

LV.

Partus falſus.

ANno cIↃ IↃc XXI. Aprilis XV. nobilis matrona duas & triginta annos nata, cui menſes ſuppreſſi, rugitus ac flatus ventris perſenſit cum febre lenta & erratica. Qvum poſt aliqvot menſes videretur partui vicina, excreto humore copia qvam tres vel qvatuor capiebant pelves venter detumuit. Molam hujus generis aqvoſam ex Avicenna cum Jacobo de Partibus, Valeſco de Taranta, & Matthæo de Gradi opinatur Benedictus Silvaticus Centur. IV. Conſil. LIIX. Qvam Fabricius Hildanus Cent. II. Obſ. LIII. deſcripſit Rembertus Dodonæus Obſ. Medicin. Cap. XLIX. annotavit, Sennertus itidem Pract. Lib. IV. Part. I. Sect. II. Cap. XI; uteri hydropem putat Cardanus apud Schenckium Lib. IV. Obſerv. CCXVI. qvem ex uteri veſicis docet Hieronymus Capivac. Pract. Lib. IV. Cap. V.

LVI.

LVI.

Partus multiplex.

Anno cIↃ IↃC XXXV. Calendis Aprilis hora XIII. Franciſca Salmaza annos qvatuor & viginti nata marito Andreæ agnomine Veronenſi æditiuo templi cathedralis Patavii octavo menſe tres edidit filios integrè formatos & benè muconiatos, vittatosqve omnes. Domi ſacro fonte ab obſtetrice tincti. Primo nomen Olivi inditum, qvod is dies incidiſſet in Dominicam Palmarum, qvas Itali vocant *Olivæ*, alteri patris, tertio Baptiſtæ. Primus à tribus horis exceſſit, alter nocte, tertius diem vixit. Poſtremus menſis utero gerenti gravis fuit; cætera nihil incommodi ſenſit. Caſus qvidem rarior, nec tamen aliis inauditus. Qvippe mulierem uno partu fœtus novem feciſſe notat Petrus Paulus Pereda in Paſchalium de cur. morbor. Cap. LIX.

Anno cIↃ IↃC XL. menſe Julio in Svecorum caſtris apud Germanos accepimus, militis uxorem qvatuor filios ac tres filias enixam. Aliam qvinq; fœtus peperiſſe, Herophilo apud Æginetam Lib. III. Cap. LXXVI. & Cælio Aureliano autoribus, tradit Donatus ab Albomari Artis med. Cap. CXIV. Bononiæ fabri ferrarii conjugem primo partu gemellos edidiſſe, altero

tres liberos, tertio qvatuor; è tribus unu[m] fuiſſe vitalem; è qvatuor nullum, autor Trin cavellius de rat. cur. part. hum. corp. aff. Lib. X Cap. XVII. Aliam ibidem tres ediſſe memin[it] Dominicus Leonus Artis Med. Lib. VI. Sect. II. Cap. XV. Georgius Cedrenus memorat qvart[o] anni imperii Theodoſiani mulierem Antiochi[æ] uno partu qvatuor maſculos tuliſſe. Ipſa[m] duos menſes ſuperfuiſſe, infantium unum po[ſt] alterum extinctum. Agelmundi regis tem pore meretrix uno partu ſeptem puellos enix[a] teſte Paulo Diacono Lib. I. Cap. XV. Matthia[m] Golacevium Vuladislavienſem Epiſcopum e duodecim liberis, qvos mater unico partu ed dit, ſuperfuiſſe ſolum refert Herbuſtus Hiſto[r]. Polon. Lib. IX. Cap. X. apud. Genebrar[d]. Chron. Lib. IV. Plura qvære apud Schenckiu[m] Lib. IV. Obſ. CLXII. & Marcell. Donatu[m] Med. Hiſt. Lib. IV. Cap. XXIV. Memor[ia] omninò dignum eſt, qvod reliqvit Autor Chro nici VII. Ætatum in mea Bibliotheca calam[o] ſcriptus, Nicolao III. Pontifice Antonia[m] qvandam Mutinæ aliqvando qvinqve, al[i]qvando tres filios tuliſſe uno partu, ac undecim gemellos, tandemq; partu defeciſſe. De Cæſari[s] Auguſti ancilla in agro Laurente prodidit A. Gellius Lib. X. Cap. II. pepeeriſſe qvinq; pueros eosq; pauculos dies vixiſſe, matrem non mult[o] poſt mortuam.

LVII.

LVII.

Ovum à muliere excluſum.

ANno cIↃ IↃC XXI. in agro Vicetino fœmina qvædam obortis doloribus parturienti conſvetis ovum edidit perfectum. Idem in Norvegia contigiſſe, omni fide major confirmavit Olaus Vormius in Academia Hafnienſi Medicinæ Profeſſor celeberrimus, magno literarum Gothicarum detrimento nuper mortalitati ereptus, qvi ovum iſtud in ſua rariorum ſuppellectili repoſuit: in Regia Auguſtiſſimi FRIDERICI III. hodie ſervatur. Hiſtoriam edidit Vir eximius Thomas Bartholinus Collega Centur. I. Hiſtor. LV. Obſervat. rar. Partus rudimentum non abſimile memorat Benedictus Silvaticus Centur. IV. Conſil. LIIX.

LIIX.

Gemellli ſpecie humana editi, à vacca.

ANno cIↃ IↃC XIIX. Maji XII. ad Ampliſſimum Conſultiſſimumqve Virum Jacobum Feſchium Juris Civilis in Academia Baſilienſi Antecesſorem noſtra memoria per-

ſcriptum fuit, in vicina provincia, qvæ Illu-
ſtriſſimo & Reverendiſſimo Archiduci LEO-
POLDO Auſtriaco parebat; vaccam geme-
los peperiſſe forma humana, qvi cum ipſa rogo
traditi, viro qvodam ſibi fuga conſulente.
Qvæſitum fuit à Juriſconſultis Collegii, num
partus iſte judicio tam præcipiti rectè igni fuiſ-
ſet expiatus.

LIX.

Partus monſtroſus.

LAurentius Pignorius magnæ pietatis ac fide
vir interioribus literis celeberrimus, An-
no cIↄ Iↄc xxix. narravit in collibus Pata-
vio proximis ruſticam fœminas gemellas eni-
xam, qvarum altera ſupra umbilicum tota fe-
lem referens alteri humana prorſus ſpecie de-
coræ inſidebat. Hæc ſacro fonte excepta, il-
lam Theologi aqvis ſubmergendam ſtatuere.

LIX.

Pedes manuum vice functi.

ANno cIↄ IↄcXXIX. VII. Maji fœmina
Gandavenſis Patavii comparuit, qvæ pe-
dibus

dibus omnia vitæ munia negotiisq; domeſticis neceſſaria expediret. Similis apud Gallos noſtro ævo fuit. In Germania qvoqve noſtra memoria juvenis qvidam literas elegantiſſimè pedibus formabat. Qvorum etiam meminit Felix Platerus Obſ. Lib. III. Venetiis puellam vidi pedibus nentem. Cæſare Auguſto imperante adoleſcens qvidam humeris carens manuum loco qvævis pedum officio peragebat, ut autor Dio Hiſt. Rom. Lib. LIV.

XLI.

Vermes in venis.

Hieronymo Fabricio ab Aqvapendente primi nominis Anatomico & Chirurgo Patavii corporis diſſectionem peragente, Joannes Prevotius in vena emulgente ſiniſtra vermem conſpexit. Ab Adriano Spigelio itidem magni venis ſucceſſore in trunco venæ cavæ deſcendentis reperti. Qvid multa? Vermem palmi longitudine ſecta brachii vena erupiſſe cum ſangvine teſtis Joannes Renodæus Pharmacopol. Lib. III. Cap. XXXIII.

LXII.

Rami Iliaci vermes.

ANno cIↃIↃc XXV. XIIX. Januarii in cadavere fœminæ hydrope ſublatæ ramum i-

liacum venæ cavæ deſcendentis occupan
vermes capitulo erucæ in modum nigro, qvi
qva macerati nigredinem poſuere.

LXIII.

In principio arteriæ venoſa oſſicula.

IN viro nonagenario, Joannes Veslingius re
rit oſſicula ad principium arteriæ venoſæ in
niſtro cordis ventriculo: qvæ verè pars arter
vi caloris initio degenerantis in cartilagin
poſtea in oſſeam ſubſtantiam converſa. Ar
triæ aortæ principium, qva è corde prodit, in n
liere annorum ſeptuaginta Patavii à Cl. Jaco
Crakero Aloſtano Doctore medico inciſa
Nobilis ac eruditus Carolus Offredus cartila
neum comperit.

LXIV.

Habitus corporis verminoſu cum variolis ac puſtulis.

ILluſt. Franc. Martinengi Comitis Brixienſi
Patricii Veneti ſervo corpus univerſum va
lis obſitum vermiculis ſcatebat teretibus, qva
fructuum. Caput ei ſupra bis mille foramin
lis fœdatum.

Ruſtico etiam in valetudinario D. Fra
ſci variolis ſecundum erumpentibus, vermes

giti medii longitudine ſub puſtulis ea naſcebantur freqventia, ut noctu ſiniſtrum ipſi oculum exederent. Aldrighetti Medici clariſſimi opera, balneo ex ſcordio, ſtaphide agria, & alumine fœda proluvies fugata. Gravidam ab eſu caricarum variolis correptam verminantibus prodidit Zacutus Luſitan. Prax. Med. admirand. Lib. III. Obſervat. XLVI. Vermes duos & ſeptuaginta puellæ è puſtulis erumpentes notavit Horatius Augenius in Commentario Lib. I. Art. Curat. ad Glauconem apud me inedito: qvem autore dignum Deo favente in lucem proferam.

LXV.

Vermis cum bilioſis excretus.

Anno cIↄ Iↄc XXIX. v. Jun. vir febre maligna correptus, bilioſa ſponte dejiciens vermem ſimul excrevit: qvamvis Aetii ſententia Tetr. I. Serm. I. amara ejuſmodi animalculis adverſa. Sed in veſica etiam fellea Gvil. Fabric. Hildanus Cent. I. Obſerv. LX. vermes deprehendit: pariter Joannes Vierus. Qvid verò cerumine amarius ad meatus auditorii munitionem ab inſectis minutulis? De auribus tamen ſe vermes Plin. Lib. XX. Cap. XIV. notos eduxiſſe fatetur Jo. Bapt. Montan. Conſ. XL. qvos capparis amaritudine necari docet Galen. Lib. VII. de Simpl. med. Fac. Aſcarides in bilioſo notavit Pet. Toletus in Append. Pauli Bagellardi de morbis pueror.

Pitui-

Pituitam verò acceſſiſſe credibile eſt fœdæ ſobo-
lis matrem.

LXVI.

Vermis monſtroſus diuturni morbi & mortis cauſa.

ANno cIↄ Iↄc XXXV. menſe Majo poſt va-
rios dolores & maciem extincto Veronæ
Guilielmo de Haert Batavo SereniſſimæReipub-
licæ Venetæ tribuno, conſiſtentis ætatis viro, ne-
obeſo, vermis ab eo ſeceſſit multiceps, cauda lon-
ga, cornu gemino cancro ſimilis, flavi & nigri
coloris, palmi longitudine. Talem adfert Mar-
cellus Donatus Med. Hiſt. Lib. IV. Cap. xxvi.

LXVII.

Excretiones ſymptomaticæ interdum ſalutares.

EXcretiones ſymptomaticas qvandoqve cum
robore virium continuatas morbum ad ſalu-
tem finire, materia vacuata & abſumta caloris
nativi præpollentis opera, Anno cIↄ Iↄc XXVI.
menſe Februarii oſtendit filia Caroli Lazari ma-
giſtri ſphæriſterii in vico Vinalium, qvæ, in fe-
bre continua lotium reddidit ſemper turbidum
usqve ad univerſalem morbi declinationem,
qvam die hujus menſis octavo & viceſimo atti-
gerat.

LXIIX. Me-

LXIIX.

Medicamentum leniens in habitum corporis translatum.

ANtonio Salæ præcellenti medico dyſenteria correpto Joan. Prevotius mellis roſacei ſolitivi uncias qvatuor ex aqva B. Virginis mon-s Ortoni præbuit. Alvo ſuppreſſa, æger mel ierum ſudavit. Sed & Autor Libri de Diſſolu-one continua Cap. XXI. Galenicis adſcripti ait iellis aqvam aliqvando tendere velociter in enas. Laxiore nempe corporis fervidi habi-ı. Qva ratione Theſſalus Epidem. VI. Sect. VI. ἀέρκες ὁλκοὶ. Hippocratis enim decreto Lib. e Alimento, Ξύῤῥοια μία, Confluxio una.

LXIX.

Sangvis apprimè ſeroſus.

FIbrarum ſangvis expers aliqvando vitæ diſcrimine cucurbitulis cum ſcarificatione ducitur. Puellam nubilem vidit Prevotius Patavii ucurbitulis ea ratione affixis, pertinaciſſimo angvinis profluvio ſine ullo artis præſidio in-eriiſſe.

LXX.

Sangvis nigerrimus.

ANno cIↃ IↃc XXX. Aprilis xxvi. D. Roberto

berto Keuchenio Veſalienſi juveni robuſto & bilioſo ſangvis miſſus atramenti ſcriptorii modo nigerrimus. Aponenſis aqvæ potu alvus ei fuſiſſima.

LXXI.

Sangvinis ab hirudinibus admotis fluxus repreſſus.

ANno cIↃ IↃC XXIX. Martii xxıx. Eqviti Anglo mentagra perqvam laborioſa inqvinato Joanne Colle primæ ſedis Profeſſore Practico, & Joanne Dominico Sala conſulentibus, qvum hora IV. mane hirudinibus loco infecto appoſitis ſangvis ad tres ferme libras erumpens nulla cura ſiſteretur, Prevotius, cui valetudinem commiſerat, elotis vino albo adſtringente vulnuſculis ungventum Galeni reſtringens ex bolo Armena pilisq́ leporinis bono eventu imponi juſſit.

LXXII.

Sangvis merè pituitoſus.

ANno cIↃ IↃC XXIX. xı. Maji cœnobitæ ſodalitatis D. Antonii ætatis provectæ pruritu ſicco atqve difficili diu vexato ſangvis è venis hæmorrhoidibus adeo pituitoſus fuit evocatus, ut præter tantillū ſeri nullum ſangvinem referret.

rret. Qvapropter Celſus Lib. II. Cap. X. ve-
monuit, inciſa vena, ſangvinis colorem habi-
mqve attendere. Lotium eidem per aliqvot
es privative crudum conſpiciebatur.

LXXIII.

Pituita puri ſimillima.

ANno cIↄ Iↄc XXXI. menſe Majo Illuſtriſ-
ſimus Leonardus Piſaurus Nobilis Venetus
tate jam præcipitata pituitam fecibus permix-
im dejecit, qvæ merum pus referebat.

LXXIV.

Sudor periodicus.

BEnedictus Silvaticus menſtrui fluxus loco
ſingulis menſibus deprehendit ſudorem ſine
ebre tres dies durantem. De qvo Cent. I. Conſ.
ri. & Cent. II. Conſ. xcv. In cive Mediola-
nenſi obſervavit idem qvavis nocte ſudorem;
qvi potu fontis calidi tandem ceſſavit.

LXXV.

Meliceris viridis.

ADrianus Spigelius rariorū indagator ſedulus
tumo-

tumore aperto materiã invenit ceræ viridi ſimilem, qvæ admota candelæ colliqveſcebat. Qvod meliceridis genus etiam Cornelius Celſus agnovit Lib. V. Cap. xxiix. qvando ait: *Si inciditur viridis intus caro apparet.* Qvo modo verus codex Mediceus Florentiæ, Ambroſianus Mediolani, Divi Antonii Venetiis, meusq; MS. item Excerpta bibliothecæ Regiæ Pariſiis, Joannis Caji, & Pauli Aicardi emendationes MSS. Eaq; formula uſus autor Lib. IV. Cap. xv. & Lib. vi. Cap. xiix. Pro qva loco memorato in vulgatis *intra.* Nulla ſententiæ qvidem varietate, curioſis tamen haud ingrata.

LXXVI.

Fœmina laborans Arthridite.

ANno cIↃ IↃc XXVI. Martii iix. fœminam conſpexi artuum doloribus aggravatam, cui menſes ordinati fluxere. Senex Cous tamen Lib. vi. Aphor. xxix. ait: Γυνὴ ἐ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια ἀυτέῃ ἐκλείπῃ. Sic etiam MS. biblioth. Mediceæ. Ubi meus liber MS. cum Cod. Vaticano 279. ἀυ]ῇ. Vatic. 280. ἐν ἀυτῇ. eadem plane ſententia Jo. Heurnio interprete, *Mulier ex podogra non laborat, niſi menſtrua illi deficiant.* Stoæ Romanæ princeps autem Epiſtola XCV. Hippocratem vere paucis excuſat: *Qvid mirandum eſt, maximum medico-*

m & naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi: num fœminæ tot podagricæ calvæq; ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt: & qvia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus. Cardanus tamen in Commentario hoc effugium acrius reprehendit. Menſtrua enim ſentinam exhauriunt articulis moleſtam, qvæ frugali Hippocratis ætate ſeqviorem ſexum non infeſtabat; qvamvis hujus morbi non uno loco meminerit, qvem Plinius etiam Lib. XXVI. Cap. X. ſua memoria peregrinum ait, nec Latium nomen inveniſſe. Galenus autem prudenter monet iſtæc pauciora & leviora fuiſſe vitia.

LXXVII.

Arthritis curata.

ANno cIↃ IↃcXXVI. Illuſtriſs. Iſaaci Vuæcke ad Sereniſs. Rempul. Venetam Legati Angli cubicularius adoleſcens Anglus rari habitus & coloris fuſci à ſæviſſimis articulorum doloribus cum febre lenta & purulentis alvi dejectionibus, febre non obſtante, Joannis Prevotii dexteritate curatus fuit pertinace hypocauſti & decocti uſu. Cujus in Analectis Cautionum medicarum memini. Hieronymus Cardanus in vita ſua Cap. VI. memorat ſe à podagra perſanatum.

LXXIIX.

Coxæ dolor ſanatus.

DIuturnos coxendicum dolores Adrianu Spigelius brevi tempore ſuſtulit ſetaceo e radice hellebori muſculi gaſterocnemii gemel interſtitio in ſuris infixo. Nimirum venæ ſub popliteæ beneficio: cujus inciſio cæteroqvin e in caſu magnos effectus habet.

LXXIX.

Remedium huic dolori efficax.

SOlis clyſteribus ad ſummum intra dies qva tuordecim ſublatum coxæ dolorem ſua ma nu teſtatus eſt eruditiſſimus Uratislaviæ Medicu Daniel Rindtfleiſch ad oram Hippocratis v. Epi demior. qvem Patavii apud filium cognomine Bucretium mihi amiciſſimum ſæpius inſpexi.

LXXX.

Oſſis coccygis luxatio reſtituta.

ADrianus Spigelius Anno cIɔ Iɔc XXIV. c coccygis à partu luxatum nobili matron ſola faſcia reſtituit.

LXXXI.

Jecur non ſemper luis Venereæ ſedes.

ANno cIɔ Iɔc XXIV. Januarii V. Adrian Spigelio ſecante in theatro anatomico pue læ co

corpus annorum duodecim, qvæ in valetudi-
rio D. Franciſci non matureſcentibus venereis
bonibus extincta, hepar plane fuit integrum.
qvo planum fit, non ſemper fiſcus hoc lue Ve-
rea infectis labefactum.

LXXXII.

Lues Venerea contagioſa.

'T qvæ non hujus mali vis? An. cIↃIↃcXXIX.
Aprilis XIIX. cum Joanne Prevotio matro-
m viſitavi honeſtam, cujus nutrix infantis os
ecerat. Mater ab eo lue contracta ſic maritũ in-
inavit, ut non bubones tantum ipſi erupue-
t, ſed in genu qvoqve admodum pertinax
rpes, ac in vertice ulcus venereum. Uxo-
in ſtatum paulò meliorem decocto producta,
ritus etiam ſuæ valetudini conſultum ivit,
ismodi ferè inqvinamentum prope Marpur-
m in pago accidit, infante à digito ancillæ
ltem præbentis infecto, qvod à matre la-
nte in maritum, imò in pædagogum ex po-
li communitate iſtis locis familiari diſſemi-
tum celeberrimi Chymiatri Joannis Hart-
nni doctoris mei ingenio deletum. Ado-
centi parum provido D. Franciſci valetu-
narii miniſtro qvi calices infectos diu ſicca-
, ulcera admodum atrocia fauces occupa-

 runt

runt, qvæ nobis adſtantibus non aliis au liis qvam Petri de Marchettis candentibus ramentis repreſſa. Perniciofum hoc con gium advertit Paræus Chir. Lib. XIIX. Cap. memorabili exemplo confirmavit Fabric Hildanus Centur. I. Obſ. C. etiam eminus t dit Zacutus Luſitan. Prax. med. admir. Lib. Obſ. CXXV.

LXXXIII.

Fœtus cum tophis Venereis e tus: alter obſitus variolis.

VEneris illicitæ pœnam non adultio modo ferunt, ſed inſontes qvoqve lit ri anteqvam lucem conſpexere in alvo m terna luunt, diro malo infecti. Fœtum cens editum Patavii conſpicere licuit, cui d ſum tophis venereis obſitum. Imò contar natos lue Venerea infantes apud Indos na refert Ludovicus Vives in D. Auguſt. de Ci Dei Lib. XXII. Cap. XXII. Veronæ p lionis uxor inqvinata lue filium peperit de datum variolis: non reddito papaverculo, deguſtato lacte, tertio die obiit. Petrus à ſtro teſtis.

LXXX

LXXXIV.

ercurii dulcis ad luem Veneream uſus.

Ximio medendi compendio, & ægrotantium levamine, qvod in Analectis Cautionum dicarum fideliter monui, hoc loco repetere et, divinum pænè adverſus luem Veneream xilium præberi Mercurio dulci; qvi ritè paus poſt ſangvinis miſſionem ac ſyrupos præantes alternis vel ternis diebus cum Elearii lenitivi drachmis tribus ac triginta, vel pus qvadraginta, dies exhibitus pondere ut rimum duodecim granorum homini vegecommode alvum ſolvit ſine dolore, nec ſalim movet. Ne tamen malefici qvicqvam intinis adhæreat, omiſſis aliis medicamentis, lle roſarum ſolutivo cum tamarindorum dectione ex qva cichorii addito ſemini citri, avis hebdomada ſemel ea fuerint detergen. Sic enim plures, poſthabito ligni decocto eter ſecundum potui deſtinatum, ſine lon ſudationis tædio penitus convaluiſſe meni ex eo integerrimæ valetudinis prole fœndos. Qvin Montispeſſuli puerum familiæ portæ bimulum, nihil proficiente ligni decto, mercurio dulci ad grana octo dextrè da luem à nutrice contractam ſuperaſſe, nar

rabat Paulus Schlegelius vir fide dignus. Hiſtoriam refert Lazarus Riverius Centur. Obſ. XCV. Alium ex infecta natum, à qvi[...]to & decimo partus die Mercurii dulcis gran[...] duobus vel tribus cum ſaccharo & lacte ad me[...]ſem adſumtis convaluiſſe, autor eſt Samuel Fo[...]mius Chirurgus Monſpelienſis ad eundem Ol[...]ſervat. XXVI. ſilentio tamen præterire nol[...] qvod Analectorum Lib. II. de Mercurio vitæ n[...]tavi, ſenibus etiam ab hujus uſu qvandoq; inteſt[...]num prolabi: qvibus humore pituitoſo plurimu[...] ſcatentibus qvævis forſitan Mercurialia non u[...]qve commoda vel tuta. Medicus itaq; eoru[...] uſum circumſpectus ineat.

LXXXV.
Hydrargiri uſus in corpore humano.

HYdrargirum tamen nullo artificio immuta[...]tum citra noxam aſſumi confirmant Inſul[...] cujuſdam prope Moluccas incolæ, qvi tam a[...] conſervandam ſanitatem, qvam ad propellen[...]dos morbos illud qvotidie deglutiunt. Agre[...]ſtem novit Prevotius; qvi ad deturbandam al[...]vum argenti vivi binas uncias qvovis die acci[...]peret; qvas rejectas & probè lotas iterum con[...]ſveto more uſurpabat. Plura in hanc rem Ambroſ[...] Par. Chir. Lib. XX. Cap. XXXIIX. Ad lacti[...] retentionem Hiſpanas mulieres infantibus

hydrar-

hydrargyri grana tria vel qvatuor præbere au-
or eſt Joan. Baptiſta Zapata Hiſpanus Secret.
Med. Cap. V. Patavii etiam pueris exhibetur,
um verminant.

LXXXVI.

Hydrargiri inunctio periculoſa.

AT v. extenius ipſius uſus parum tutus; qvicqvid multi de cingulo mercuriali jactitent. Cujus infelicem uſum notavit Gvilielmus Hildanus Cent. V. Obſ. XCIII. A. cIↃ IↃc XXXIIX. Camillus Pareſchi Patavinus Chymiæ non vulgariter peritus, qvum ſenior animalcula in carceribus attracta Mercurii inunctione amolire-tur, in fœdam ſcabiem cum impotentia motus incidit; nec diuturna poſt fuit vitæ uſura. Cinguli qvoqve mercurialis uſum in alio ſene mortiferum advertit Philippus Hoechſtetterus Obſ. medicin. Dec. III. Caſu VII. Veslingius tamen mihi affirmabat Arabes ad qvoscunqve dolores ungvendo mercuriali proſperè uti. Eoq; deletus capitis dolor pertinax apud Zacutum Luſitanum Prax. Med. admir. Lib. II. Obſ. CXXIX. etiam genu Lib. dicti Obſ. CLXVI. Ad Scabiem inveteratam laudat idem Lib. III. Obſ. LI. Sed heic lues forſan latuit.

LXXXVII.

Hydrargyrum admoto empla-ſtro inhærens.

ANno cIↄ Iↄc XXIV. Auguſti XXVI. Adrianus Spigelius ſervo ad pericardium punctim ſauciato qvam thoracem perforaret, emplaſtro hydrargyrum adhæſit. Numqvid ab inunctione mercuriali ante facta, an Pharmacopœi culpa emplaſtro perperam ficto?

LXXXIIX.

Gangræna lætalis à veſicantibus.

ANno cIↄ Iↄc XXVII. Juvenis è nobili Valeriorum apud Venetos familia duos & viginti natus annos in melancholiam pronus febre maligna corripitur. Itaqve veſicantia qvatuor coxis cruribusq; appoſita; qvæ attractis humoribus venenoſis intra biduum in cruribus letalem gangrænam excitarunt. Cantharidum pulvere juſto copioſius admixto ſimile qvidpiam Lazarus Riverius animadvertit Centur. II. Obſ. LXXXXVI.

LXXXIX.

Viperæ morſus.

ANno cIↄIↄc XXIX. Majì xvii. Pharmacop. Germ. in officina Franc. Macopii Brugenſis in vico

n vico D. Franciſci ſerpentinum pulverem ale-
xipharmacum ambitioſè jactanti, qvum incauti-
or eſſet à vipera demorſus, brachium repente in-
tumuit cum nigredine gangrænam comminan-
te. Itaqve ſangvis ex eodem brachio ultra li-
bram illico extractus, exhibitaqꝫ ſimul Theriaca
locus oleo Scorpiorum illitus. Qvibus præſi-
diis rectè habuit.

Eventu longe diverſo Joannes Knips Co-
loniensis Caroli Macopii peſte ſublati gener &
ſucceſſor elegans ac peritus, juvenis optimi ha-
bitus, ac temperamenti ſangvinei Anno cIɔ Iɔc
XXXIIX. menſe Majo, qvum liberius viperarum
capita verſaret, pollicem dextræ manus animalis
rictus invaſit. Caput igitur firmius adhærens
qvum vi avelliſſet, adſumto ſponte alexiphar-
maco per urbem ad ſudorem concitatius inceſ-
ſit. Inde febris continua & convulſio, tandem-
qve lingvæ, ac latere corporis dextro paralyſis.
Peritiſſimorum medicorum conſilio in thermas
Divi Petri ablegatus menſe Julio meliuſculè ſe
qvidem habere cœpit. Sed ab inſolito æſtu
cum familia febre correptus, cis paucos dies
occubuit Patavii.

Petrus à Caſtro in Cantabria fœminæ item-
qve presbyteri puerulo pullos gallinaceos po-
dice deplumato vulneri feliciter admovit, etiam
ad ſextum, qvi extinctis illicò reliqvis ſuperfuit,
non omiſſis interim alexipharmacis.

XC.

Scorpii partus, Vis venefica; Antidotum.

ARgumenti affinitate juvat heic obſervatum mihi ſcorpii enixum & alexipharmacum è meis ad Scribonium Largum Notis reponere. Anno cIↄ Iↄc XXV. die Julii XXIX. ſcorpius turgens in carcere vitreo numeroſam mihi exclufit ſobolem, qvam non ovi, ſed perfecti animantis figura cum ſpuma ori matris adhærere vidi; eaqve mox ejus dorſo & ſub alvo undiqve affixa initio candida, brevi dorſum cinerea, poſt nigricans, donec evidentiore paulatim ſpecie adoleſcens tandem ſponte dilaberetur. Idem eximio variæ doctrinæ viro Thomæ Furenio civi meo evenit Anno cIↄ Iↄc XLV. a.d. Julii XXI. ubi tandem candida comparuit pellicula orbicularis, qva veluti ſecundinis fœtus manifeſtè obvolvebatur. Hinc Ariſtoteles forſan Hiſtor. Animal. Lib. V. Cap. XXVI. ait: *Scorpiones terreſtres vermiculos ovorum ſpecie pariunt complures & incubant.* Qvod & Plinius notavit Libr. XI. Cap. XXV. Addit Philoſophus: *Scorpiones undenos pariunt.* Imò plures qvàm tricenos, vel noſtris experimentis. nec tamen uno eodemqve tempore. Annò enim cIↄIↄc XLVII. die Auguſti XVII. beſtiola hæc undenos peperit, qvod & Plinius obſervavit: qvi numerus die XIX.

pœnè

pœnè triplicatus: lendis magnitudine per teleſcopium undiqvaqve perfecti comparuerunt. At eodem fere die ſeqventis menſis proles hæc interiit, qvum in paſtum matris binos appoſuiſſem ſcarabæos, qvos mortuos non attigit. Ipſos in Italia aliqvando innocuos monuit Plinius. Patavii nihilominus tumore ac dolore graves ictus animadverti. Sed ab anno etiam Petrus à Caſtro vidit recruduiſſe venenum in ſemetipſo, & in gallina. Sole nempe Scorpii ſignum peragrante dextræ manus indicem ipſi feriit ſcorpio niger maximæqꝫ virulentùs. Dolorem confeſtim percepit cum frigore totius brachii, qvi verius in digito ponderoſus. Scorpio ipſe contuſus plagæ impoſitus cæteraqve alexipharmaca parum profuere. Digito in gallinæ domeſticæ ſedem immiſſo, dolor poſt ſeſqvihoram omninò ſolutus: ipſa intumeſcens ac ſemimortua theriaca deglutita qvidem convaluit, ſed claudicans. Redeunte ſeqventis anni eo ipſo temporis momento, gallina convulſa, tremula, & enervis procubuit, donec ſumta theriaca reſtitueretur. Viro clariſſimo pariter eodem tempore dolor digiti rediit, cum tumote phlegmonode, qvi acri & flavo pure vacuato adhibitisqve antidotis ex eo integre convaluit. Petum iis remedio Henricus Furenius V.C. deprehendit mecum Patavii.

XCI. Scor-

XCI.

Scorpii impunè vorati, etiam aranei.

PAtavii mea ætate adoleſcens fatuus citra noxam ſcorpios voravit atqve araneos. Qvi tandem peſtilentia per Italiam paſſim vagante Anno cIↄ Iↄc XXXI. fuit ſublatus. Aureliæ vidit Offredus noſter mendicum tetra fœdaqve corporis animalcula & araneos ſine valetudinis detrimento vorantem. Puellam araneos deglutientem ſe Coloniæ vidiſſe autor eſt Albertus Magnus apud Ulyſſem Aldrovandum de Inſectis Lib. V. Cap. XII.

XCII.

Oſſa à Tartaro corroſa.

ANno cIↄ Iↄc XXVI. Junii XI. oſſa pueri defuncti in valetudinario D. Franciſci ab acri deſtillatione tartarea ſic eroſa, ut in coſtis tanqvam ſtillicidii veſtigia in oſſa coxendicis deſinerent. Contubernalis meus Wernerus Rolfinckius Hamburgenſis nunc in Academia Jenenſi Facultatis Medicæ Profeſſor ac Senior ampliſſimus Patavii ſceleton habuit. Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente in Operationibus Chirurgicis de Oſſis carie in puero notavit illæſa dura cerebri membrana os ab humero acri perforatum.

XCIII. Os

XCIII.

Os humeri ab aëris colliſu fra-ctum, ab eodem cœcitas & ſurditas.

ANno cIↃIↃc XXIII. XIV. Decembris in Theatro Anatomico narravit Adrianus Spigelius in Belgio tubicini prorſus intacto emiſſa è tormento bellico qvinqvaginta librarum pila ferrea brachium prætervolante os humeri fractum fuiſſe: gangrænam intra diem qvartum ſubſeqvutum, ex qva interiit. Ambroſius Paræus Chirur. Lib.X. Apologiſmo teſtis eſt multos bombardæ fragore attonitos fractisqve ſine carnis noxa oſſibus invadente mox gangræna periiſſe. Guſtavo magno Svecorum Rege impreſſionem faciente Francofurti ad Oderam prætergreſſus tormenti majoris globus centurioni fortiſſimo Marco de la Roche Offredi noſtri agnato luminis uſum ademit. Similem hiſtoriam vide apud Joannem Schenckium Lib. I. Obſervat. CCCIV.

Nobili Gallo eadem ex cauſa ferme ſurdo, corpore bene purgato, Prevotius aqvæ Aponenſis ad verticem ſtillicidio auditum redintegravit.

XCIV.

Cruris amputatio à febre liberat.

ANno cIↃ IↃc XXIII. Octobris XXIII. in valetudinario D. Franciſci à Chirurgo jam

ſenium

ſenium qvidem proſpiciente, ſed expedito, mulieri ætatis mediæ extenuatæ, febre præſente crus ſiniſtrum ſalutis conclamatæ ſub genu amputatum. In dies ea melius habere cœpit, remota putredine.

XCV.

Leguminis ex ære cocti eſus letalis.

URbano IIX. Summo Pontifice Anno cIↃIↃc XXXIV. a. d. xxvi. Aprilis relaxatis omnibus noxis Italiæ veniam proſperante hortulanus qvidam in vico D. Antonii à ſupplicatione reverſus cicera vaſe æneo cum oleo & ſale cocta avide vorat. Vomitu alviqve dejectionibus miſerè convectus die ſeqventi Joannis Veslingii opem implorat. Viribus omninò proſtratis cordialia imperantur, & epiceraſtica tenuiori fortunæ competentia. Sed miſer die tertio exſpiravit. Nimirum ſalis ea vis eſt, ut æruginem elicuerit, qvæ rodendo hominē ſuſtulit. Mirandū magis, qvod Compend. Medic. Lib. II. Cap. IV. narrat Juſtus Cnutius Belga, cui fatū in ætatis flore Pavii maximā doctrinæ ſpem præcidit, Virgines in Cœnobio D. Claræ propè Mantuam in ſuburbii Miaré amplius triginta ab eſu oryzæ ex vaſe æneo ſtanno recens obducto in diarrhæam cardialgia comitatam incidiſſe. Ventriculus nempe ſenſu præ-

ditus

itus eſt exqviſito; qvem nervi à ſexti paris ra-
io externo ad ſuperius orificium ipſius protenſi
onferunt.

XCVI.

Flammula Jovis cocta in acetaria colonis.

ANno cIↄ Iↄc XXXII. Julii XXV. qvum in municipium Tituli Livii vulgo *Tiolo* decimo ab urbe Patavina lapide noſtra ætate maximi Philoſophi Cæſaris Cremonini ruſticatione celebratum animi gratia me recepiſſem, ut Carolum Avantium Rhodiginum Philoſophum & Medicum rei herbariæ peritia clarum longa mihi neceſſitudine junctum inviſerem cum Alexandro Eſtio Patricio Patavino mihi ob ſummam integritatem probatiſſimo, qvi magnam inibi æſtatis partem agebant, ruſticos vidi julis flammulæ Jovis coctis citra noxam pro acetariis veſci: niſi qvod alvum citarent fortius. Qvod fortaſſis ob nimiam humiditatem, ut ſic dicam, alimentariam contigit, poſtqvam elixatione retuſa iis acrimonia; qvæ tanta ſtirpi qvarto gradu calidæ atqve ſiccæ, ut vel inde à recentioribus hoc nomen meruerit, herbariis cæteroqvin Clematis appellata.

XCVII. Na-

XCVII.

Naturæ in faba miraculum.

ANno cIↄ Iↄc XXXI. Aprilis die IX. certo V. C. Joannis Prevotii ab olitoribus e docti experimento accepi; fabam in folliculo paulatim ſiccatam ad umbram inverſo acumine ſcapum ſpectare, anno biſſextili; ſecus, ſuperna.

XCIIX.

Serpentibus alvi excrementum odore moſchi.

SErpentium qvorundam recrementa moſchi odorem fundere tradit celeberrimus noſtri ævi Profeſſor Panormitanus Petrus Caſtellus de Hyæna odorifera Cap. II. Rem planè deprehendi in monte Baldo feracis naturæ Viridario Anno cIↄ Iↄc XXXIIX. menſe Julio, in qvem ſumma oblectatione cum Joanne Veslingio Horti Medici Patavii præfecto conceſſeram. Immenſam ibi viperarum freqventiam notabili vidimus exemplo. Etenim viæ comitem ſe dederat Gaudentius Stodler Pharmacopœus & herbarius diligens, qvi laborioſo admodum itinere defeſ-

lefeſſus qvum ad crepidinem ſe nonnihil incli-
aſſet, en repente vipera collum ejus ambit: in-
veto frigore excitatus, ut juvenis erat alacris, an-
vem intrepidè arreptum in terram projiciens,
ihil prætérea noxæ percepit.

XCIX.

Roſæ rubentis odor qvibusdam infeſtus: etiam letalis ipſa.

Oanni Echtio moleſtum fuiſſe roſæ rubræ odo-
rem concitata ſternutatione memorat in vita e-
jus Melchior Adamus. Idem Joanni Prevotio
apite calido à rubris pallentibus freqventer ac-
idit: nec mihi rarius. Hannibali Saſſo roſæ o-
ore ſangvinem de naribus erupiſſe teſtis eſt Ale-
ander Taſſonus Meditationum Lib. I. Cap. XIV.
Iominem roſas olfacientem ſyncope correptum
adit Petrus Servius de Odoribus, itemq́ Domi-
icus Panarolus Pentecoſte II. Obſerv. XXXIIX.
Dictu mirum, idem roſa conſpecta de Veneto
vodam refert Amatus Luſitanus Cent. II. Cur.
XXVI. Nobilem etiam Romanum ſine peri-
ulo tertiana laborantem propinato ſyrupo roſa-
um ſolutivo extinctum narravit è ſuggeſtu Pata-
ii Horatius Augenius, referente Joanne Domi-
ico Sala Artis Medicæ Cap. XL. Qvod mulieri
iam in Patavia contigiſſe novi. Nec homini ad-
erſas roſæ dotes ignoravit Poëta Ibn Muham-
ed Buſtæus. Qvod multiſcius vir Jacobus Go-

lius ad Arab. Adag. Hemiſtich. XII. notavit. Adc
Marcellum Donatum Med. Hiſt. Lib. IV. Cap. I

C.

Mannæ pondus varium.

MAnna, qvæ in foliis arborum colligitur, Ve
netis *Manna di foglio*, uſu rara, prætiiq; ma
gnitudine ſolis matronis ditioribus ea in urbe re
cepta, tribus unciis præbetur. Patavii & aliis in lo
cis non proſtat; nec hodie Venetiis, qvandoqv
dem jucunditate, qvam efficacia præſtabilior. Vu
garis, qvæ in caudice reperitur, ad ſex uncias con
cedi poterit. Sereniſſ. Magni Ducis Hetruriæ FER
DINANDI II. Archiater Clariſſimus Joanne
Nardius eximiis ingenii conatibus nuper fat
ſubmotus Diſqviſitionis de Rore Cap. XXXI
utriusqve meminit. Nobis verò communem an
tiqvis minime peregrinam ex Athenæo Deipno
XI. Amyntæ veteris autoris fide planum fecit i
Exercitat. 9. Plinianis ad Solin. literatorũ princep
Claudius Salmaſius. Qvo etiam loco Attici lepo
ris apex Iſaacus Caſaubonus Animadverſ. Lib. XI
Cap. XIV. *ἀερόμελι Officinarum Mannam* inter
pretatur. Adeò veriſſimum illud Venuſi-
ni vatis: *Multa renaſcentur, quæ
jam cecidere.*

SYL

SYLLABUS

orum, qvi laudantur, expendun- duntur aut illuſtrantur.

A

ACtuarius 44. 48.120.143
Melchior Adamus. 177
ulus Ægineta 17.27. 44.48.57.101.149
tius 101.143.155
rtunius Affaytatus 139
ulus Aycartus 160
yſſes Aldrovandus 172
oſper Alpinus 48
anciſc. Alvorottus 135
drighettus de Aldrighettis 45.95.99.105.113. 121.155
natus ab Aldomari 149
zaravius 62
nyma apud Athenæum 178
gelet. ab Angelettis 52
tipater 57
Franciſcus Antonius 51
Petrus Aponenſis 18
Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente 7 38.54.84.153.172
Archigenes 143
Aretæus 48
Ariſtoteles 110.147.170
Athenæus 178
Carolus Avantius 175
Avicenna 67.128.143.148
Ludovicus Augenius MS. 91
Horatius Augenius 80. *MS.* 91.155
D. *Auguſtinus* 33.164.177
Cælius Aurelianus 149
Autor Chronici ſeptem ætatum MS. 150
Autoris Mantiſſa Anatomica 77
Analecta Caution. 162

Notæ in Scribonium Largum 170

B.

PAulus Bargellardus. 155
Joannes Baptiſta 105
Fabricius Bartoletus 27. 50.67.104.107.124.
Thomas Bartholinus 22. 53.57.73.74.85.100.122. 132.145.151.
Lucia Baſſanenſis 79
Gaſpar Bauhinus 70.141. 142
Joannes Bauhinus 76.142
Aloiſius Bellacatus MS. 90.108
Joannes Franciſcus Bellafinus 63
Joannes Bellonius 121
Mantua Benavidius 17. 46
Alexander Benedictus 138.142
Antonius Benivenius 90. 99.108
Carolus Benonius 8
Philippus Beroaldus 81
Steno Bilde 18
Anſelmus Boëtius à Boo 51.91.12
Paulus Borella 12
Valentinus Borgias 13
Hippolytus Boſcus 60.9 108.11
Leonardus Botallus
Franciſcus Bottana 9
Ant. Muſa Braſavolus
Daniel Bucretius 1
Marcellus Burdegallenſ
Joannes Burgoverus
Ibn Muhammed Buſtæ

C.

POmpejus Caimus 49.103.
Joannes Cajus
Camerina veſtalis 14
Thomas Campanella 3
Antonius Canalis
Hieronymus Capivacc 91.1
Petrus Capellus
Æneas Caprilius
Jacobus Caranta
Carbonchius de Carbonchiis

ngelus Carleſchus 47
Hieronymus Cardanus 60.64.81.113.148.161
acobus Caſottus 52
ulius Caſſerius 26.28
rancìſcus Caſtellus 102
etrus Caſtellus 176
etrus à Caſtro 6.22.92 105.109.120.122.129.131 144.147.164.169.171
acobus Cavacius 20
ſaacus Caſaubonus 178
eorgius Cedrenus 150
ornelius Celſus 3.17 expenditur 47. aſſeritur 48.101.120.159.160. è MSS. reſtitutus 160
ntonius Cermiſonus 62
HRISTIANUS III. Dan.R. 107
HRISTIANUS Anhaltinus Princeps 12
ullius Chryſogonus 82
M.T. Cicero 8
ul.Cæſar Claudinus 6.134
arolus Cluſius 126
uſtus Cnutius 174
oannes Baptiſta Codronchius 10
Joannes Colle 158
Realdus Columbus 45 57.73.99.104.108
FRANCISCUS CONTARENUS Venet. D. 105.
Nicolaus Contarenus. ib.
Joannes Coſtæus 48
Jacob. Crakerus 154
Cæſar Cremonius 110.134 175
Cæſar Crivellanus 64
Curtius Presbyter 134

D.

Aloiſius Delphinus. 79
A.Paul. Diaconus. 150
Caterva Diamantinus. 66
Jacob.Wolfgangus à Dietrichſtein 117
Dio 153
Dioſcorides 40.51.89.136
Rembertus Dodonæus 67 148
Marcellus Donatus 20 33.35.47.51.53.59.76.82.92.95.131.139.142.148.150 156.177.
Ludovicus Duretus 39 46.74.85.108

E.

Eccleſiaſtes 32
Joannes Echtius 177
Jacob. Elsnerus 15
Rufus Epheſius 99
Alexander Eſtius. 176
Excerpta Bibliothecæ Regiæ Pariſiis 160

F.

Joannes Faber 58
Gabriel Fallopius 115 137
Sanctes Faroſſo 49
Ludov. Federicus 130
FERDINANDUS II. Magnus Hetr. D. 178
Epiphanius Ferdinandus 89. 125
Joannes Fernelius 60. 75. 91. 97. 127. 128. 129. 132.
Frideric. Ferrarolus 108
FRIDERICUS Saxon. D. 108
Jacobus Feſchius 151
Nicol. Florentinus 33
Rodericus Fonſeca 91
Dionyſius Fontanonus 29
Lœlius à Fonte 121
Pet. Foreſtus. 38. 50.
SamuelFormius. 1[illegible]
Anton. Fracancian[illegible] MS. [illegible]
Joannes Fraie 7[illegible]
Joann. Freuen 4[illegible]
FRIDERICUS III. Da[illegible] Rex 1[illegible]
Franciſc. Frigimelica [illegible]
Gentilis Fulginas 1[illegible]
Henr. Furenius [illegible]
Thom. Furenius [illegible]

G.

Marc. Anton. Gabr[illegible] elius [illegible]
Petr. Gabrielius ibi[illegible]
Claud. Galenus 4. 5. 8. 21. 45. 46. 47. 48. 57. 66. 90. 100. 112. 119. 120. 121. 128. 129. 136. 143. 155. 161. explicatur [illegible]
Carolus Gall [illegible]
Jacobus Gallus [illegible]
Anton. Gambarus [illegible]
Petr. Gambarus ibi[illegible]
Angela Garoderina [illegible]
Petr. Gaſſendus [illegible]
Aul. Gellius [illegible]
Cornel. Gemma [illegible]
Gilb. Genebrardus 1[illegible]

etr. Gennarus 129
unradus Gesnerus 45
Matth. Golacevius 150
ac. Golius 177.
ERDINANDUS GONZAGA Dux Mantuæ 75. 107
ernardus Gordonius 28. 33. 57. 90
Matth. de Gradibus 76
cipio Granmontius 10
riffius 132
aul. Groe 133
USTAVUS Svec. Rex 173

H.

GVilielm. de Haert 156
Jo. Hartmannus 163
vil. Harveus. 73
oannes Hayn 91. 133
hriſtoph. Heulichius 113
erbuſtus 150
Herophilus 149
oann. Heurnius 44. 95. 146. 160
viliel. Fabritius Hildanus. 29. 57. 59. 81. 93. 99. 100. 132. 141. 142. 144. 147. 148. 155. 164. 167
Hippocrates 2. 56. 63. 94. 134. 138. 143. 157. declaratur. 8. 36. 48. 52. 112. excuſatus 160. examinatur 80. MS. varius 160
Philip. Hœchſtetterus 34. 136. 167
Jacob. Hollerius 26. 39. 85. 91. 121. 131. 132. 134. 142. 146. 147
Horatius 178
Joan. Hornungus 54. 92
Gregor. Horſtius 84. 99. 109. 142

I.

LUdov. Jacobeus 49
Jacob. Janus 22
Innominatus 2. 3. 4. 14. 21. 33
Balthaſar Jordanus 8. 140

K.

RObertus Keuchenius 157. ſq.
Frid. Kentmannus 107
Joannes Knips. 169
L. B. Kotz. 74

L.

TAncreus Lælius 120
Joann. Langius 108

Laſyrta Laſyonius 83
Guilielmus Laurembergius 126
Carolus Lazarus 156
Ludov. Lemoſius 119. 120. 128. 142. 143
Dominicus Leonus 150
Joannes Liberius 148
Fortunius Licetus 81
LEOPOLDUS Archid. Auſtriacus 152
Aloiſius Lollinus. 82
Jodocus Lommius 58
Alphonſus Lopez 73. 139
Joannes Lucius 52
Ovenus Lunge 56
Amatus Luſitanus 50. 99. 147. 177
Zacutus Luſitanus 6. 19. 34. 57. 65. 91. 111. 137. 138. 141. 145. 146. 164. 167.

M.

Franciſcus Macopius 51. 168
Carol. Macopius 169
Cæſar Magatus 18
Albertus Magnus 172
Mugo Carthaginenſis apud Athenæum 83
Vict. Felix Malvezzi. 2[illegible]
Marcellus Empiricus. 9[illegible]
Petrus de Marchettis 10. 38. 107. 111. 116. 123. 140. 164
Franc. Martinengus 15[illegible]
Valer. Martinius 1[illegible]
Marſilius Domeſticus 11[illegible]
Alexander Maſſaria 7. 33. 82. 91.
Petrus Andreas Matthiolus 13[illegible]
Joann. Matthæi 91. 97. 15[illegible]
Salomon Medoro 32
Eſaias Meiſchnerus 14[illegible]
Ludovicus Mercatus 6. 20. 143
Hieronymus Mercurialis 34. 61. 80. 99. 22. 133
Joann. Baptiſta Minaldous 125
Joann. Thom. Minadous 6. 76. 84. 114
M S. 9[illegible]
Petrus Mocenicus 3[illegible]
Henricus à Moinichen 7[illegible]
Anton. Molinettus 20. 38. 46
Nicol. Monardes 126
Barthol. Montagnanus. 20

Ange-

ngelus Montagnana 108
hilipp. Montaltus MS. 52. 134
oan. Baptiſta Montanus 6. 101. 106. 155
laſius Müllerus 14
loiſius Mundella 62 132. 133

N.

NAldus 45
Auguſtin. Nani 121
oan. Nardius 178
abr. Naudeus 113
erus Florentinus 52
ICOLAUS III. Pontifex 150

O.

CArolus Offredus 109 141. 154. 172. 173
ribaſius 136

P.

PEtr. Pachequus 132
Dominicus Panarolus 57 59. 101. 142. 148. 177
onifacius Papafaua 52
obert. Papafaua ibid.
Æmilia Papafaua ib.
mbroſ. Paræus 19. 28. 53 90. 164. 166. 173
Camillus Pareſchi 167
Jac. de Partibus 148
Mich. Joann. Paſchalius 149
Paul. Andr. Paulinus 76
Nicol. Fabric. Peireſchius 88
Petr. Paul. Pereda 149
Henric. Petræus 19
Joan. Georg. Pezoldus 151
Auguſtin. Piazzolus 94
Laur. Pignorius 50. 152
Leonard. Piſaurus 159
Carol. Piſo. 8. 40. 57. 108
Joann. Piſtorius 19
Joann. Plachetius 109
Felix Platerus 75. 82, 109 129. 136. 140. 141. 153
Thom. Platerus 109
Franciſcus Plazzonus 31 44. 59. 65. 84. 122
C. Plinius major 11. 53. 82 88. 136. 161
Plinius Valerian. emendatus 113
Plutarchus 134
Franciſc. Pona 82
Jovianus Pontanus ib.
Clemens Perettus 115

Petr. Poterius 91
Praxagoras 99
Joannes Prevotius 5.9.
11.12.13.17.21.22.25.26.27
28.31.33.35.47.49.57.58
62.64.68.70.74.75.76.78
83.86.88.93.96.97.100.103
110.115.123.125.127.128
129.146.153.157.158.161
163.166.173.176.177
Priamus 82
Aloiſius Priolus 108
Auguſtinus Priolus 49

Q.

Joſephus Querceta-nus 81

R.

Raſes. 64
Antonius Remondi-nus. 56
Joannes Renodæus. 153
Daniel Rindfleiſch. 162
Joannes Riolanus pater. 91
Jo. Riolanus filius. 45.48.
66.74.75.139.
Lazarus Riverius. 91.114.
131. ſeq. 166.168.
Aloiſius Roatus. 127
Marcus de la Roche. 17
Wernerus Rolfinkius. 51
17
Gvilielmus Rondeletius
28, 38. 132
Balduin Ronſſeus. 133.146
Abel Roſcius. 9
Franciſcus Ronſetus. 11
Henricus Rufus. 9
Martinus Rulandus pa-ter. 6

S.

Hieronymus Sabionus
67.146
Petrus Sagredus. 13
Joannes Domincus Sala.
10.11.12.60.71.75.76.80.
97.110.123.124.158.177.
Franciſcus Sala. 12
Antonius Sala. 157
Petrus Salius. 6.10.38.40.
66.90.94.125.
Claudius Salmaſius. 178
Franciſca Salmaza. 149
Bartholomæus Salodien-ſis. 51
Sanctorius de Sanctoriis.
121.
Nicol. Sangvinacius. 76

Sapor-

aporta. 165
aulus Sanſonus. 110
Hannibal Saſſus. 177
Hercules Saxonia. 28. 67. 89. 91. 119. 133. *ſeq.* 142. 144. 146.
Joannes Schenckius. 8. 34. 35. *ſeq.* 50. *ſeq.* 53. 57. 59. 99. 100. 105. 118. 139. 140. 142. 145. 146. 148. 150. 173.
Paul. Marqvardus Schlegelius. 51. 110. 166.
Joannes Andreas Schogardus. 126
Melchior Sebitzius. 147
L. Annæus Seneca Philoſopus. 29. 160.
Daniel Sennertus. 7. 42. 53. 91. 99. 134. 145. 148.
Polydorus Seraphinus. 64. 81
Q. Serenus Samonicus. 9
Paulus Servita 102
Petrus Servius. 177
Simeon Sethus. 44
Marcus Aurelius Severinus. 61
Benedictus Silvaticus. 7. 8. 10. 31. 34. 36. 37. 40. 42. 61. 67. 75. 81. 84. *ſeq.* 89. 92 96. 97. 98. 99. 109 121. 128. 132. 135. 138. 148. 159.
L. B. à Sinzendorff. 95
Olaus Slangedorp. 58
Guilielmus Sohierus. 53
Nicolaus Sohierus. 54
Reinerus Solenander. 57. 108. 145.
Jo. Baptiſta Soncinus. 1. 40. 109. 145.
Fauſtus Soncinus. 1
Hippolitus Soncinus. 1
Adrianus Spigelius. 35. 36. 37. 42. 45. 55. 65. 72. 73. 93. 94. 112. 131. 153. 159. 162. 168. 173.
Ælius Spartianus. 51
Joannes Speronius. 7
Gaudentius Stodler. 176
Octavianus Strambiat. 77
Suidas. 9
Bernardus Superantius. 2

T.

V*Aleſcus de Taranta.* 148

Alexan-

Alexander Taſſonus. 113. 177.
Nicolaus Treviſanus. 10. 68. 125.
Theophilus. 119
Theſſalus. 157
Jacobus Thuanus. 50
Hieronymus Todeſchinus. 58
Petrus Toletus. 155
Antonius Toſius. 136
Alexander Trallianus. 9. 28. 35. 57
Victor Trincavellius. 57. 91. 150.
Nicolaus Tulpius. 76. 140. 142.
Georgius à Turre. 147

V.

Isaacus Vuneke. 161
Valerius patricius Venetus. 168
Franciſcus Valleriola. 135.
Franciſcus Valleſius. 5. 80.
Joannes Valverda. 53
P. Vegetius Renatus. 15
Veſpaſianus Ventura. 123
Andreas Veronenſis. 149
Joannes Veslingius. 43. 47. 105. 110. 137. 140. 154. 167. 174. 176.
Julius Viator apud Plinium. 8.
Joannes Wierus. 15.
Alexander Vigontia. 26. 73
Ludovicus Vives. 16.
Uladislaus Epiſcopus Polonus. 9
Olaus Vormius. 12
URBANUS IIX. Pontif. 17.
Henricus ab Urſo. 3.

X.

Gvilielmus Xylander. 13.

Z.

Aſcanius Zabarella. 1
Jacobus Zabarella. 109. 12
Veſtalis Zabarella. 8
Joannes Baptiſta Zapata 16
Gvilielmus Zarſchi. 5
Theodorus Zwingerus 76. 128.

V

INDEX

INDEX
Rerum Memorabilium.

A.

Abdominis Tumor 104. 105
Calculi ibid.
Ænei vaſis noxa 174
Alvus adſtricta 25
Alvi ſuppreſſio diuturna ſine offenſa 95.
letalis ibid.
fluor mucoſus 105
feces lacteæ 128. admodum pituitoſæ 159
verminoſæ 131
Ἀμαύρωσις 30
Americanæ menſibus deſtitutæ pariunt 148
Amuleta ridicula 9
50. ſeq.
Anaſarca ſine labe jecoris 109. ſeq.
à deſtillatione 117
cum Aſcite 116
lotio ſoluta 113
Aneuryſma pectoris à vomitu 72
Annulus hæmorrhoides retinens 102
Antimonii noxa 72
Aponenſis aqvæ vis 25
173
Aponenſis aqva ſolvit alvum 158
Apoplexia ſangvinea vacuis cerebri ventriculis 38
ex vapore breviſſima ibid.
Aqvæ B. Virginis montis Ortoni vis 123
Aqvæ thermalis potu ſudor ſiſtitur 159
Aranei impunè vorati ibid.
Ardens febris 3
Arena cum ſangvine miſſa 111
Arteriæ pone aures diſciſſæ ſine ſterilitate. 47
Arteriæ venoſæ oſſicula 154

Aortæ

aortæ principiũ cartilagineum ibid.
ArthritisHippocrati nota 160.ſeq.
fœminæ 160
curata 161
Aſcarides in bilioſo. 156
Aſcites vino abſinthide curatus 115
paracenteſi curatus 116
item vulnere abdomini inflicto 118
Aſcite laborans medicamentis vehementioribus purgata maſculum peperit 116
Aſparagus ſilveſtris 114
Aſthma. Vid. Suſpirium
Atramentum ſcriptorium ſine detrimento hauſtum 79
Aurium vermes 155

B.

Barbata mulier. v. M.
Bilis vermes fovet 156
Brachii ulcerati pus excretum per alvum 98

C.

Calculi materia. 120
remedium ſingulare 107
Calculus tuſſi rejectus. 57
corporis glanduloſi 124
Calculus inteſtinorum Vid. Int.
Capitis dolor perforatione cranii ſublatus 39
ſacharo roſaceo ſedatus 40
etiam phœnigmis, & cauteriis ib.
itemq́ aperta ſaphena ib.
tænia excreta ceſſat 41
Hydrargyri inunctione curatus 167
Capitis dolor à carie. 41
à lue Venerea aqvæ ſulfureæ 42
contuſio ſine ferramentis curata 17
Verminatio 155

Car-

ardialgia 86. à flatu 88. urinis terminata ib.
ex potu frigidæ 89
ab hirudinum morſu & à ſerpente ibid.
à vermibus ib.
aricæ verminant 155
aſei averſatio 83
aſſiæ vis 11
atalepſis 22
auterium ex lino Ægyptium 137
autio 36.ſeq.
ephalæa trepano curata 39
rebri ventriculi ſangvine repleti 38
vulnus non ſemper lethale 19
aqvæ Chelidonii vis 134
holera periodica 88
bo aſſumto dolor 103
nguli mercurialis abuſus 167
ematis 177
itoris 139
yſteris ex vino & aromatibus noxa 26
Clyſter frigidus lotium cum calculis provocans 122
Coccygis oſſis luxatio reſtituta 162
Cœcitas ab aëris colliſu 173
Coli inflammatio letalis à coſta incurva. 94
Colicus dolor 68. 93
frigidæ affuſione ſedatus 121
Colis caries ſimplex. 137
Coma ſomnolentum cervice inuſta curatum 21
Conceptus ſine menſium fluxu, cum partu ſine purgamẽtis. 147
Concuſſio corporis diarrhœa ſedatur 30
Convulſio à fero 31
ungvibus reſectis 31
nervo manus itemq; digiti puncto. ib. 32
à ſangvine miſſo 40
Convulſivi motus 11
Cor nõ primo affectum in febre 5

Cor-

Cordis vulnus 74 durante aliqvamdiu vita ibid.
Cor cervi ſaucium ſalva vita 73
Cordis & Arteriarum omniũ palpitatio 74
Cordis palpitatio ſoluta urinis & herpete 75
folliculus 109
pingvedo 110
Coxæ dolor ſublatus. 162
Cranii vulnus ſupra ſpem ſanatum 18.
caries 20. 41
Crure amputato febris ceſſat 173
Cuenrbitulæ cum ſacrificatione prudenter admovendæ 157

D.

DEcoctum ligni gvajaci pulmones ſiccat 66
Decocti columbi cum Saſſafras noxa 95
Deglutitio difficilis à caruncula gulæ 77
abolita 78
Delirium à clyſtere e vino & aromatibu 2
Dens molaris erum pens ſerius 5
Dentes ſapientiæ ib
Dentatus infans editu 5
Dentes renati extrem ætate 6
In alveo dentis ſtili fer rei portio 5
Deſtillationis remedi um 8
Diacrydium 9
Diaphoretica. Vid. S minus apta in Pleuri tide, qvàm Diure tica 6
Diaria febris 1. Vid Ephem
Diarrhœa ab urinæ ſup preſſione 9
ſangvinea critica. ib
it. bilioſa ibid
ex eſu oryzæ 17
calculoſa 9
Diuretica in Pleuritid 6

Dor

Dorſi ſteatoma 15
Dyſenteria à potu lixiviæ perniciosa 96
diuturna cum febre ac paralyſi 97
cum febre ſine dolore ibid.
Dyſpnœa Vid. R.

E.

Ephemera periodica terribilis 1.
ejus cauſa. ibid.
Ephemeræ præſagium ſingulare. 2
Ephemera à ſomno meridiano 2
in Ardentem verſa 3
Epilepſia à ſero nitroſo 14
à carnoſo cerebri tuberculo 33
ex hypochondrii obſtructione. 34
à dextro pollice ibid.
genu ibid.
vermibus. 35
prægnatione ibid.
è meſenterio 36
ab herpete ibid.
ab anno XXV. ſanata ibid.
ſangvinis miſſione curata 37
ubi cautio ibid.
Hæmorrhoidum fluxu repreſſa ibid.
perforatione cranii ſanata ibid.
Eqvæ diarrhœa calculoſa. 92
Eſſere ſine febre 12
Exanthemata non maligna. 13
Excretiones ſymptomaticæ interdum ſalutares 156
Exercitatio gymnaſtica noxia. 56
Extenuatio ſubita mali moris indicium 6

F.

FAbæ miraculum naturale 176
Faucium ulcera Venerea 163
Febris morbus vulgaris

FebrisEphemera.vid.E.
Ardens à gaudio. 3
Maligna ſine Criſi ſoluta, itemqve ſine coctione 11
Petechialis deſinens ſine coctionis notis ibid.
Febris diuturnæ cauſæ 4
Feces per muliebria egeſtæ 99
ex ingvine redditæ. 100
nigræ 104. Vid. A.
Ferina caro vigilias inducit 21
Fervor humoris limpidi 16
Flammula Jovis in acetaria colonis. 175
Fluor albus 99
Fœmina cum menſibus arthritide cruciata 160
Fœtus cum tophis Venereis editus & cum variolis 164
Frigidæ potus. 89
Frontis aqvoſum tuberculum 14
Furor 2
G.
GAllinæ capiti ſcalpellum ſine noxa impactum 1
Gangræna letalis à veſicantibus 16
Gangræna menſibus in crus delatis 14
Gaudii vis. 3
Gemelli ſpecie humana editi à vacca 151
Glanduloſi corporis calculus 124
Gulæ reſolutio vino curata 6
caruncula 77
Gummata duræ membranæ. 20
H.
Habitus corporis verminoſus. 154
Hectica peculiaris 11
hydrotico ſublata ibid.
Hæmorrhoidum efficacia. 61
fluxus

fluxus ingens 100
excreſcentium curatio facilis ac tuta 101
ellebori nigri radix pro ſetaceo. 36
emicrania ex coli ſcirrho 93
emicraniæ remedium 42
μιτ̓αλγία. 30
ieræ ſimplicis ſpecies 25
vis. 84
irudines auribus admotæ tumorem excitant 47
irudini ſal adverſum 89
umor uteri albus 25
umoris limpidi fervor 16
ydrargyri uſus in corpore humano. 166
vis ad Ileon. 94
inunctio periculoſa 167
vis ignota priſcis 136.
Hydrargyrum mictione redditum 135
Moluccæ incolis voratur] ibid.
Emplaſtro admoto inhærens. 168
Hydrocele 13
cauterio ex ligno curata 137
Hydrophobia mente ſana. 30
Hydrops jecore ſano 109
ſpurius à ventriculo 109. 112
à corde 110
à ſero. 10
ſuppreſſis hæmorrhoidibus 111
particularis à coli abſceſſu 112
Halitus hydropici ſulfureus 113
Hydropis humor niger 112
præſens auxiliũ 114
Hydrops vini meraci potu & abdominis inconſulta perforatione curatus 115

Repentinus hydropum ſtatus. 125
Hypochondrii pulſatio 89
Hypochondriacus cum ſcirrho coli 93
Hypochondriorum obſtructio inveterata 105
Hypochondrii dextri tumor curatus. 106

I.

JAſpis ruber ad ſangvinis fluxum. 58
Icterus. 103. 109
à dolore colico. 119
ab eſu herbarum. ibid.
Icterici jecur ſubviride. ibid.
Jecur non ſemper luis Venereæ ſedes 162
Igiada. Vid. Lap. Nephr.
Ignis dentibus è ligno excuſſus. 53
Iliacus dolor cum inflammatione 94
hydrargyro ſedatus ibid.
Iliaci rami vermes. 153
Imaginationis efficacia 9. 29
Impetigo faciei 47
Incubus per vigilias invadens. 33
Indorum infantes lue venereâ inqvinati 164
Inedia plurium dierum. 8[illegible]
decem dierum ſine ſenſu ac motu [illegible]
Infans lue Venerea infectus 16[illegible]
Infantes febre Qvartana affecti.
ex Ingvine feces 10[illegible]
Inſcriptio Jaſpidis 5[illegible]
Intermittentes febres malignæ.
Inteſt

nteſtinorum conglutinatio. 93. 95
ariditas 95
lapis homini cum veterino communis. 90
membranæ ſine noxa ejectæ. 93
nteſtini coli ſcirrhus 93
inflammatio. 111
Abſceſſus. 112
cœci & Ilei ſcirrhus. 93
nteſtini prolapſus in ingven 100
procidentia. 165
ſchuria 129
impropria. 125
uſcula cichoracea in melancholia hypochondriaca utilia. 28

L.

LAc è venis miſſum 22
è papillis puellæ mulctum 72
Lactis generatio 72
retentio. 166
Lapidis nephritici vis in ſuppreſſione urinæ. 125. balneo deperdita. ibid.
Lateris vena in Pleuritide ſecta 65
Leucophlegmatia inunctione mercuriali per urinam ſoluta 113
Lippitudo à Perſicis. 43
Liqvor igneus. 16
Lixiviæ potus exitialis 96
Lues Venerea contagioſa 163. 165
ejus ſedes. 162.
cura. 165
Lumbricus latus, 35

M.

MAculæ lividæ 6

non ſemper malis moris. 13
nigræ. 8
albæ in Qvartana. ibid.
rubræ. 13
Malacia hæmorrhoidum fluxu ſanata 83
ejus materia non ſemper impacta nervis. 83
Maligna febris ſine criſi & coctione ſoluta. 11
Malleolorum ſcarificatio periculoſa 118
Mannæ pondus varium. 178
Manna di foglio. ibid.
Marcor à ruminatione. 83
Maxillæ robur 54
luxatio reſtituta. ibid.
Medicamentum leniens in habitum corporis translatum 157
Melancholia trepano ſublata 2
Melancholiæ hypochódriacæ facile remedium ibid
Meliceridis initium ſero 1
Meliceris viridis 15
Menſium ſuppreſſi perpetua 14
Menſtruus vetulæ fluo ibid
Menſes per umbilicum manantes 14
per crus purgati ib
è dentis alveo ſtillantes 14
per gingivas fluun ibid
Mentagra pertinax 15
Mercurius ſublimatu in mero detectus 1
in ſuam formam re ducitur ibid
urinam ſupprimit. 13
Mercurii dulcis ad luem Veneream uſus 46
Mercurialia medicamẽta cautè ſenibus præbentur. ibid
Me

Mercurialis unctio Arabibus proſpera 167
Metallorum liqvor fervidus 16. ac terra naſcentium eadem principia. ibid.
Metu vox amiſſa 69
Mictio cruenta in vulnere thoracis 65
purulenta iu ſuppuratione 66
lumbrici 133
pilorū periodica 142
Mola viduæ 146
puellæ ibid.
aqvoſa 148
Mons Baldus 176
Morbi lex 10
Mors metu illata 29
Mucus limpidus 15
Muci albi fervor 16
Mucocarneus tumor. 140
Mulier barbata 138

N.

NArium hæmorrhagia pertinax à pugno 23
ad vituli boatum & carnis vitulinæ conſpectum 49
roſæ odore 177
enormis. 49
ejus præſens remedium. 50
menſium fluxu receſſit. 23
Naturæ providentia 53
Nephriticus dolor epithemate frigido ſedatus. 121
Nervo manus leviter puncto convulſio exitioſa. 32
Nicotianæ noxa 66
Nicotiana ſcorpionis antidotum. 172

O.

OCcipitis inuſtio 21
Octona febris 10
Vulnus ad oculum letale 43
Oculi humor aqveus renatus 44
humor vitreus putreſcit. 45
procidentia curata. ib.
Oculus à vermibus eroſus 154

Oeſophagus humanus carnoſus 83
Ophthalmiæ anceps auxilium. 43
Opiſthotonos 22. ſeq.
Orthopnœa ex ſero venarum 68
curata ſcamoneatis 69
Ex oryzæ eſu diarrhœa. 174
Os ethmoides tuſſi rejectum. 49
Os humeri ab aëris colliſu fractum; ab eodem cœcitas & ſurditas 173
Oſſa à tartaro corroſa 172
Ovum à muliere editum. 151

P.

Panatella. 2
Pancreas ſcirrhoſum 104
ejus tumor ibid.
Panis bis cocti dos 87
Paralyſis à cranii carie 20
à ſiniſtro leucophlegmatiæ remedio 114.
à viperæ morſu 168
Parotides binæ ſalutar. eventu 46
Partium principatus 11[illegible]
Partus falſus 14[illegible]
multiplex 14[illegible]
monſtroſus. 15[illegible]
Pedes manuum vice functi ibid.
Pericardium à vulnere ſanatum. [illegible]
Perſica lippitudinem producunt 4[illegible]
Peſtis Patavina præſente autore 5[illegible]
Petechialis febris ſine coctione ſolo ſudore finita. [illegible]
Petum vid. N.
Phrenitis à cerebri inflammatione 2[illegible]
cerebro illæſo ibid.
inflamata pia membrana ibid. à vini potu mortifera. ibid.
Phrenitidis ſolutio. ib.
Phthiſis citra ſangvinis aut puris ſputum 60
hæreditaria. ibid.
à ſolo

à ſolo muco ibid.
ituita nitroſa 17
puri ſimillima. 159
leuritis vera in dorſo 61
cum verme per vomitum rejecta 62
à Peripneumonia 61
lotio ſoluta. 61. 63
Olitori ſudore ſublata. 63
ſputo, alvi dejectione finita ibid
vini potu ſedata ib.
aperta lateris vena curata 65
lica Polonica 42
odagræ materia 97
odagra Plinio ignota 160
ine potu degentes 82
ræputii cancer. 137
o. Prevotius in Gymnaſium Bononienſe invitatus 26
ruritus cauſa 14
udendi muliebris tuber ingens. 140
uella barbata 138
Pugiunculi fruſtulum in cerebro relictum 19
tuberculum externis remediis curatum ibid.
Pulmonis inflammatio letalis 56
ſiccitas 66
calculi 57
vermes 62
hydrops 66
Ulcera ſanari 59
Vulnus perſanatū 58
Pulmo ſiniſter pueris, dextro integro & vice verſa 59
læſus ante pleuram in pleuritide 61
Pulſus privatio 75
in paralyſi occultus ibid.
carpo nullus vel alterutro 76
media ſyſtole retractus: aliqvot intervallis diu intermittens 77
Puris per alvum excretio 98

Puſtulæ nigræ in Pleuritide 64
A pyro cocto devorato mors 78
crudo deglutito ſuffocatio 79

Q.

QVartana febris pituitoſa. 6
annua certæ familiæ peculiaris 7
ſcabie ſoluta ib.
brevis ibid.
diuturna. ibid.
ſexies recurrens 8
maculis nigris terminata ib.
imaginationi cedens 9
Qvotidiana intermittens qvatuor annorum 4

R.

REnis colliqvati calculus 120
Renum pili 141
Reſpiratio difficilis, pulmonibus coſtis adhærentibus 67
ab omento pingviori ibid
à Meſenterii glandula 6[illegible]
compreſſo ſepto
transverſo ibid
Rhabarbari ad obſtructiones vis mira 10[illegible]
Roſæ odor qvibusdam infeſtus 17[illegible]
Ruminationis humanæ cauſa 8[illegible]
Ruſci efficacia in hydrope 114

S.

SAbbathi die invadens febris [illegible]
Sacchari roſacei vis ad capitis dolorem ac deſtillationem 4[illegible]
Sal coctione æruginei elicit 174
Sangvinis fons 11[illegible]
Sangvis albus & glutinoſus 2[illegible]
lacteus 12[illegible]
merè pituitoſus 12[illegible]
158
nigricans 129
nigerrimus 157

appri-

apprimè ſeroſus. ib.
Sangvinis frigidi ſtilla 6
biliosi ſerum 16
Sangvinis puriſq; ſputum ſine tuſſi effuſum 71
Sangvinis ſputum innoxium 70. anniverſarium ſine febre copioſum 71. à ſanato pedis ulcere 72
Sangvine congelato ſeplaſiarius perit 136
Sangvinis ab hirudinibus admotis fluor repreſſus 158
Sangvinem ſiſtens remedium 158
Scabies 83. ejus remedium 167
Scorpionis partus 170
vis venefica etiam in Italia ibid. poſt annum recrudeſcit 171
antidotum 170
eſus ſine offenſa 172
Scroti tumor & gangræna letalis 129
Scytharum ſterilitas 48
Septena febris 9
Sermo deperditus 69
Serpentibus alvi recrementum odore moſchi 176
Seri fervor & acrimonia 16
Seri vacuatio copioſa non ſemper exitialis 118
Seri lactis depurati efficacia 3
Sexus immutatio 138
Singultus difficilis curatus 84. continuus 85
Somnus calorem excitat & febrem 2
Adrianus Spigelius in Moravia Medicus 112
Steatomatis initium 15
materia 15
Steatoma colli mortiferum 55
dorſi ingens 15
uteri 143
Sterilitatis cauſa 47
Sterni perforatio 73

Stili

tili fruſtulum in cerebro relictum 53
Succi alentes corpus humanum 16
Sudor croceus 119
periodicus 159
Sudatorii medicamenti abuſus 8.31
Suffuſionis locus & materia 44
Sulfuris efficacia 56
odor in corpore humano 113
Superfœtatio familiaris 146
Suppuratio per alvum vacuata 98
Suppurati mictio purulenta 66
Surditas ab aëris colliſu curata 173
Suſpirium à pulmonum calculo 57. ſiccitate 66. pulmonibus in-flatis 67
Syncope à roſæ odore 177
Syrupo roſarum ſolutivo vir extinctus ib.

T.

Tabis periculum hæmorrhoidum fluxu declinatur 6
Tænia excuſſa capitis dolor ceſſat 41
Tertiana febris breviſſima 4
ſexies repetens
ſpuria lotio terminata. ibid. intermittens maligna. ibid
Teſtis pili 14
Teſticuli tumor aqvoſus 14
Thoracis vulnus grave ſanatum 6
Timiditatis efficacia
Tiolo 17
Tremor 21
Tuberculum frontis aqvoſum 14
Tumor corporis ſubitus 47
Tuſſis ab animalculis in arteria pulmonum 6

V.

Vacca gemellos humanos edit 15

ariolæ ſine febre 12
Criticæ ib.
Benignæ 13
Verminoſæ 154
fœtus in utero 164
aſis brevis obſtructio 126
enæ lacteæ 72
ena lateris aperta 65
enæ ſubpoplitææ inciſio laudata dolente coxa 162
enæ arterioſæ calculus 110
enarum tumor 124
vermes 153
eneris die febris impetus 9
entriculi ſenſus 174
dolor à cibo 103
entriculi abdominisq; inflatio ſubita, 79
entriculi ab uvis eroſio 80
Steatoma 86
Ulcus 110
entris adſtrictio pertinax 25
durities 104
dolor frigidis ſedatus 121
Morbi verbis fugati 9
Vermis vomitu rejectus 62
cum bilioſis excretus 155
monſtroſus morbi & mortis cauſa 156
Vermes in habitu corporis 154
iis remedium 155
in venis 153
puſtularum 154
Verticis dolor & frigus 24
Vertigo 85
Veſicantium vis 25
noxa 40
Veſicæ callus 123
orificium compreſſum ibid.
ulcus ſanatum 123
ruptura ib.
Veſicæ felleæ calculi. 107
eorum remedium. ib.
Veſica vellis oſſea. 109
Joannes Veslingius anatomen Venetiis celebrat

celebrat 19
Cayri medicinam facit ibid.
Veſtalis immite fatum 22
Veterini calculus 90
Vigiliæ ab eſu ferinæ 21
Vinaceorũ facultas 69
Vini uſus in morbis acutis 64
potus in Pleuritide 63
in ſuppuratione & febre maligna 64
Viperæ morſus letalis 168
ejus remedium 170
Vituli boatus & vitulinæ carnis conſpectus ſangvinẽ irritans 49
Vitulus aqvaticus Gesneri 45
Ulcus pedis imtempeſtive curatum 72
tibiæ pariter 86
Umbilici ulcus 98
lapillus 104
Vocis abſciſſio ex vinaceis & à metu 69
Volvulus 94. Vid. Il.
Vomitus eſſentialis copioſus 85
à Steatomate ventriculi perpetuus 86
ſangvinis ſalubris ibid.
cruentus cum dejectione bilis atræ ibid.
verminoſus 62.89
ſangvinis miſſione curatus 87
tùm pane bis cocto ibid.
Vomitorii ex antimonio vis 72
Urethræ caruncula 96
Urina nigra & copioſa non ſemper mala 126
in bilioſam converſa 127
lactea 28
mucoſa 129
purulenta 131
viridis 119
per alvum emiſſa 98

fri-

frigidæ beneficio prolecta 121
inæ vacuatio Critica. 5
retentio diuturna 124
ſine dolore 125
ab urethræ caruncula 96
à veſicæ callo 123
compreſſo veſicæ orificio 124
vermiculi 131. etiam in matula geniti ibid.
Uteri ſuffocatio 22 ſeq.
inſignis 24
Steatoma 143
Abſceſſus per alvum purgatus 98
Cancer 143
Hydrops 148
Veſicæ ibid.
Uvæ bilem generant 80
Vulneris ſangvinem ſiſtens 50

OBSERVATIONES
MEDICÆ
DE
AFFECTIBUS
OMISSIS.

AUTHORE
ARNOLDO BOOTIO,
Medicinæ Doctore,

Antehac
Proregis, Ordinum, atqve Exercituum Hiberniæ
ARCHIATRO; Jam verò *Lutetiæ Pa-
riſiorum* Medico Cla-
riſſimo.

DE

ABSCESSU HYPOCRANIO.

CAP. I.

IN Vacuo illo ſpatio, qvod inter Cranium ac Duram Cerebri Meningem intercedit, inflammatur aliqvando ſangvis, ſuppuratusq; in Abſceſſum convertitur, cujus Abſceſſus duo animadverti genera, ut ſedibus, ita ſubjecto, ſeu materia, & cauſis multum inter ſe differentia. Prior iſtarum ſuppurationum fit in canalibus ſeu ſulcis Duræ Membranæ, tum anteriori ſeu ſuperiori, qvi ipſum cerebri corpus, amplo altoq; hiatu à ſeſe dehiſcens, ſub ductu Suturæ Sagittalis, notabili interſtitio adusqve calloſum corpus in duas partes ſeparat; tum poſteriori, qvo in Occipitis regione Cerebrum à Cerebello diſterminatur. In horum Ductuum ſeu Canalium alterutro, interdum verò utroqve ſimul, reſtagnans Sangvis, ſi plus juſto caleſcat atqve inflammetur, tandem in pus abit, atqve Abſceſſum conſtituit. Inflammationis iſtius occaſionem ibi, uti in aliis corporis partibus, variæ cauſæ præbere poſſunt: ſed qvum nobis propoſitum non ſit ſpeculationibus indulgere, nec qvid

fieri qveat exqvirere,ſed qvæ facta ſcimus fidelite
repræſentare (id qvod de omnibus Affectibus ho
tractatu explicandis ſemel monitos volumus Le
ctores) reliqvis omiſſis, de iis loqvamur, qvas i
pſi obſervavimus, ubi iſte morbus ſe nobis obtu
lit. Fit igitur hæc inflammatio; qvando ſangvi
iſte multa ſalſæ Pituitæ admiſtione infectus, a
plus qvam par eſt calefactus, amittit eodem tem
pore beneficium Ventilationis per campages Su
turarum, aliosq; Cranii & circumjectorum corpo
rum meatus iſti officio deſtinatos, per vehemen
tem ſubiti frigoris incurſationẽ denſatos obſtru
ctosq;. Largiori autem talis Pituitæ in iſtam pa
tem affluxui atqve acervationi obnoxii ſunt, qv
per aliqvot annos experti periodicam Coryzam
ſeu Catharrale per nares profluvium,poſtea ſoler
ni hoc evacuationis genere privati ſunt, eoq; di
caruerunt: unde fit ut ſeroſi ac pituitoſi humore
ſtatis temporibus pro ſolito in Caput delati, ne
conſveto olim itinere foras protruſi,alias ſibi vi
moliantur, ac poſtremo in prædictos Duræ M
ningis canales regurgitantes, atqve permixti ſa
gvini, qvem vel invenerunt ibi, vel ſecum det
lerunt, effervescere eum faciant, ac majori qva
antea ventilatione indigere: ut mirum non ſit,
defraudatus eadem tempeſtate,ob Capitis Perfr
ctionem,Tranſpirationis beneficio,exæſtuet pen
tus ac inflammetur; & inflammationem, ut fie
ſolet, ſuppuratio ſubſeqvatur. Fit autem fere
ſta inflammatio ac ſuppuratio non ſimul ac un

ve

verſim, ſed ſenſim ac per partes, unde aliqvanto ægrius initio cognoſcitur.

Cerebri functiones, ac Mentis ſenſuumqve Actiones, hoc morbo neqvaqvam vitiantur aut interpellantur. Somnus duntaxat corrumpitur, ac perpetuæ ferè vigiliæ infeſtant, ob doloris aſſiduitatem, qvi non qvidem dirus immanisq́ꝫ, admodum tamen moleſtus & cruciabilis, ac ſemper ferè ſui ſimilis, noctu atqve interdiu pari fermè tenore Ægrum divexat: unde tandem febricula qvoqve, qvæ primis diebus nulla accerſitur, appetitusq́ꝫ proſternitur. Capitis à principio magna adeſt gravitas, acſi grandi aliqvo pondere premeretur, & calor major qvam reliqvo corpore; qvibus omnibus ſignis peritus ac ſagax Medicus haud difficilem hujus mali conjecturam capere poteſt, idq́ꝫ à reliqvis Capitis affectibus ac doloribus diſcriminare. Omnem verò illi dubitationem eripiet præcipuum hoc ac pathognomonicum ſignum, qvod uti in Empyemate pro decubitus ratione pus modo ab interſepiente pectoris membrana ſeu mediaſtino ad coſtas, modo ab his ad illam provolvitur; ita hic qvoqve Materia vitioſa pro vario capitis ſitu huc atqve illuc impellitur, vel à fronte ad occiput, aut contra, ſi in canali illo ſub ſutura ſagittali ſubſiſtit; vel ab uno occipitis latere ad alterum, ſi ibi ſtabulatur: vel utroqve modo, ſi ambos canales occupavit.

Medicus ſi tempori ſatis advocetur, omnibus modis id operam dare debet, ut ne ad ſuppu-

rationem deveniatur. Itaqve ſangvinem ex a
terutrius brachii Cephalica detrahet copioſè, id
repetet ſemel atqve iterum, ſi vires ferant, juſt
temporis ſpatiis interpoſitis, cucurbitulas grande
lateribus cervicis ac ſcapulis apponet cum magn
flamma, ſiccas primum, dein ſcarificatas. Pur
gabit plus ſemel (injecto prius, ſi adſtricta ſit al
vus, clyſtere uno atqve altero,) blandius primum
Senna, Agarico, Mechoacanna, Jalappa, gumm
Cambodia, Mercurio dulci; deinde valentius
Elaterio, Colocynthide, Diaphænico, pilulis Coc
ciis, Turbetho minerali, prout qvodvis iſtorum i
rem præſentem aptius videbitur. Ubi auten
corpora non fuerint ferendis vehementibus iſtis
tota purgatio peragi poterit decocto concinnat
ex Betonica, Salvia, Majorana, Rosmarino, Stoe
chade, Senna, Cnici ſemine, Agarico, Turpetho
Jalappa: cujus bini ternive hauſtus in diem ex
hibeantur per tres qvatuorve dies continuos. In-
terea non negligenda qvoqve Topica, ablatis pri-
us capillis; ubi ſummâ cautione opus eſt, ne nu
datum crinibus caput novi frigoris incurſion
amplius lædatur, atqve ita malo, cui remedium
qværitur, vires addantur. In Topicis hic haben-
dus delectus, ut & devitentur refrigerantia inſi-
gniter ac repellentia, ne magis etiam impediatu
transpiratio, ac materia impingatur; & valente
diſcutientia, ne calore immodico attrahant pus
in locum laborantem, qvam diſcutiendo inde e-
vacuent. Bene itaqve faciet decoctum Serpilli,
Ver-

Verbenæ, Hederæ, Betonicæ, ſemine Papaveris albi, cum Oxyrrhodino, & Camphoræ momento, admovendum tepidum in pannis, ſuccidis aut ſpongiis, poſt longam ſed clementem capitis frictionem; ungendi à fotu olei Roſacei ac chamomelini paribus portionibus inter ſe permiſtis.

Qvodſi ſerius ad ægrum acceſſerit Medicus, aut omnibus ritè adminiſtratis nihil profecerit, nec ſuppurationem impedire potuerit; ſciat de cætero totum negotium naturæ committendum, adhibitâ tantum diligentia, ne qvidem ab ægro fiat, unde in opere ſuo interturbetur: id qvod ſolicitè ſi obſervetur, ſolet ipſa toto negotio ritè defungi, ægrumqve tandem in integrum reſtituere. Qvippe Puri jam percocto viam ſponte qværens, idqve per nares ferè expellens, ſenſim iſtac evacuat ita, ut tandem nihil ejus reliqvum fiat: qvod certum qvidem ad ſalutem iter; tædii tamen ac moleſtiæ pleniſſimum eſt, cum in multos dies, interdum verò complures qvoqve Septimanas, ſoleat extrudi: cujus temporis maximam partem pleraqve aut omnia ſymptomata perdurant, cum nulla aut exigua remiſſione. Qvodſi hac via ſe exonerare aut omninò non tentaverit natura, aut ægri errore aliqvo impedita fuerit, qvo minus id perageret, in ſummo diſcrimine res verſatur, neq; aliud remedium ſupereſt, qvàm ut perforato in idonea regione cranio fruſtuloqve ejus exemto, exitus materiæ patefiat; qvæ curationis ratio, ſi cum viro forti atqve corporis bene conſtituti res

 ſit,

ſit, æqvè certa eſt & tuta, ac prior illa ſponte naturæ ſuſcepta, multoqve breviori tempore patratur. Sin verò hanc qvoqve curationem aut ægri puſillanimitas renuerit, aut Medici prudentia ob ejus imbecillitatem aliasve cauſas non attentandam cenſuerit, omninò pernicies præ foribus eſt, neqve aliud qvam certiſſima mors expectanda. Qvippe vel ſola doloris, vigiliarum, aliorumqve malorum ſymptomatum aſſiduitas ægrum tandem conficiet; & ſi hoc non foret, tamen aliunde etiam exitium imminet: qvum fieri non poſſit, qvin purulenta iſta materia, intra Cranium penitus concluſa, procedente tempore ſubjectas membranas ipſamqve Cerebri ſubſtantiam labefactet & novo atqve atrociori morbo ad priorem adjuncto miſerum ægrum jugulet. Ex hac obſervatione diſcere obiter licet, Inflammationem atqve Suppurationem neqve in Tumorum genere neceſſario collocandas eſſe, uti vulgo ab omnibus fit Medicis; nec accidere ſemper parti alicui corporis, multò minus ſolis carnibus aut partibus carnoſis, ſicuti acriter & verboſè à multis diſputatur; qvum clarè hîc appareat, eas in ipſo per ſe ſangvine, vel ſincero, vel aliis humoribus mixto interdum conſiſtere. Cranium enim & Meninx in hoc caſu non pro parte affecta, ſed pro loco ſimpliciter continente haberi debent: qvod ipſum qvoqve locum habet in omni Vomicarum genere, ad qvarum claſſem pertinet altera Abſceſſus Hypocranii ſpecies, de qva ſeqventi Capite acturi ſumus.

Experi-

Experientiſſimus Medicus *Lazarus Riverius* menſe Aprili anni 1646. publicavit hic Pariſiis egregium volumen Obſervationum tùm propriarum, tùm ab amicis communicatarum. In iſto opere Petrus Paceqvus Medicus Lunellenſis trigeſima octava ſuarum Obſervationum, loqvitur de tribus capitis abſceſſibus, qvi omnes, ſi qvis rectè circumſtantias conſideret, videntur inter cranium ac duram meningem conſtitiſſe. Qvare autem abſceſſus hypocranii, à capitis contuſione aut alliſione facti, ferè lethales ſint, ut in omnibus illis tribus apparuit; qvo etiam referendum videtur, qvod idem Medicus *Obſerv. 18.* ſcribit: *Qvotqvot vidit ex caſu per aures ſanioſam materiam reddere, omnes de medio ſublatos fuiſſe*: qvum Abſceſſus iſti ab internis cauſis orti, de qvibus propriè egimus iſto capite, haud rarò ſalutariter terminentur; ejus rei haud difficilis eſt peritis conjectura.

DE
VOMICA HYPOCRANIA
CAP. II.

Est aliud inter Cranium ac Meningem Abſceſſus genus, in devexiori Capitis parte, ad alterutrum latus, ſecus Oſſa petroſa, oriri ſvetum, non ex ſangvine cum alienis humoribus affatim permixto, uti illud modò explicatum, ſed ex mero ſimpliciqve (qvalis in venis continetur) idqve inter

ter cyſtin propriam; cujusmodi Abſceſſus peculiari nomine Vomicæ appellantur. Origo illi al externa violentia, validoq; capitis ictu aut alliſione, unde rupta aliqva ex venulis Cranium vel Meningem perreptantibus, aut hanc illi alligantibus, ſangvinem in intermedium ſpatium profundit: cui ſolers natura confeſtim tenuia qvædam ex ipſo fila deproperans, ac undiqve retis inſtar circumtendens, iisqve alia ſuper aliis interſerens, a obliqvis qvoq; transverſisq; fibris omnia inter ſ firmiter atqve arctè ligans, eodem artificio, qv membranæ in utero ſemini genitali ſtatim à con cepto circundantur, parvo temporis ſpatio dete xit firmum denſumq; folliculum, intra qvem con cluſus cruor paulatim à ſtatu ſuo demutatur, atqv in pus excoqvitur. Hic Abſceſſus ſeu folliculus pu re plenus, ſemper una in ſede ſtabilis permanens qvum neqve evagandi ſpatium detur, ut emiſſi qvoq; qvibusdam filamentis vicinæ Meningi alli getur; efficit in eo latere, in qvo conſiſtit, juger cujusdam ponderis ſenſum ac moleſtiſſimum do lorem à compreſſione ac diſtenſione Meningis cui à latere incubans, eam longius à cranio di vellit, atqve, ut ſibi locum faciat, ad interiora im pellit obnixam, inq; antiqvum ac naturalem ſta tum redire ſemper adnitentem. Hujus mali, omnia attentè examinentur, cognitio haudqva qvam difficilis eſt; curatio verò neqvicqvam Medico ſperetur; qvandoqvidem Cranii pertere brationem, qvæ ſola ei ſuccurrere poſſet, nullo mo

do hi

do hic moliri licet, ob oſſis petroſi naturam conſtitutionemqve iſti perforationi variis de cauſis, cuivis Anatomiæ perito ſponte obviis, penitus ineptam; qvodſi ulterius in oſſe ſincipitis eandem inſtitueris, fruſtra ægrum excarnificabis; ſiqvidem diſtantia ac ſitus incommoditas præpedient, ne ullus inde ad extrahendum Abſceſſum, fructus capi qveat. Medico tamen neceſſarius ſcitu hic eſt caſus, ut ſi qvando ei ſe obtulerit, poſſit exiſtimationem ſuam tueri, noſcensq; haud ſuæ opis rem eſſe, abſiſtat vana nihilqve profutura curatione ægrum torqvere: cui hoc tamen in rebus mœſtis ſolamen ſupereſt, qvod ſicuti peſtem in capite circumgeſtat humanis præſidiis omninò inſanabilem, ita forte caſu improviſo, ubi Deo viſum fuerit, aliqvando ab eo liberabitur; id qvod civi cuidam Londinenſi haud ita pridem uſu veniſſe compertum habeo. Hic cum ad ſex ſeptemve annos illa ærumna laboraſſet,& plurima in Medicos, utpote in re lautiſſima conſtitutus, erogaſſet, incaſſum, cum vix qvisqvam, ut in affectu inſolenti, exploratum haberet ejus malum, pleriq; verò ne tenuiſſimam qvidem ejus ſuſpicionē animo conciperent; qvodam die, dum in publico obambulat, illiſa eſt in aurem ejusdem lateris, in qvo moleſtos illos ac diuturnos cruciatus perpetiebatur, grandis pila ſive follis, qvalibus per hyemem ac gelu (erat ea tempeſtas anni) Londini aliisq; Angliæ locis in plateis ludere pueri conſveverunt. Felix hic ictus impetu ſuo, ac capitis concuſſione, rupit Vomicæ

cy-

cyſtin, unde proſiliens affatim pus viam ſibi vi fe-
cit in auris meatum, per qvem copioſè ac ſubitò
foras profluens, momento ægrum omni cruciatu
liberavit, atq; priſtinæ ſanitati, tot jam per annos
id omne deinceps ævum deſperatæ, inopinantem
reſtituit, & vixit poſtea incolumis valensq́ue, nullis
prioris mali veſtigiis relictis, qvanqvam cyſti in-
tus relicta; ſive ea poſt excuſſum omne pus, peni-
tus exarefacta, & leviſſima effecta, deſiit Meningi
moleſta eſſe; ſive ipſi ſenſim agglutinata tanqvam
congener ſubſtantia, in unum cum ipſa corpus
coaluit, ſive alio qvopiam modo obliterata eſt.

DE
VOMICA CEREBRI.

Cap. III.

SIcuti inter Cranium ac Duram Membranam
naſci Vomicam ſuperiori capite demonſtravi-
mus, ita qvandoq; inter duas Meninges, duram ac
tenuem, idem fit; interdum verò intra ipſam qvo-
qve Cerebri ſubſtantiam. Hujus rei luctuoſum mi-
hi exemplum intra hunc annum oculis meis uſur-
pavi in Elia Struiis, Ultrajectino, ſororis meæ natu
maximæ, Agnetæ Boot, marito κουριδίῳ; qvi ordi-
num Ductoris (*Sergeant major* hodie dicitur) mu-
nere die functus, ac Porſmuthi præſidium agitans,
cum exitus inde eſſet à Gulielmo Wallero, Parla-
mentariorum Duce, ut prælio, qvod contra Radul-
phum Hoptonum, Regiarum copiarum in iſtis
parti-

partibus Præfectum, parabat; in iſto prælio, qvod paucis poſt diebus ſecutum eſt ad Vicum Cheriton, haud procul urbe Wintonienſi, ſeu Wincheſtria, in Suſſexiæ Comitatu, duo periculoſiſſima in capite vùlnera accepit, dum ordines partis eqvitatus, turbatos per ipſius abſentiam (qvum ad ordinanda qvædam Tormenta ænea, qvorū cura ipſi concredita erat, brevem ex illo loco excurſum feciſſet) reſtituit, inclinatosq; in fugam animos hortatione & exemplo confirmare laborans, atq; ad inſtaurandum prælium accedens, primus ipſe in hoſtem tendit, ſolo galero caput tectus, abſente atq; in diverſam aciei partē externatione abrepto armigero, cui in excurſu illo aſſervandam tantisper galeam tradiderat. Vulnus utrumq; erat in ſiniſtra capitis parte, unum in fronte, gladio cæſim adactum, medio fere inter partem capillatam ac ſupercilium ſpatio, ſecundum oculi ductum, ad trium qvatuorve digitorum transverſorum longitudinem, alterum in averſa capitis parte, in declivitate Oſſis Bregmatis, haud multo ſupra confinium ſuturæ lambdoidis, globulo plumbeo illatum, non in directum emiſſo, nec introrſus adacto, ſed qvi inflexum leviter in dexteram caput in tranſitu deſtrinxerat. Domum in lectica delatus, à Chirurgis Porsmuthenſibus ita curatus eſt, ac ſi cute tenus duntaxat ſauciatus fuiſſet; qvum utriqve vulneri ſubeſſet ingens cranii fractura, diligentiore paululum ſpecilli attrectatu facile dignoſcenda. Hoc in frontis qvidē vulnere, qvod penitus

tus conſolidarunt, nunqvam ab iis deprehenſum, haud prius patuit, qvam diſſecto poſt mortem capite. In altera autem plaga, qvum illa jam pæne ad cicatricem perducta, absqve ulla evidente cauſa recruduiſſet, de majore diligentia adhibenda moniti, atq; à Medico qvodam, Ciceſtria excito, adjuti, eam tandem repererunt, reſciſſoq; tunc vulnere & ampliato, ad latus fracturæ trepano magnū cranio fruſtum exemerunt, concretumqve ac ſemicorruptum ſangvinem, qvi Membranæ incubabat, abſtulerunt, qvum ipſa nihil inde vitii contraxiſſet, prorſusq; rectè ſe haberet. Ex eo tempore, cum & frontis vulnus pænè integrè conſolidatum eſſet, & alterum hoc, ac omnibus pravis ſymptomatis liberum, via progrederetur, cœpit melius ſe habere æger viresq; ſenſim recipere, & lucem, alloqvium, corporis motum melius in dies tolerare. Sed qvum cunctis ſignis defunctus jam omni periculo, certoq; paſſu ad ſanitatem vadere videretur, præter expectatum extinctus eſt vigeſimo octavo Aprilis, anno 1644. exacta tunc qvarta ſeptimana, ex qvo vulnera illa acceperat. Dura Meninx, qva terebrato Cranio ſubjacebat, & aliqvanto longius circumcirca, repentino ſphacelo corrupta, nigricabat penitus; cum omni antea tempore, & paucis adhuc ante mortem horis colorem omnemqve conſtitutionem naturalem integra retinuiſſet. Apertum defuncti caput juſſu meo, qvi pauculis ante diebus, ex Hibernia iſthac præternavigans, fortuito caſu Porsmuthum delatus fueram, exhibuit

buit illam oſſis frontis fracturam ſeu fiſſuram, de qva ante dictum; qvæ licet profunda atq; ad internam ſuperficiem penetrans, & digitos aliqvot transverſos longa, toto illo qvatuor ſeptimanarum ſpatio nunqvam ullo pravo ſymptomate moleſta fuerat, aut vicini vulneris conſolidationem præpediverat. Qvum autem ablata in orbem ſuperiore Cranii parte usqve ad aures, & detracta qvoqve dura Meninge, eximendo Cerebro intenti eſſemus; profluxit ſubito per dextram aurem magna ſangvinis vis, non minus unciis octo aut decem, qvantum conjecturâ æſtimare licebat, à naturali ſtatu penitus demutati, non craſſi aut grumoſi, ſed liqvidioris etiam, qvam par erat, ac ſumme atri. Attentius indaganti unde is prodiiſſet, deprehenſum eſt Vomicam in contigua Cerebri parte, intraq; ipſam ejus ſubſtantiam latuiſſe, cujus tunica à chirurgo dirupta fuerat, dum manum inter reſiduam Cranii portionem, ac Cerebri corpus adigens, digitos longius introrſum atq; ad latus impellit. Toto tempore, qvod vulneribus ſupervixerat æger, conqveſtus fuerat de ingenti ac valde cruciabili dolore in iſto capitis latere, non fixo una ſemper in ſede; ſed qvi viciſſim modò in fronte paulò ſupra ſupercilium, modò in occipitio affligeret. Hunc judicare licebat ab iſta Vomica prodiiſſe, qvæ tenui Meningi intus proxima, & fibris etiam alligata, non poterat ei non ſummè moleſta eſſe. Apparet autem Vomicam iſtam habuiſſe originem ex ſangvine effuſo è vena dirupta ex re-

per-

percuſſu ictus, qvo diverſum occipitis latus à globulo plumbeo læſum fuerat; cujusmodi repercuſſiones in Capitis Ictibus ac Vulneribus ſatis eſſe familiares notum eſt. Qvod v. ſangvis eo modo, qvem diximus, corruptus, nec in pus excoctus fuerat, ejus rei cauſa adſcribenda eſt caloris in capite debilitati; qvem valde infractum fuiſſe ipſis primùm vulneribus, jacturaqve ſangvinis ex iis profuſi, deinde Cranii terebratione, ac cruciatibus iſtam curationem comitantibus, manifeſtum eſt.

DE SUTURARUM DISCESSIONE.

CAP. IV.

FReqvens eſt in Hibernia ut Capitis oſſa à ſe diſcedant, ac notabili ſpatio dehiſcant; præcipue in coronali ſutura, ſed & qvandoqve in Sagittali, idqve à cœca ac interna cauſa, absqve ulla externa occaſione aut violentia: cui malo promiſcue obnoxii ſunt viri æqve ac mulieres, nec teneri modò ac delicati, ſed duri qvoqve ac robuſti, ipſiq; adeo agreſtes, ſolibus & frigoribus & omnigenis aëris injuriis laboribusq; in ſummū corporis firmitatem durati. Comitatur hanc Diſceſſionem magnus capitis dolor, à lancinatione Duræ Meningis, qvæ Cranio plurimis fibris in plerisq; corporibus alligata, ad iſtud oſſium divortium diſtenditur, atqve in diverſa divellitur. Hunc dolorem non eſt tollere vel placare ullis aliis remediis, præ-

terqvam

terqvam oſſium iſtorum ad naturalem ſitum reductione; qvæ & ſponte evenire ſolet, ſed utplurimum nonniſi aliqvot diebus prius elapſis. Itaqve præſtat non expectare naturæ conatum, ſed arte eum prævertere; præſertim cum interdum in aliqvot ſeptimanas ea ceſſet, notosq; habeā qvi menſem integrum ſic excruciati, poſtea tamen coacti fuerant implorare opē eam, qvam magno ſuo malo tamdiu neglexerant. Unicum autem hic eſt in manibus præſidium, qvibus prehenſum utrinq; caput, à fronte & ſummo occipitio, ſi coronalis ſuturæ compages laxata eſt, à lateribus verô, ſi in ſagittali eſt vitium, ſenſim ac blandius primo adduci, poſteaq; validius ſtringi debet, donec in unum óſſa coierint: qvo facto, ne ſtatim ſecedant rurſus, mantili aliqvo validisq; faſciis caput arctiſſime ligandum, iteratisq; ſæpius in orbem ſpiris fideliter coercendum eſt, atq; ita in duos tresve dies relinqvendum: qvo toto temporis ſpatio qvieſcere debet æger, atq; ab omni corporis exercitio capitisq; motu abſtinere. Operatio iſta ſatis facilis eſt, qvam tamen pauciſſimi chirurgi peragere noverunt; qvum multæ ſint paſſim mulierculæ, qvæ talē ejus uſum ſibi comparaverunt, ut promte admodum ac feliciter eam expediant. Meminit qvidem hujus ſuturarum dehiſcentiæ Sennertus, Praxeos libro primo, parte prima, capite 21. cui titulus, *de morbis ſolutæ unitatis in capite & cerebro*, dicens, Aliqvando, à cauſis internis ſuturas capitis disjungi, ut inter eas evidens ſit diſtantia, qvod eveniat humorum diſtendentium copiâ, docente Æginetâ, & tale

 exem-

emplum recitare Jacobum Frontanum, Practicæ libro primo, capite tertio, de qvodam juvene, in cujus diſſecti capite qvatuor digitos diſtabant, unde ingens copiá ſeroſi humoris, intra cerebrũ collecti, effluebat. Etiam Peſtis, qvæ anno 1622. in Polonia graſſata eſt, tantam fuiſſe ſævitiam, ut eâ extinctis cranium rumperetur. Sed totum iſta de re ſermonem claudit iſtis verbis, *Rariora hæc eſſe & incurabilia*: qvæ ſatis indicant, alterius eſſe generis Suturarum diſceſſionem ab ipſo memoratam, & illam, de qva nos præſenti capite egimus: Idemq; dicendum de duobus illis exemplis, qvæ à Fabricio centuriæ primæ obſervatione primâ memorantur.

DE CAPITIS DISTORTIONE.

CAP. V.

AFfectum, cui hoc caput dicavi, ſemel tantum obſervare mihi licuit, idq; in Hibernia, in fœmina florentis ætatis, nomine *Jane Dowdal*, uxore cujusdam *White*, Mercatoris in oppidulo Carlingford in Comitatu Lovvth, qvinqvaginta millibus paſſuum Dublino, qvo opem à me petitum venit. Caput ei ad ſiniſtrum latus prorſus deflectebatur, inqve eo ſitu ſemper manebat, niſi manu in directam aut in contrariam partem impelleretur; qvod facile ac nullo negotio fieri poterat: ſed ablata manu ſtatim in alterum illum ac difformem ſitum revertebatur. Ob hæc judicavi, diſtorſionem illam capitis non fieri à diſtentione nervorum, muſcu-

lorumqve

lorumqve ejus lateris, in qvod vergebat caput (à cujusmodi diſtentione ſeu convulſione in anteriora trahitur in Emproſthothono, ſicuti in Opiſthothono ad poſteriora) ſed potius à paralytica eorum reſolutione in latere oppoſito: qva in opinione id me amplius confirmavit, qvod originē mali ſolicitè rimanti, nihil aliud cauſari poterat ipſa aut maritus, niſi ungventum qvoddam Mercuriale, qvod ab Empirico acceptum collo aliqvoties ob neſcio qvas eruptiones illeverat. Hydrargyrum enim toti nervoſo generi ſummopere infeſtum, potuit in corpore molli minimeq; robuſto, qvale ipſius erat, hanc ipſi noxam importare; qvanqvam plurima ſunt in mundo hominū fœminarumq; millia, qvi ungventis Mercurialibus ſæpius inuncti, nullam inde muſculorum tendinumve labem aut reſolutionem paſſi ſunt. Judicio autem meo ſuffragatus eſt eventus. Qvippe domum dimiſſam juſſi per unam alteramq; ſeptimanam qvotidie mane ac veſperi ſumere bonū hauſtum decocti è Sarſaparilla ac Saſſafras, herbisqve cephalicis ac neuricis apparati; ac bis die fovere collum decocto conſimilium herbarum: Et poſt fotum inungere ſemper ungvento è Salvia, Abſinthio, Ruta, teneris Lauri foliis, & adipe cervino cum oleo olivarum & paucillo ceræ viridis, cujus inſignē efficaciam ad omnes nervorū nervoſarūq; partium affectus frigidos ſæpiſſimè expertus ſum. Hæc cum exactè præſtitiſſet, intra duas hebdomadas moleſtiſſimo iſto malo prorſus liberata eſt. Sed cum fatali imprudentia aliqvot poſt diebus neſcio

qvod funeſtum ungventum, ab altero Agyrta acceptum, ob leviculum aliqvod malum cervici adhibuiſſet, confeſtim in priſtinam capitis diſtorſionem de novo incidit: cui dum medicinam haud ita mature facit ac antea (impeditus domeſticorum negotiorum multitudine, qvibus tunc temporis diſtinabatur) interea duplicata eſt mali cauſa, atq; ad vitium in latere dextro, de qvo prius diximus, acceſſit novum in ſiniſtro, rigiditas ac durities tendinum movendo capiti deſtinatorum, unde factum, ut à remediis, qvibus curata prius fuerat, nullam tunc utilitatem capere, neq; ullis aliis juvari potuerit. Qvindecim menſibus ex qvo iſta ſcripſeram, ipſiſſimum hoc malum, de qvo actum fuit iſto capite, mihi oblatum fuit Pariſiis, in fœmina qvinqvaginta ſex annorum, *Maria Gantois*, Sedanenſi N. Doct. uxore. Ad hanc accerſitus 18. *Junii* 1646. ex ipſa intellexi, qvod 14. Februarii tunc proximè elapſi, qvum deſcenderet in cellam ſubterraneam, retro cecidit, ac os ſacrum (non caput, nec aliam corporis partem) afflixit; qvod exinde doluit, nullâ extrinſecus contuſionis notâ apparente, per tres ſeptimanas: totoq; eo tempore ſenſit pondus in pube, qvod inceſſui mulum incommodat, relaxatis, opinor, à caſu latis uteri ligamentis. Iſta accidentia cum poſt prædictum tempus abiiſſent, ſucceſſit dolor gravativus in occipitio & nucha, cui tollendo cum Medicus, cujus conſilio utebatur, & purgationes aliqvot, & alia qvædam adhibuiſſet, tandem admovit cucurbitulas cum ſcarificatione. Iis neq; malum illud levatum

tum & aliud gravius accerſitum fuit, perpetua qvodammodo ſuffocationis imago toto ferè gutturis ductu, ſed præcipuè in ſuperiore parte. Ad novum hoc ſymptoma expugnandum, exhibuit ipſi Medicus Pulveris Emetici doſin ſatis grandem, unde neqvaqvam vomuit, ſed decem habuit ſedes, idq; cum euphoria. Attamen præterqvam qvod nihil ipſi profuit hæc purgatio ad id, ob qvod ipſi data fuerat; ab eo die, (qvi erat primus aut ſecundus Junii) cœpit laborare moleſtiſſima capitis diſtorſione in latus ſiniſtrum. Non impediebat qvidem ulla, qvin liberè caput movere poſſet in qvamcunq; partem, & in latus dextrum; ſed mox velut retrahebatur, & vellet nollet ægra, cogebatur id in latus ſiniſtrum ſinere redire. Noctibus benè dormiebat: ſed à diluculo ad horam decimam aut undecimam noctis nulla ipſi qvies. & tum illa capitis diſtorſio in latus aſſiduo illi moleſta erat, tum vaporum illorum ſuffocativorum in guttur aſcenſus. Qvod ſi inter comedendum, ac dum ipſa buccellam aliqvam deglutiebat, illa duo ſymptomata in idem momentum coinciderent (id qvod fiebat aliqvando) in præſentaneum ſtrangulationis periculum incidebat: qvum alioqvi vapores illi alio tempore deglutionem nullo modo impedirent. Per qvatuor illas ſeptimanas, qvæ interceſſerant ab initio iſtius Diſtorſionis ad diem illum, qvo ad ægram primò acceſſi, ſæpius purgata fuerat, ſed ab omnibus purgationib9 ſemper pejus habuerat, præſertimq; ab ultima, pridie iſtius diei aſſumta, qvæ è Senna, cremore Tartari & fœcula

Bryoniæ fuerat concinnata, poſt qvam purgationem qvum poſtridie mane fœculam Bryoniæ ſumſiſſet per ſe, adeò inde exaſperatum fuit ejus malum, ut iſtum diem omnium ab initio habuerit longe peſſimum. Præter duo illa moleſtiſſima ſymptomata præterqve occipitis dolorem, qvi ſemper ſui ſimilis præſtiterat, de eo etiam conqverentem audivi, qvod in ſingulis reſpirationibus pectus illi deorſum trahi videretur, & veluti chorda ab umbilico ad ſternum pertinente, valide verſus ventrem convelli; ſed & qverebatur inſuper de qvadam veluti rigiditate omnium cervicis nervorũ ac tendinum adusqve humeros & brachia. Adminiſtravi per tres aut qvatuor ſeptimanas varia medicamenta interna externaqve, tum uterum (in qvo, aut circa qvem reſidere omnis mali fomitẽ, multa mihi perſvadebant) tum genus nervoſum reſpicientia. Et à primo qvidem eorum, qvod fuit tinctura ex Stoechade, radicibus Eryngii & Rubiæ, Caſtoreo ac ſeminibus Pæoniæ nigris, cum vino albo & aqva cardui benedicti extracta, ſtrangulatoria illa in gutture moleſtia penitꝰ ſublata fuit, ſic ut nunqvam poſtea recurreret, & occipitis qvoqve dolor ope ejusdem medicamenti, ac Topicorum qvorundam plurimum fuit imminutus. Qvum autem ſecundo *Julii* cœpiſſet uti apozemate facto ex Sarſa, Saſſafras, Stœchade, Majorana, Betonica, radicibus Pœoniæ, Chamædriæ ac Chamæpitiæ, & qvotidie mane ac veſperi bonum de eo hauſtum ſumeret, brevi plurimum eo profeciſſe viſa eſt, adeò ut jam nono *Julii* per duas tresve

horas

horas ab illa diſtorſione immunis eſſet: XI. autem Julii per totum ferè diem caput in recto ac debito ſitu ab ipſa teneri poſſet: ac 14. Julii rurſus habuit trium qvatuorve horarum inducias: iterumqve 20. Jul. à matutino ad veſperam ferè in totum diſtorſione illa caruit: qvum ante hujus Apozematis uſum nunqvam ne ad minimam qvidem temporis partem (præterqvam inter dormiendum) ab ea fuiſſet libera. Sed cum malum ſemper recurreret, atq; ad priſtinum ſtatum rediret, qvanqvam continuato ejusdẽ Decocti uſu, variisq; præterea intus extraq; adminiſtratis, qvæ in rẽ exiſtimabã; deſperavi tandem de ea perſananda ac circa finem Julii eam ſibi reliqvi. Et qvanqvam exinde multa adhuc alia tentavit, diverſorumq; tum Medicorum tum Chirurgorum conſilia uſa eſt, manſit tamen ei capitis iſta diſtorſio, qvalis ab initio, eaq; perſeverat ad hunc usqve diem, qvo iſta ſcribo, & qvi eſt qvindecimus Septembris, Anno 1648. In inſigni opere obſervationum Riverianarum Riverio communicatarum, è qvo ſupra qvoqve ad caput primum nonnulla attulimus, invenio etiam caſum huc pertinentem. Qvippe obſervatione decima & ultima Oziæ Aymar, Chirurgi Gratianopolitani, memoratur Dominum de Bollon, qvum tormenti ictu brachium dextrum prope humerum ipſi ablatum eſſet, ac vulnus conſolidatum; correptum qvadam convulſionis ſpecie, qva retrahebatur caput verſus partem dextram, & mandibulæ erant in continuo motu, ſic ut lintea jugiter inter dentes habere cogeretur, qvæ identidem mordens

brevi comminuebat. Medici multi & Chirurgi in unum convocati qvum uno ore ſtatuiſſent in extremitate oſſis præciſi ſupereſſe eminentiam acutam, qvæ nervum feriendo, convulſionis illam ſpeciem excitaret, vulnus de novo aperiendum ac os complanandum cenſuerunt. Sed cum operationi iſti non reſpondiſſet eventus, *D. Aymar* ſagaciter conjectavit, fermentum aliqvod venereum intra corpus deliteſcens, iſti ſymptomati originem præbuiſſe: cui proinde expugnando cum purgationem prius ac diætam ſudorificam adminiſtraſſet, ac poſtea ungvento Mercuriali ptyaliſmum excitaſſet, contractiones illæ ac convulſiones deſierunt, neqve eo malo æger exinde amplius conflictatus eſt.

DE EPILEPSIA PROCURSIVA.

CAP. VI.

A Variis jam Medicis adnotatum eſt, non concidere ſemper in Paroxyſmo Epilepticos, ſed nonnullos ſtantes, alios ſedentes, qvosdam etiam in gyrum circumcurſantes, aut huc illud diſcurſantes, eum exantlaviſſe. Iſtis dignum eſt, qvod addatur id qvod nos obſervavimus in puero qvodam duodecim annorum, ludi magiſtri filio, habitantis in oppido Drogda, viginti qvatuor paſſuum millibus diſſito ab urbe Dublino, ad Boinum fluvium, haud longe à loco ubi in mare is influit. Hic puer, qvoties ac qvocunqve in loco Epilepſia ipſum

ipſum invadebat, recta prorſum procurrebat, finem non ante faciens, qvam obſtaculum aliqvod offenderet, ob qvod longior procurſus non pateret; in qvod impingens, corruere ſolebat. Alioqvi nec ignis, nec aqva, nec præcipitium eum à procurrendo impediebant, ſed rectà in ea, ſi paroxyſmi tempore ante ipſum erant, tendebat, ac ſe perditum ibat, niſi ab aliis retineretur; qvum ipſe per id tempus nihil nec videret nec intelligeret. Credibile eſt, ſi in campis fuiſſet acceſſus tempore, ubi magna planities longum ſatis procurrendi ſpatium dediſſet, eum toto paroxyſmi tempore humi collapſurum non fuiſſe: ſed intra oppidum ſemper detentus, nulloſq; niſi domi aut in plateis paroxyſmos expertus, incertam hanc rem fecit, qvare & à nobis in medio relinqvetur.

DE ORIS HÆMORRHAGIA PERIODICA.

CAP. VII.

Eximius Hiberniæ Præſul, pietate ac eruditione inter paucos conſpicuus, & domi foriſq; notiſſimus ac clariſſimus, *Jacobus Uſſerius* Archiepiſcopus Armachanus, ſexageſimum qvartum ætatis annum agens, jam à plurimis annis patitur bis terve anno Periodicum ſangvinis profluvium ex ore, ut plurimum in latere ejus ſiniſtro duntaxat, nec ibi ſemper uno in loco, ſed interdum ex

lingvæ latere, alias ex gingivis, qvandoqve ex a
terutrius labii aut buccæ parte interiore. Antea,
dum junior erat, exiliebat qvandoq; ſangvis tan
ta vi ac copia, ut in præſens vitæ periculum ind
conjiceretur, omniqve valentiſſimorum gener
tentato, ægerrime tandem reſtringeretur. Sed per
multi jam ſunt anni, ex qvo citra ullum impetum
& guttatim tantum, ſangvis promanat; id autem
fit aſſiduo, absqve ulla intermiſſione, noctu æqv
ac interdiu, donec periodus abſoluta ſit, qvæ nun
qvam minus uno die naturali, plerumqve duos, a
liqvando etiam diutius durat. Initio aliqvamdiu
nihil non tentatum fuit, ut ab hoc ſymptomate li
beraretur, ſed poſteaqvam apparuit, corpus eju
huic evacuationi penitus aſſveviſſe, deſtitit eju
ſuppreſſionem amplius moliri; monitus à me, eam
cum inevitabili ipſius pernicie conjunctam fore
cum hoc profluvium in beneficium ſuū olim con-
verterit natura, eoqve ſoleat à ſuperfluo onere ſe
liberare, qvoties nimium increvit ſangvis, humo-
resqve ei permixti; qvæ ratio, in qvocunqve cor-
pore pondus habitura, magis etiamnum in eo præ-
valet ob peculiarem ipſius conſtitutionem; qvip-
pe naturaliter multo ſangvine abundat, eoq; præ-
fervido ac bilioſo: prætereaqve vix ullis exerci-
tiis utitur, niſi concionandi ſingulis Dominicis:
qvod cum faciat ſingulari cum affectu & efficacia,
corpus ejus mirum in modum inde afficitur, ita ut
à ſingulis concionibus ſudore totus madeat. ac
diffluat; alioqvi toto anno lectioni ac ſcriptioni
aſſiduo vacat. Eo autem libentius huic conſilio ac-
qvievit

qvievit, qvia præterqvam qvod id ſibi abſolute neceſſarium vidit, nec poſſe ſe jam absqve exitio ſolenni hac hæmorrhagia carere; nullum magnopere inde incommodum capit, niſi qvod noctibus ac per ſomnum ſangvinis, qvem toto die continenter expuere cogitur, aliqvanta portio in ventriculum ex ore defluit: qvod ipſum aliis multis periculoſum futurum, diſcrimine fere vacat in ipſo; ſiqvidem natura, finitâ hæmorrhagiâ, ſolet omne id, qvod in ventriculum interea confluxit, ſponte expellere, eoqve absqve ulla notabili corporis perturbatione per inferiora ſe exonerare.

DE LINGVÆ ARDORE ET SICCITATE EXTRA FEBRES.

CAP. VIII.

PLaterus meminit cujusdam, cui ardor in extimis Lingvæ lateribus moleſtus erat. Ego notam habui Dublini mulierem, cui ſupra ſexaginta annos natæ ardor mediam lingvam magnopere infeſtabat, & ſemper ſui ſimilis, ejusdemqve tenoris, ægram moleſtiſſime torqvebat. Epigenema hoc erat Hydropis Aſcitis, ejusdemqve fere ab initio comes; qvo morbo cum multos menſes laboraſſet, ac ſumme jam tumida, viribusq; penitus proſtratis, in dies, imò horas, moritura omnibus videretur; præſidium, qvod à Medica arte expetere toto morbi decurſu, pravâ pervicaciâ, majoriq; nummorum qvàm vitæ amore, recuſaverat, à natura inexpectato accepit. Sponte enim excitatæ ruptæqve

qve in cruribus ac pedibus veſicæ, omnem morb
ſici humoris vim brevi temporis ſpatio iſthac ex
hauſerunt, ipſamqve ſanam ac integra valetudin
fruentem, absqve ullis priſtini mali veſtigiis, rel
qverunt, unà cum principali morbo etiam ill
lingvæ moleſtiâ liberatam.

Theologus qvidam Anglus, mediæ ætatis, cor poris admodum obeſi, qvi tamen multis magnis qve qvotidie exercitiis uteretur, laborabat ariditate lingvæ, in ipſo duntaxat apice, absq; ullo notabili fervore, ſed cum moleſtis plerunqve punctionibus, qvale qvid in media etiam palati regione, ſed haud ita conſtanter, patiebatur. Symptomate hoc qvanqvam exiguo dictu, magnopere liberari cupiebat, qvum aſſiduitas ejus eſſet ipſi moleſtiſſima. Qvum igitur remediis, qvæ ab amici vicinisqve accepta uſurpaverat, nihil proficeret ac jam amplius anno integro hoc tædium per peſſus eſſet, Dublinum venit, unde amplius ſeptu aginta paſſuum millibus, in Comitatu Amrachan habitabat, conſilium meum expetiturus. Uſus purgationibus, qvæ in rem videbantur, dimiſi domi cum præceptis, qvæ profutura judicabam: unde qvalem fructum ceperit, non potui reſciſcere, qvi paucis poſt menſibus in generali illa ſtrage, exeunte Anno 1641. ab Hibernis in Anglos Scotosqve edita, cum multis millibus fuerit trucidatus.

DE LIPPITUDINE MUCAGINOSA.

CAP.

CAP. IX.

RIchardus Osberton, Eqves Auratus, & Hiberniæ Procurator Fiſcalis (*Kings Atturney* vocant Angli) ſexagenarius, menſe Maio 1640. cum Hydrope laboraret, cœpit repente, absqve præcedente Ophthalmia aut Epiphora, ullave omnino de oculis qverela, infeſtari in omnibus qvatuor oculorum angulis excreſcentiis qvibusdam mucaginoſis, crudo ovi albumini non abſimilibus, ſed multo firmioribus, neqve usqve adeo claris aut candidis. Et in reliqvis qvidem angulis hæ excreſcentiæ erant minores; ſed in minore angulo oculi ſiniſtri valde magna, totam oculi viciniam usq; ad pupillam operiens, & multum protuberans. Primis duobus tribusve diebus neglectum fuit hoc malum; qvia interdiu decreſcebant iſtæ ecphyſes, ac proceſſu diei fere vaneſcebant, noctu ſuccreſcentes, ac matutinis plenā magnitudinem obtinentes. Sed cum perſiſteret ac augeſceret, ſerio de eo curando cogitare coactus fui, inqve in eam rem Aqva qvadam Ophthalmica uſus ſum, parata è Vino Roſacea, Myrobalanis, Tutia, & Æris flore, qvæ bis terve die in oculos inſtillata tædium illud intra paucos dies penitus ſuſtulit. Biennio ante curaveram juvenem qvendam de Proregis familia, nomine *Gvilielmum Markham*; qvi cum Epiphora calida ac violenta per aliqvot dies laboraſſet, uterqve oculos ipſi materia conſimili, non pedetentim, ſed repente, totus obtectus fuit, ita ut viſum penitus amitteret. In eo pertinacius hoc

malum

malum expertus fui, & qvod remediis difficilius cederet, ita ut præter interna externaqve remedia varia, vacuationis ac diverſionis ergo inſtituta, præterqve Aqvas Ophthalmicas, etiam Ungventa & Emplaſtra in uſum trahere, atq; oculis admovere fuerit neceſſe; qvibus tandem, intra duarum ſeptimanarum decurſum, perſanatus fuit.

DE
LABRO-SULCIO
ſeu
CHEILOCACE.
CAP. X.

MOrbus hic, cui Græcum nomen à parte affecta, Latinum à præcipuo ac maxime conſpicuo ſymptomate fecimus, familiaris eſt in Anglia & Hibernia omni tempore; interdum verò etiam, Epidemiæ luis inſtar, in qvamplurimos populariter graſſatur. Rariſſime tamen, ac vix unqvam, adoritur adultos, ſed Infantes duntaxat, eosqve fere ab altero ætatis año ad qvartum aut qvintum: qvanqvam & teneriores aliqvanto, & paulo vetuſtiores, non ſunt ſemper ab eo immunes. Labra in eo admodum tumeſcunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed neqvaqvam fervido, aut inflamatorio, & qvi nunqvam ſuppuretur, aut caput fædet. Vergit autem aliqvanto magis introrſum, qvam ad exteriorem partem: unde labia à gingivis & dentibus abſcedunt longius, & foras aliqvatenus replicantur, magna cum deformitate. Eam etiam-

num

um conſpectiorem reddunt foveolæ binæ in u-
oqve labio, unæ in latere oris dextro, alteræ in ſi-
iſtro, qvæ ipſum labii corpus anguſto qvidem,
d profundo ſulco dividunt, in parte ſolum inte-
ore, inde à gingivis, aut gingivarum confinio,
dusqve extimam labii oram; ulterius tamen non
rocedunt, nec exteriorem partem unqvam inva-
unt. Hi ſulci ſemper aut ſanie madent, aut craſſo
ure obſiti ſunt: interdum qvoqve cruſtulæ in iis
ccreſcunt. Malum hoc qvandoqve utrumqve la-
ium inceſſit, ut plurimum tamen ſuperius dun-
axat eo afficitur; & qvando ambo ſimul hæc labes
bſidet, longe tamen deterior ſemper eſt ſuperio-
s, qvam inferioris labii conditio. Ut plurimum,
; fere ſemper, hunc morbũ comitantur Aphthæ,
e. ulcuſcula Oris, in palato, lingva, buccis, labiis
ingivis: qvanqvam infinitus eſt infantium nu-
erus, qvi Apthas patiuntur absqve eo ut in Chi-
ocacen incidant; ſicuti rurſus non raro accidit, ut
loneis remediis adhibitis Aphthæ aboleantur,
hilocace ſuperſtite.

Malum hoc nonnullis ſponte aut levibus re-
ediis ſaneſcit; aſt plerunqve, ſi diutius negliga-
r, aut perperam curetur, contumaciſſimũ evadit,
a ut poſtea difficillime tollatur, & multo opere æ-
re ſanatum, aut ſanitati proximum, improviſo re-
ellet, atq; in antiqvum redeat; in nonnullis verò
enitus immedicabile redditur, & ſerpente conta-
io miſeros infantes lenta tabe conficit, ac tandẽ
tho mittit; id qvod tum præcipue uſu venire ſo-
t, qvando epidemice hæc labes ſævit: ob qvas

cauſas Anglicum vulgus eam *Mouth-Canker*, au *Canker of the Mouth*, id eſt, *Cancrum Oris* appel lat; qvod nomen de aliis qvoqve ulceroſis ac ma lignis Oris affectibus uſurpat.

Ad peragendam feliciter curationem, corpu pnrgandum eſt, non ſemel nec iterum, ſed repetiti vicibus, ita ut idoneum temporis ſpatium ſempe interponatur. Purgationes pro captu corporum & ætatis ſatis validæ eſſe debent, præcipueq; ex Sen na, & Mercurio dulci, qvæ duo cæteris in hoc caſ præferenda. Qvodſi cum Infante tractabili res eſt ac im̃uni ab illa plerorumq; pervicacia, qvi omni fere oblata reſpuunt, aut non niſi difficillime ad mittunt, magnopere conducet purgare decocti paratis è Fumaria, Betonica, Phyllit, radicibus La pathi, Cichorei, Polypodii, Senna Agarico, Cori andro, Tamarindis, cujusmodi decocti bini tervi ve hauſtus die dandi, tertio aut qvarto qvoq; die per ſat longum temporis ſpatium. Qvod ſi gran dior ſit infans, Sangvis qvoqve è brachiis detra hendus, vel Hirudinis ſuctu apertâ venâ, vel ſcal pello etiam. Interea Oris ulcuſculis adhibenda i donea remedia, & labra fovenda illinendaqv auxiliis, qvæ tumorem eorum minuere, ſordes de tergere, ſulcos emundare atqve implere valeant eoſqve cum reliqva labiorum carne æqvare. In hos uſus multa ſunt qvæ inſervire valeant, ſed cæ teris præcellit decoctum Charephylli, Qvinqve folii, Myrrhidis, Roſarum, ac Salviæ, in qvo Sa Vitrioli albi, ſeu qvod idem eſt, Vitriolum album iteratis ſolutionibus, filtrationibus, ac coagula tioni

tionibus ſummopere depuratum, ſat magna copia diſſolutum ſit; ac linimentum factum è Saccharo Saturni, Aqva Plantaginis, & oleo Roſaceo. Utiliſſimum qvoq; eſt Hirudines faciei admovere iisq; ſangvinē tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipſis affatim deplere, idqve bis aut ter facere. Qvod ſi hæc omnia non ſatis juverint, tandem in alterutro aut utroq; brachio excitandæ Fontanellæ; & per multos dies potui dandum Infanti decoctum concinnatum Sarſaparilla, radice Chinæ, Fumaria, Phylliti, Lapatho integro, ſemine Cardui, radice Scotzoneræ, & paſſulis majoribus; ac qvamdiu hoc bibet, omni alio potu arcendus erit. Ubi tenellum admodum infantē invadit hoc malum, nonnulla iſtorum omittenda, qvædam aliter ordinanda, & in omnibus clementiora deligenda ſunt; qvod minime opus eſt ut particulatim explicemus, qvum unusqvisqve peritus ac prudens Medicus id facile per ſe diſpicere valeat.

DE STERNI DOLORE.

CAP. XI.

UNum alterumq; in Hibernia notū habui, qvos in ſuperiore Sterni parte dolor vexabat, non ſævus nec aſper, ſed pertinax ac diuturnus; & qvi intermitteret qvidem qvotidie magnam diei partem, ita tamē ut ſemper aliqvis moleſtiæ ſenſus ſupereſſet. Non faciebat difficiliorem reſpirationem hic dolor, nec tuſſim habebat comitem: magna tamen inſpiratione ac profundis ſuſpiriis aliqvantulum

tulum exacerbabatur; uti & ſubita ac magna corporis reſupinatione, capitisq; ad dorſum reclinatione, nec non pandiculatione; præſertim ſi utrumvis iſtorũ poſt magnã corporis antrorſum ac deorſum inclinationem fieret, qvibus rebus efficiebatur etiam, ut moleſtiam illam, intermiſſionis tempore reſiduam, perſentiſceret, qvum alioqvin ea penitꝰ fere obliterata lateret. Fixus uno ſemper in loco perſeverabat; interdũ tamen in proximas pectoris partes ac verſus axillas ſeſe propagabat. Judicavi dolorem hunc provenire ab humore, qvi inter Membranam peculiarem (illa enim toti Thoraci communis, Pleura ſeu Succingens dicta, à Sterno longius recedit, dum Mediaſtinum conſtituit; atq; ipſum Sterni corpus, qva cavitatẽ Thoracis intro reſpicit, impactus erat, haud magnâ copiâ, nec valde acris aut malignus, bilioſus tamen; utpote in vigore ætatis, corpore fervidiore, & ictero aliisq; à bile morbis admodum obnoxio, ac ſæpius multumq; iis infeſtato. Conjecturam hanc firmavit eventus, atq; ipſa curatio, peracta præcipue purgantibus Cholagogis, mitioribus qvidẽ (cum corpus picrocholũ ac raræ texturæ vehementiora non ſuſtineret) ſed aliqvoties iteratis, qvum aliqvantum contuliſſent etiã fotus Partis ex Anodynis ac Relaxantibus, & geſtatio Emplaſtri ex Olibano, Cera virginea ac Pice Brutia (qvam hodie Picem Burgundicã, & in Anglia *Schoomakers Wax*, id eſt, Ceram ſutoriam vocant) cujus egregia vis eſt ad cujusq; modi humores acres ex alto blande evocandos. & ſenſim diſſipandos. Puto humorẽ, qvi iſtũ dolorem

fecit

fecit,non eundẽ ſemper perſtitiſſe,ſed naturali calore victũ,occulta diapnoe ſubinde aſſumtũ fuiſſe, relictâ duntaxat exiguâ portiũculâ,à qva in mediis etiã intermiſſionib. nõnulla vellicatio ſẽper ſupereſſet,ac cui aliꝰ de novo humor ſe aſſocians (transmiſſus aliunde,in partem debiliorem,ut ſolet,exonerante ſe natura) dolorem toties repararet.

DE TABE PECTOREA.

CAP. XII.

PEctoream Tabem appellamus, non qvæ intra Pectus ſedem habeat, qvo pacto Phthiſis Pulmonia eo nomine comprehenderetur, ſed in qva ipſa Pectoris crates vitietur; id qvod fit in morbo, qvem hic deſcribendum ſumſimus. Eſt autẽ is, æq; ac Labroſulcium, Puerilis duntaxat ſeu Infantilis, & vulgatiſſimus in Anglia; uti & in Hibernia ab aliqvot añis, ubi antea ſolebat rariſſimus eſſe,ac vix cognitus. Invadit autem non grandiuſculos tantũ infantes,ut fere Labro-ſulcium, ſed & valde teneros, ac recens natos: ſicuti contra rariſſime ullos trimis majores adoritur, & ut plurimũ intra bimatũ ipſum ſe continet. Multæ corporis partes in hoc morbo afficiuntur, Pectus, Caput, Artus, aliæ: ſed præ omnibus ac ante omnia Pectus, cujus pars anterior,qvæ lata eſſe debebat ac plana,anguſtior fit; & utrinq; acclivis,in medio ſeu ſterni regione altius aſſurgit,tandemq; prorſus carinatur.Coſtæ inferiores, ad latus foveæ Ventriculi, introrſum retrahuntur,ac qvandam utrinq; velut ſcrobem faciunt; totoq; ſui ductu qvibusdam velut nodis a-

ſperantur ac inæqvales fiunt. Vitiata pectoris figu-
ra reſpirationem fecit impeditiorem ac crebrio-
rem, cui etiam tuſſicula, plerunq; ſicca, comitatur.
Caput grandeſcit ultra debitum modum; ac pro-
portione inferiores corporis partes, coxæ, femora,
crura, extenuantur ac debileſcunt; unde Infante
inceſſui inepti redduntur, non modo illi, qvi nun-
qvam adhuc eo uſi fuerant, ſed & qvi firmiter ad-
modū agiliterqve incedere ac diſcurrere cœperan
diu ante qvam hoc morbo prehenderentur. Dorſ
ſpina in multis curvatur, atq; arcus inſtar in exteri-
ora flectitur. Oſſa articulorum in brachiis ac cruri-
bus, non omnium, ſed carporum ac talorū, augen-
tur, ac tantopere protuberant, acſi duplicata fer
eſſet eorum moles; unde etiā *Doubling of the joints*
id eſt Juncturarum duplicationem, id vitium no-
minant Angli; qvi morbum ipſum, hoc ſymptoma-
te ſtipatum, *Tent*, indigetant; qvum alioqvin eun
generaliori vocabulo, omnemq; ejus ſpeciem in-
cludente, *The Rickets* appellent. Præter hæc omni
dextrum hypochondrium tumeſcit totum, tumor
æqvali, magno, ac renitente, ſicut digitos ob co-
ſtas nothas adigere non poſſis; & ſane omnis mal
vel origo vel fomes latet hoc in loco, ſicuti mox di-
cemus. Tumor iſte, cum Pectoris aliqvâ anguſtiá
ſtatim in ipſo morbi initio apparent; ſic ut interdu
qvidem ambo iſta ſimul eodemq; tempore ſe pro-
dant, aliàs verò vel hoc vel illud altero nonnihi
anterius ſit; nodi in coſtis, ac ſcrobes iſtæ in imi
oris pectoris, poſtea accedūt; qvando etiā pectus fi
magis magisq; anguſtum. Capitis incrementū iſti

poſte-

poſterius eſt; niſi qvod Pectus toto morbi decurſu arctius redditur, donec ad ſummam anguſtiam deventum ſit, ſic ut carinæ inſtar acutũ fiat ac promineat; qvod fere non fit niſi paucis ante mortẽ diebus. Eſt enim lethalis hic morbus ſi vel negligatur penitus, vel ſerò aut pravè curetur, plurimosqve qvotidie abſumit: neq; ullus eſt annus, qvo non aliqvot millia Infantium eo pereant. Articulorum granditas fere non niſi ultimo loco ſupervenire ſolet: qvanqvam multi ſunt, qvi eam nunqvam patiuntur, ac moriuntur prius, qvam ad eam deveniatur: ſicuti rurſus ex iis, qvibus illa accidit, permulti evadunt, etiamſi incurioſius habeantur; qvippe haud ita periculoſa eſt illa tabis Pectoreæ ſpecies, qvæ hoc ſymptoma trahit, qvam qvæ eo caret.

Origo hujus labis à Jecore eſt perſæpe, non vitiato, ullamve noxam paſſo, ſed ſupra modum adaucto, ita ut plerumq; duplo, imò ferme triplo majus ſit qvam par erat, totamq; anteriorẽ epigaſtrii partem occupet, & ipſum qvoqve ſiniſtrum hypochondrium attingat, interdum qvoq; impleat. Jecur ſic adauctum cum in ipſo ventre non inveniat ſpatii ſatis, ubi ſe commode explicet, à thorace mutuatur qvod ipſi deeſt, ac verſus ſuperiora aſſurgens, diaphragma longe impellit, adeo ut interdum pectoris cavo vix dimidiam partem ſpatii ipſi debiti relinqvat. Pulmones ſic in arctum redacti contrahunt ſeſe, ac in ſeſe colligunt; unde fit ut pectoris qvoqve crates, ipſorum causâ facta, iis ſe accommodet, ac anguſtior evadat. Qvandoqve ab ipſo Pectore & Pulmonibus incipit malum, hectica

qvadam

qvadam ſiccitate, cum nonnullo etiam caloris exceſſu, obſceſſis; qva ſenſim marceſcentes illæ partes, ac ſeſe contrahentes, qvum vix ullum nutrimentum tunc capiant, ſangvinem, qvem in ſtatu naturali valde copioſum, ad ſe trahere ac abſumere ſolent, jecori refundunt; qvod eo circumfluens plus juſto increſcit, atqve in omnem partem ſeſe adauget: cujusmodi nimium Jecoris incrementum, ab eadem cauſa profectum in Phthiſi qvoqve, ſeu Pulmonum tabe, crebro deprehendimus. Sicuti autem in priori caſu Jecoris augmentum principalis hujus Morbi cauſa eſt, ita in hoc qvoqve non parum ad eundem fovendum confert, atq; in progreſſu eadem omnia mala importat, qvæ modo memoravimus; atqve ſi morbum, qvanqvam non ab ipſo cœptum, fovet tamen, & magnopere adauget; neqve in hac Pectorea tabis ſpecie ullum magnopere periculum eſt (ſicuti mox amplius declarabimus) donec iſta à jecore noxa ſupervenerit; qvæ & ſuperven it ſemper, ſi diutius trahatur malũ, neq; ſtatim initio curetur, aut ab alia cauſa præmortuus infans fuerit. Ego ſane, qvum plurima corpora, utravis hujus Morbi ſpecie extincta, ſecuerim, autopſia deprehendi rem ita ſe habere; neq; unqvam mihi adhuc infantis iſto morbo defuncti corpus aperire cõtigit in qvo non prægrande ejusmodi hepar repererim.

Mali hujus originem infantes ſæpe in utero Matris contrahunt, idq; vel mox in ipſo conceptu, vel geſtationis tempore. Prius evenire ſolet, ubi vei pater, vel uterq; parens calida & ſicca utriusq; Viſceris, Jecoris & Pulmonum, vel alterutrius intemperie laborat. Alterum à ſola matre proficiſcitur, qvando ea

in victu

n victu multum peccat, interea dum uterū gerit, atq; Vinum, Cereviſiam fortē, Aqvam-vitæ, crebrius ac largius ingurgitat. odemq; vel Matris vel aſcititiæ Nutricis vitio hæc labes accer-tur etiam Infanti, qvi alioqvin ei ab ortu obnoxius neqvaqvā uerit, ſi liberaliori cujuscunq; Siceræ potui crebrius ac largius ndulgeant, iſtōq; pacto lac ſuū inficiant, ac naturalē ejus bo-itatē corrumpant. Qvandoq; cœcæ huic malo cauſæ ſubſūnt, nfantesq; ejus initia ſecum ex matris utero deferunt, vel poſt-nodum id contrahunt, absqve eo ut ullus ejusmodi defectus el in parentibus vel in nutrice compareat.

Sane ut in aliis permultis humani corporis affectibus, ita in hoc qvoq; aſtra plurimum pollent, certorumqve ſiderum ictus ſti vel procreando vel fovendo magnopere inſerviunt.

Morbus iſte ægrius tollitur, ſi à Jecore cœpit, qvam ſi a Pe-ctore; magisqve etiam, ſi à primo ortu Infans ei obno-xius fuerit. Qvando in Pectore ipſo originem habet, cu-ratio ejus ſatis facilis eſt: qvum ſiccitas, etiam Hectica, qvæ n corporibus adultis fere immedicabilis, in corpore infantili ūm minori difficultate emendetur. Curatur autem balneis ngventisq; emollientibus atq; chalaſticis, aliisqve ad hume-tanda pectoris oſſa pulmoneſqve accommodatis: inter qvæ ellis ovi aut agno recens detractata, & adhuc calens applica-a, atq; aliqvot horis relicta, mirifice multis profuit.

Qvod ſi jam in progreſſu eſt morbus, atq; jecur ſuper au-gere cœpit; aut ſi ab ipſo jecore proceſſit malum: Iſti qvoqve nedicatio adhibenda eſt omnibusq; modis conandum, ut in-cremento ejus obſiſtatur, atq; intra naturalem modum coer-ceatur, qvam in rem non linimenta modò & ungventa, aliaqs Topica, ſed interna qvoqve in uſum trahenda; ſic tamen ut non ſalubritatis tantum ratio habeatur, ſed & teneræ iſti ætati ffectus ac ſapor medicamentorum attemperetur. Pari qvoqve Prudentia cavendū, ne dum refrigerare ac contrahere Jecur ni-imur, obſtructiones aliaq; mala in eo generemus, nimio A-ſtringentium aut intempeſtivo Emplaſticorū uſu, atq; ſic ge-ninā pro ſimplici labē accerſamus, morbumq; penitus incu-rabilem reddamus. Super omnia autem ſciendum, pro internis xternisq; medicamentis ea hic deligēda qvæ & Jecori priva-m amica ſint, & præter communes cū aliis multis medicinis

Refri-

Refrigerandi,atq; Aſtringendi facultates,peculiarem aptitudinem,huic operi neceſſariam ; ſortita ſint. Purgatio nullum hic locum habet; ne ſangvinis qvidem miſſio niſi morbo longius progreſſo, ac capite jam nimiũ aucto : qvando ſangviſugæ venis poſt aures,atq; in fronte,& temporibus,utiliter admoventur,multumq; ad univerſam curationem conducunt ; ideoqve ſi res ita fuerat, ſecundo ac tertio uſurpandæ ſunt.

Victus ratio longe alia in hoc morbo inſtituenda eſt,qvam imprudentioribus , ac naturam ejus non ſatis perſpectam habentibus,videri poſſet: non enim atrophiæ,qua infantes contabeſcunt, per ſe attendendum eſt, neq; conandũ ei occurrere pleniore cibatu,ac validiùs nutriente,qvod eſſet oleum addere camino;ſed contra omnis opera in id adhibenda eſt,ut exuberans ſangvinis compeſcatur,ac nimius ejus fervor,nimiaq; tenuitas & acrimonia coerceantur;qvod qvibus potiſſimũ rebus effici debeat,neminẽ doctumMedicũ latere poteſt. Qvod ſi ita teneri ſint infantes, ut nihil dum præter lac nutriciũ aſſumant, Matri vel nutrici ea danda ſunt, qvæ prædictis ſcopis inſerviant,ac lac earũ debito modo attemperare valeãt. In iis verò infantibus, qvi grandiuſculi jam nondũ tamẽ ablactati, & ubera ſugunt, & alios præterea cibos ac potus aſſumunt, utroq; modo agendum eſt, & tum ipſorum, tum nutricum victus ita ut diximus ordinandus.

Hæc curationis vis,ſolicite obſervata & diu admodũ continuata,(nihil enim hic parvo temporis ſpatio effici poteſt,præſertim ubi altius hæſit malũ) feliciter curatur iſte morbus,Divino favore opus ſecundante. Ac verè affirmare poſſum,fratrem meũ,GerardũBootiũ,& qvamplurimos ita integræ ſanitati reſtituiſſe , non modò qvi eo leviter ac nupere laborabant ſed & qvi diutius ac gravius eo affligabantur; ac qvidem non nullos, in qvibus adeo inveteratus erat,ut vix ſanationem admittere poſſe videretur.

Morbũ iſtũ nõ in Anglia duntaxat & Hibernia;ſed & in aliis qvoq; regionibꝰ graſſari veriſimile eſt,& deGallia qvidẽ mihi certiſſimo conſtat. Qvippe illo trium annorũ & dimidii ſpatio,qvod effluxit,ex qvo illa ſcripſerim,diverſos hicPariſiis infantes vidi eo laborantes, eosq; methodo mihi uſitata atq; iſto capite indicata feliciter perſanavi.

PETI

PETRI MATTHÆI ROSSII

CONSULTATIONES ET OBſervationes ſelectæ, pro morbis ad facultatem Chirurgicam & Phyſicam ſpectantibus rite & ordine curandis.

Conſultationes Medicæ, qvæ in hoc opere continentur.

Conſultatio pro
1. Vera phlegmone.
2. Inflammatione.
3. Exqviſito eryſipelate.
4. Vulnere partium nervoſarum.
5. Vulnere partium nervoſarum altera conſultatio.
6. Ecchimate, Abſceſſu, & Gangræna.
7. Ulcere ſordido.
8. Ulcere corroſivo.
9. Ulcere ſinuoſo.

INDEX OBSERVATIONUM QVORUNDAM MORBORUM HOC LIBRO contentarum.

I.

DE cruris fractura cum vulnere à re contundente, prope juncturam pedis.

2. De Punctura medii digiti dextræ manus circa articulum, qvæ in ulcus diuturnum contumax degeneraverat.

3. De fractura dextri cruris, cum vulnere, cui multa, & parva accidentia ſupervenerant.

4. De Abſceſſu profundo circa femoris caput, falsò iſchiadico dolore credito, & curato ſimiliter.

5. De capite percuſſo, ob caſum ab alto, cum pravis ſymptomatibus.

6. De capite percuſſo cujusdam præcipitati ex ſublimi ſine vulnere, cum ſæviſſimis accidentibus.

7. Cutanei vulneris ex caſu, juxta lambdoidem ſuturam aniculæ, cui & febris, & phlegmonoſum eriſypelas in capite ſupervenerat, curandi ratio: Nec non & aliorum ſimiliter vulneratorum hiſtoriæ: & de calvariæ perforatione nonnulla.

8. De vulnere ad partem fere oppoſitam penetrante, cum fractura coſtarum, à plumbeo globulo, magna vi ignis inflicto, infra os ſcapulæ dextræ, non longe à ſpinali medulla, cum plurimis, & ſæviſſimis ſymptomatibus.

9. De oculo à vulnere perforato cum effuſione humorum, & viſione deperdita, cui adjuncta inflammatio cum maximo dolore, & tumore à medicis ut ſupercreſcens ulcus cum ægrotantis calamitoſa pernicie curabatur.

10. De Danulæ vulgo appellatæ, recidiva.

11. Ulceris calloſi feminis à gangrænæ curatione ibidem relicti, per qvod tota urina etiam involuntarie diffluebat, omni jam ſpe ſanitatis adempta, curatio.

12. De

12. De parvo glandis ulcere corrodente, & præputii tuberculo, longo tempore infeliciter curatis, & jam ferro & igni deſtinatis.
13. De vulnere in humero ſiniſtro recepto, vi ignis à pila plumbea, prope caput, cum oſſis tranſverſi fractura, & omnium adjacentium partium attritione, & ſphacelo ſubjecti brachii.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, D. VIRGINIO URSINO Bracciani Duci, Victorius Roſſius

S. P. D.

MULTA qvidem obſervantiæ, atqve amoris argumenta, Illuſtriſſime, & Excellẽtiſſime Princeps, in URSINIAM domum præ ſe tulit vivens pater meus, qvemadmodum in exercenda ſua facultate erga te filiosqve tuos ſæpius manifeſtum fuit Illud vero cunctis certiſſimum teſtimonium eſſe poteſt, qvod paulo ante qvam diem ſuum obiret, nos filios rogavit, vel etiam juſſit pro jure paterno, qvo illi devincti eramus, ut vos omnes de ſe, ſuisqve bene meritos perpetuo obſeqvio coleremus. Et jure qvidem optimo colere præcepit clariſſimam tuam Familiam

liam, qvam noſtrates, & extranei, ſive antiqviſſimam ſtirpem, ſive tot Heroũ; qvi ſemper in ea floruerunt, res geſtas domi, atq; militiæ ſpectent, admirantur & venerãtur. Sed hæc illuſtriũ ſcriptorũ monumentis notiora ſunt, qvam ut hoc in loco pluribus debeant cenſeri. De te autem qvanta præcipue referri poſſent? Ingenii ſublimitas, qva cunctos in tuæ ſapientiæ admirationem rapis: Morum ſvavitas, qva tecum familiariter verſantes tibi omnino devinctos reddis: Belli peritia, qva Barbaræ gentes te non ſolum egregium Conſiliarium, ſed præſtantiſſimum Imperatorem, ſua cum maxima jactura ſæpius ſenſerunt. Nos itaqve ut ſimul & optimi parentis voluntati gratificaremur, talem patronum ipſius operibus addicentes, atqve ingrati animi crimen effugeremus, immenſa in nos collata beneficia agnoſcentes, hunc ejus libellum nomini tuo nuncupare conſtituimus. Continet nonnullas Conſultationes & Obſervationes ad facultatem Chirurgicam ſpectantes, qvas Medicinæ ſtudioſis utiliſſimas fore

 exiſti-

exiſtimavimus. Te igitur rogo, & obſecro, ut eo animo accipias, qvo ego tibi dedico, & conſecro, meqve ut patrem, fratresqve meos hactenus feciſti, amantiſſime complectaris, atqve tuteris. Nos vero DEum Opt. Max. ſemper orabimus, ut virtutis, amplitudinisqve tuæ fructus eſſe qvam uberrimos, diuturnosqve concedat: vitæqve tuæ ſpacium cum iis bonis velit æqvare, qvæ maxima in te, ſua præpotenti manu benigniſſime contulit. Vale. Florentiæ octavo Idus Januarii, M. DC. VII.

PE-

PETRUS MATTHÆUS ROSSIUS VICTORIO FILIO CHARISSIMO S.

MAximi utiq; momenti eſt in medica facultate ars conſultandi, quippe quæ omnia, qvæ ad morbos recte curandos pertinent, diligenter intuetur: partis nempe affectæ, ac morbi conditionẽ, ejus cauſas præternaturales, prognoſticum, atqve ipſorum morborum curationem. Cum enim ex modo diſtincte conſultandi, qvem tradit hæc pars, ſeqvatur recta curandi ratio, inventio ſcilicet, atqve applicatio remediorum, per propria indicantia inventorum ut quoad fieri poteſt, res præternaturales ab humanis corporibus expellantur, ac naturales ab arte ſalubres reddantur, ſanæq; conſerventur, jure optimo dicere poſſe videmur, conſultandi artem non ſolum utilem, ſed Medico eſſe neceſſariam. Hujus artis cognitio Medicos peritos ab imperitis diſtingvit: cum ille, qui recte ac diſtincte conſultandi imperitus eſt, nulla ratione videatur poſſe excogitare neceſſaria capita utilesque curationis modos; unde procul dubio, qui minus recte conſultare ſciverit inter alios hujus facultatis Profeſſores, indoctior exiſtimabitur. Vulgo enim dici ſolet, cui non licet, qvod minus eſt, in eodem gene-

re, multo minus licuerit, quod erit majus. Qvod ſi quandoq; contingat, ut qvi hâc artis parte deſtituti ſunt, rite circa ægrotantes ſe geſſerint, atqve ipſos in priſtinam ſanitatem reſtituerint, caſui potius qvam ipſorum ſcientiæ hoc adſcribi ſolet. In medica igitur arte ille ſolus docti, ac periti Profeſſoris nomen jure obtinere dicendus eſt, cui bene conſultandi, atqve ex arte id pariter exeqvendi facultas ineſt. Cum itaque ego cupiam te hanc artem pro viribus meis callere, ac merito inter doctos Medicos haberi rerum à me prænarratarum pro artis conſultandi cognitione, aliqva ponam exempla, qvæ multum conducent ad ea, qvæ dicta ſunt facillime capeſſenda & intelligenda. Erit perinde ac ſi deſcendamus ab univerſalibus ad particularia exercendo te in iis, qvæ dicta ſunt univerſaliter. Nam ſine particularibus bonis artifex ex Galeni (2. d. loc. aff. capit. 9.) ſententia effici non poteſt. Et alibi in eodem propoſito. Univerſalis methodus ſine multa exercitatione in ſingularibus artificem bonum efficere non poteſt (l. 9. de Hipp. & Plat. decretis) Poſt univerſalia igitur ad particularia neceſſario deveniendum eſt. Ex qvo ego poſt enarrationem earum rerum, qvæ ad bene conſultandum pertinent, pro tua faciliori, clarioriq; intelligentia, nonnulla conſultationum exempla, qvæ variis temporibus, & pro variis infirmis, in hac, & in aliis Italiæ, & Belgarum urbibus, dum Sereniſſimæ

mæ Margarithæ Auſtriacæ ſerviebam, cum aliis artis medicæ profeſſoribus à me habitæ fuere, hoc in loco apponere mihi viſum fuit. Exempla hæc tibi in conſultationibus magno uſui futuras exiſtimo. Ex his enim percipies, qvomodo in eis procedendum ſit. Qvocirca erunt tibi veluti rudis conſultationum adumbratio, unde non ſolum methodice conſultandi, verum cum rationali arte morbos qvoqve curandi, rectam formam colligere poteris. Inter plurimas vero conſultationes, qvæ à me habitæ ſunt, iſtas paucas ſolum elegi, qvæ tibi in toto opere chirurgico ſint ſatis. De tumoribus præternaturalibus, de vulneribus, ac de ulceribus pertractant. Ex horum enim exemplo in omni caſu chirurgico, te à temetipſo conſultationes longe elegantiores, etiam imparatum confecturum eſſe confido. Sed anteqvam ad ipſas accedas, nonnulla te obſervare velim. Qvando ad tuos ægrotos alii medici vocati fuerint, cura, (ut ægrotanti, pro qvo conſultandum eſt, ex tua conſultatione major ſeqvatur utilitas) ut qvando tempus expectandi datur, unusqviſqve Medicorum, ante diem conſultationi præſtitum, videat, interroget, & ut audiat ſuo arbitrio ægrotantem, qvo melius poſſit præmeditari, qvid in conſultatione pro ægroti ſalute proferendum ſit. Medicus enim ex improviſo accerſitus ad conſultandum, cogitur interdum ea, qvæ à primo conſultore proponũtur, cum parva ægrotãtis utilitate confirma-

firmare. Poſt hanc diligentiam, qvando primo loco loqvuturus eris, tanqvam in curatione primus, ante omnia debes diligenter totam morbi hiſtoriam fideliter recenſere, videlicet initium ſumere à cauſis, unde judicaſti, morbum originem traxiſſe: qvi morbus ex ſymptomatibus, qvæ in ægrotante apparuere, talis eſſe à te probabitur, qvalem dixeris, & à qvibus affectibus præternaturalibus ſumpſeris indicationes curativas, breviter expones (ut cuncta, quæ abs te facta fuerint circa ægrotantem pro reſtituenda ejus ſalute optima ratione facta eſſe appareant) donec perveneris ad ſtatum, in qvo poſtremo reperietur ægrotans. Si vero ad aliorum Medicorum curationes acceſſeris, anteqvam ad conſultationem accedas, ſtude pro ſalute ægrotantis prius interrogare diligenter ægrotum vel ſaltem ejus aſtantes, & miniſtros de conditione morbi, ut integre tuo fungaris munere, ac melius atque tutius poſſis tuam proferre in tali caſu ſententiam. Poſt hæc qvando tuus erit in conſultando loqvendi locus, tunc eatenus de hiſtoria morbi loqveris, qvatenus tibi deſerviet, pro cognitione cauſarum morbi, præſertim ubi qvi prius loqvutus fuit, hiſtoriam exacte recenſuerit. Si vero aliqva ex magis præcipuis ab eo videantur omiſſa de hiſtoria, tunc per epilogum hiſtoriam recenſens propriis locis addere poteris, qvæ à priori fuerint omiſſa, vel poſtpoſita. Omnia vero, qvæ à te dicentur in conſultatione, ſint

ſint ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, & ad utilitatem & ſalutem ægrotantis, & non ad apparatum & oſtentationem, ſeu victoriam, ut qvidam ambitioſi & perverſi homines faciunt, qvi ſolum diligenter in conſultationibus obſervant, quo pacto ab abſtantibus gratiam captent: & ſi qvid dixerint, volunt haberi, tanqvam ab oraculo dictum. Si qvis vero eis etiam cum ſummâ ratione pro veritatis tutela adverſetur, tam male de eo ſentiunt, ut ubicunque eis detur occaſio, ipſi ſemper detrahant, atqve odio eundem proſequantur. Tu vero ſemper ſumma cum modeſtia & humanitate, qvando veritas & ratio te cogant alicui contradicere, humillimeqve te geras, ut ſolum rei veritas, non ulla cauſa te ad id faciendum impellere videatur. Ubi vero fuerint plures ejuſdem ſententiæ, aliquid omnino affirmantes, quod tibi videatur aliter ſe habere, prolatis prius tuis rationibus, & ſi opus fuerit, adductis etiam auctoritatibus, ne hanc conſcientiæ labem in animo habeas, quidquid ſenties, aperies. Qvod ſi ab ipſis nec recipiatur, nec approbetur, in eorum ſententiam devenire non gravaberis. Ratio enim poſtulat, ut plus videant (ut dicitur) oculi, qvam oculus. Et hæc de materia conſultationum, cui adjunxi nonnullos caſus, qvos in opere Chirurgico præ manibus habui. In his vero tacui aliqvorum Medicorum nomen, ne alicujus famam offenderem: qvoniam hoc ſolum propoſitum mihi eſt,

tibi

tibi prodeſſe, ut tuis ægrotis opem ferre poſſis, non autem alterum ullo pacto lædere. Ne autem inſignes iſti caſus ficti judicarentur, ſed qvemadmodum veri fuerunt, pro talibus habeantur, appoſui ægrotantium & locorum nomina in qvibus ipſe eos præ manibus habui. Ex qvorum adnimadverſione non dubito, qvin tibi maxima emanatura ſit utilitas. Nam errores alieni eum, qui ipſos animadvertat, qvam maxime cautum reddere ſolent. Et hæc omnia ſint ad laudem, & gloriam ſummi, atque æterni omnium rerum opificis, cujus nomen ſit ſemper benedictum Vale. Datum Florentiæ, Kal. Maji, M. DC. II.

FRANCISCO BROGNONIO PATRITIO VERONENSI, Philoſopho ac Medico Excellentiſſimo VICTORIUS ROSSIUS, Philoſophus ac Medicus,

S. P. D.

CUM Florentiam Patavio remeaſſem, (qvam ut patriam colo) paulum ocii nactus, varia patris mei ſcripta evolvere cœpi. Inter hæc inveni nonnullas conſultationes medicas, qvas ſvadentibus præclariſſimis in hac facultate viris, nempe Hieronymo Mercuriali, ac Hieronymo Fabritio ab Aqvapendente, atqve item Joanne Thoma Minadoo, olim præceptoribus noſtris, in publicum edere conſtitui. Cenſeo autem, hic non modicam utilitatem Medicinæ ſtudioſos eſſe capturos, præcipue cum adjunctus ſit qvaſi corollarii vice Tractatus qvo ars Conſultandi brevi compendio traditur. Cum igitur ſcirem, te diutius Chirurgicæ facultati, qvæ ad theoricam pertinet, operam navaſſe, & in conſultandi ratione diligentiſſi-

tiſſimum eſſe, atqve inſuper recordarer, inter alia, de qvibus inter nos amice Patavii diſputavimus, fuiſſe de cura veræ Phlegmonis dubitatum, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi conſultationem hanc de vera Phlegmone, ad te mitterem: erit enim ſimul & noſtri amoris, diſputationumqve noſtrarum teſtimonium, tibiqve fortaſſe manifeſtiſſimum reddet, qvod eo tempore dubitatione dignum videbatur. Obſervationes Chirurgicæ tantopere abs te exoptatæ in lucem prodibunt, ubi primum mihi pro ſervitio, qvod Sereniſſimis Hetruriæ Principibus debeo, conceſſum fuerit. Interim his fruere, & me, ut adhuc feciſti, ama. Vale. Florentiæ decimo tertio Kal. Novembris, M. DC. VI.

PETRI MATTHÆI ROSSII MEDICI, AC PHILOSOPHI PRÆCLARISSIMI, CONSULTATIONES PRO NONNULLIS MORbis ad facultatem Chirurgicam, & Phyſiſicam attinentibus, & ordine curandis.

I. Pro vera phlegmone Conſultatio.

EXcellentiſſimi Doctores, qvia initium curationis, cujuſcunqve affectus præternaturalis, ſi is ratione & methodo curandus ſit, non ſolum à natura ipſius, verum à partis affectæ conditione petendum eſt (nam licet affectus natura auxilii genus præſcribat. particulæ tamen conditio qvantitatem auxilii limitat, ac ejus materiam & modum docet) ideo primum naturam affectuum, & partis affectæ conditionem, explicandas eſſe puto. Cum in præſenti caſu pars affecta, & affectus qvo ipſa vexatur, ſenſibus viſus, ac tactus ſubjaceant (nos enim videmus, ac manibus contrectamus partem carnoſam externam dextri femoris, D. H.

contra naturam tumefactam eſſe cum ipſius actionis læſione) poſſumus indubitanter aſſerere partem affectam eſſe femur dextrum; morbum vero eſſe tumorẽ præter naturam; cujus tumoris cauſa eſt aliqva materia, qvæ partem replendo diſtendit & auget. Hæc autem materia in loco affecto, vel paulatim congeritur ob errorem facultaris concoqventis, & ob imbecillitatem expellentis; vel repente aliunde influit. Cum in præſenti caſu, pars repente tumefieri cœperit, ex affluente aliunde materia partem in tumorem attolli, fatendum eſt. Fluxionis vero cauſa duplex eſſe poteſt, vel pars transmittens, vel recipiens. Pars tranſmittit irritata, vel à multitudine, vel à malitia humoris. Pars recipiens, aut attrahit humorem propter calorem, vel dolorem; aut recipit ſaltem ab aliis partibus profligatum ob imbecillitatem nativam, vel aſcititiam, ſitum declivem, amplitudinem canalium, vel conformationem talem, qvæ impar ſit ulteriori materiæ propulſationi. His de cauſis materia in affecta parte verſatur, qvæ cum adeo multa ſit, ut non ſolum magna vaſa diſtendat, ſed etiam parva, tum neqveat ob copiam contineri, effunditur ex vaſis roris modo, ex ipſorum tum capitibus, tum tunicis deſtillans, & excidit in ſpacia, qvæ inter muſculos & partes ſimilares intercedunt, ac tandem caro ipſa iſtiuſmodi materia ſuffunditur, eamq; veluti abſorbet, atqve ita pars præter naturam extumeſcit, in qva cum nullus præceſſerit dolor,

nec

nec calor aliqvis immoderatus ſupervenerit, ab humore aliunde tranſmiſſo, non autem attracto, tumorem excitari, judicare poſſumus. Cum in præſenti ægrotante univerſus corporis habitus plenior ſit, atqve in eo venæ tumidiores, ac pleniores appareant, ab univerſo corporis habitu, maxime vero à jecinore, humoris fluentis tranſmiſſionem fieri judicandum eſt. Pars recipiens qvæ ſit, manifeſte apparet.

Qvalis vero ſit humor tranſmiſſus, ex propriis ſignis humorem peccantem in parte tumida contentum perpetuo comitantibus, intelligemus. Humor enim qvi in parte tumida præter naturam verſatur, qvam habet qvalitatem, illi neceſſario impertit. Cum itaqve in parte tumida ab ægrotante calor ingẽs velut accenſa flamma percipiatur, & adſit febris, tumorem gigni ab humore calido omnino fatendum eſt; in qvo tumore cum adſit rubor, dolor cum pulſu moleſto, tenſio, & renitentia inter comprimendũ, qvorum concurſus nunqvam ab inflammatione ſeparatur, & cum non ſit parva horum ſymptomatum ſyndrome, à copia ſangvinis puri, modice craſſi, & non ab alio parvo humore calido, tumorem fieri, teſte Galeno 2. ad Glauc. aſſerendum eſt. Hic autem tumor ob ingentem, qvem habet calorem, à Græcis phlegmone, à Latinis vero inflammatio nuncupatur. Pro ejus recta curandi ratione, intellectâ tumoris ſpecie, id eſt, à qvo fiat humore, qvi ipſius tumoris

ſpeciem conſtituit, & conſiderata partis affect natura,conſideranda eſt tumoris qvantitas, nu merus,& tempus: qvoniam hæc in tumoris cu ratione aliqvam efficiunt mutationem. Qvo igitur ſpectat ad qvantitatem, cum magnan partem femoris occupet ipſa inflammatio, ma gna eſt dicenda. Qvod vero attinet ad nume rum, cum in ea non adſint, niſi ſigna bona ſan gvinis copia peccantis, vera phlegmones nun cupanda erit.

Qvod vero pertinet ad tempus, cum phle gmonis tumor augeatur, paucique interceſſe rint dies, ex qvo oriri cœperit, recens, & in au gmento à nobis ea judicari poteſt. Qvibus it ſe habentibus, conditio tumoris erit phlegmo ne vera juncta cum ejus cauſa, genita & com tata à multitudine, non autem malitia ſangv nis tranſmiſſi, recens, in augmento, & in fe more conſiſtens.id eſt, in parte externa corpo ris carnoſa, calida, rara,non nobili, neqùe acu to ſenſu prædita & in ſuperficie. Hic tumor no ſolus, ſed comitatus eſt,cum cauſam adhuc ha beat ipſum augentem, ſitqve (ut ajunt) in fier Unde cum duplex ſit affectus præter naturam nempe morbus,id eſt,tumor, qui factus eſt, & cauſa, id eſt, humoris affluxus, qvi tumorem auget;in curatione ejusdem tumoris, duple etiam oritur indicatio. Una eſt, cum timor ſ morbus in vitio magnitudinis præternatural auctæ, ejusdem tumoris ablationem fieri d bere. Altera vero fluentis materiæ prohibitio

ncn

em. Qvæ duo an conſeqvi poſſimus, non eſt facile dictu; quia non ſolum finem futurum, ſed etiam modum, & tempus, qvo finis futurus eſt, in tumoribus curandis prænoſcere debemus.

Hæc autem monſtrabit robur cauſarum, hoc eſt, naturæ, & morbi; nam ubi validior videatur eſſe natura, ſalutem pollicetur; ubi morbus, interitum minatur; ubi utriuſqve vires videantur æqvales, denuntiant tumorem incurabilem permanſurum eſſe. Utrum igitur validius ſit, ſive naturæ, ſive morbi robur, intelligendum. Qvod ex rebus præternaturalibus, naturalibus, non naturalibus, & ex juvantibus, & nocentibus colligere poterimus. Qvod ſpectat ad res præternaturales, tumor cum ſit & ſua mole valde magnus, & comitatus à febre, & à cauſa ipſum augente, morbi robur validum eſſe apparet. Attamen cum fiat ab humore naturali, & benigno, cum ſit recens, & in ſuperficie partis, nec habeat prava ſymptomata, immo leviora ſint, qvam tumoris eſſentiæ conveniat, naturam morbo ſuperiorem fore indicare poſſumus. Idem confirmant res naturales, ut eſt bonus ægrotantis habitus, vires validæ, & ætas juventutis, idem etiam pars affecta, cum illa ſit externa ignobilis, carnoſa, nec valde ſentiens, & propterea finis in hoc tumore ſalubris indicari poteſt. Tumor vero cum ſit magnus, comitatusqve à febre, & à cauſa ipſum augente, & ſimus ſub aere non calido, jure timendum

eſt, modum ſalutis, non per diſcuſſionem, qvæ optabilior & brevior eſt, ſed per ſuppurationem, qvæ longiori tempore ſit, ſucceſſurum. Et hæc ſunt, qvæ in hoc tumore prænuncianda à nobis eſſe judico. Qvod atine ad curationem, cum ablatio præternaturali magnitudinis minime fieri poſſit, niſi prius in hibeatur ne nova materia ad tumorem con currat, hujus primum habenda eſt ratio. Er go pro ejus executione ſic procedendum eſſ arbitror; nempe ut primo prohibeamus, n copia ſagvinis in corpore colligatur, dein de ne collecta ad tumorem feratur. Ne ſan gvinis multitudo in corpore contrahatur, te nui victu prohibebimus. Tenuis enim victu non ſolum prohibet, ne in corpore ſagvis au geatur, imo totum (licet lente) ſagvinem di minuit. Verum qvia inflammatio febrem ac cendit, hujus etiam in ratione victus habend eſt ratio, ideo victus non ſolum tenuis pro di minutione totius ſangvinis, ſed etiam refri gerans, & modice humectans pro refrigeratic ne caloris præternataralis, eſſe debet & ſi conveniet aer clarus, ſyncerus, & frigidiu ſculus. Qvies animi, & corporis, ſomnus mo deratus, non diurnus, & præſertim meridianus Alvus mollis, vel ſit natura, vel arte. Conve niet cibus pauci nutrimenti, & non in mult qvantitate exhibitus, refrigerans, & hum ctans, qvalis eſt lactuca, endivia, cichorium acetoſa, borrago, panatella cum lacte (ut di

cunt

ſunt) ſeminum melonum, vel jure pulli gallinacei confecta; hordeum decorticatum, cremor hordei, panis lotus, & ſemina melonum. Nocet exercitium partis phlegmone obſeſſæ; ira, contentio, clamor & Venus. Nocet cibus pingvis, dulcis, acris & multi ſucci, ut ſunt carnes, ova & reliqva, qvæ multum alunt, præſertim vinum; qvia non ſolum valde nutrit, ſed calefaciendo exacuit humores, & fluxiones concitat. Cõvenit igitur pro potu aqva cocta ſimplex vel cum hordeo cocta, cum julep violaceo, vel roſaceo admixta. Et hæc ſunt, qvæ ad rationem victus convenire mihi videntur, ne copia ſangvinis in corpore colligatur, & ut calor febrilis remittatur. Pro ejusdem majori remiſſione laudo, ut in diluculo ſumat jus ſine ſale pulli gallinacei ad ſex unciarum pondus, in qvo prius decocta ſint endivia, cichorium, acetoſa, & borrago, addendo pro qvalibet vice in dicto jure unciam unam ſyrupi ex ſucco citri. Veſpere vero per tres horas ante cibum, aſſumat uncias ſex cremoris hordei, cum ſeminibus melonum facti, & aqvis cordialibus diſſoluti, & cum uncia una ſyrupi roſati ſimplicis. Ne vero collecta ſangvinis copia ad tumorem feratur, qva ratione fiat, docebit nos natura ipſa rei, qvæ tribus continetur, ſangvine, parte tranſmittente, & parte recipiente. Sangvinis cum copia peccet, & fluat, evacuari à parte tranſmittente, & revelli à recipiente debet. Diximus ab univerſo corporis habitu, & ab hepate fieri ſangvinis

 trans-

tranſmiſſionem, ergo ab hepate fieri debet ſangvinis eductio, cui ſcopo citiſſime inſerviet venæ ſectio. Iccirco præmiſſa alvi lenitione per lenientem clyſterem, laudo ut ſangvis mittatur ad unius libræ qvantitatem, ex vena jecoris inciſa ejusdem lateris affecti. Hoc enim modo cito ſangvinem redundantem evacuabimus à parte tranſmittente, nempe ab hepate, & ab univerſo corpore, & fluentem revellemus à parte recipiente. Facta revulſione cum evacuatione manifeſta probo alteram revellendi ſpeciem, quæ citra conſpicuam evacuationem fit, cujuſmodi ſunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ absque ſcarificatione, & ſimilia: ideo in parte contraria, mane & veſpere, per horam ante cibum, libenter ad uſum frictionum, & ligaturarum accederem. Et hæc ſunt quæ ſpectant ad partem tranſmittentem, & ad humorem, id eſt, ſanguinem fluentem. Quod vero attinet ad partem recipientem, cum dixerimus in ea non præceſſiſſe neque dolorem, neq; aliqvem immoderatum calorem; ob imbecillitatem ejus naturalem, fluxionem accipere fatendum eſt. Partes enim quæ validę ſunt, non ſolum non admittunt quod noxium aliunde transfertur, ſed, ſi quid tale habent, expellunt. Ad quam imbecillitatem cum referatur laxitas ſubſtantiæ, amplitudo canalium & ſitus inferior; ne pars accipiat, ſi quid amplius influat, partis corroboratio, ſubſtantiæ & canaliũ adſtrictio, ac ejusdẽ partis ſitus acclivis indicatur. Ergo pars corroborari, & adſtringi

ſtringi debet. Verum quia in eadem parte affecta, præter dicta aliqvid præter naturã reperitur, ejusdem rei præternaturalis etiã euacuatio indicatur. Omnia ſupra dicta commode efficient, repellentia medicamenta parti affectæ adhibita, quale poteſt eſſe ſequẽs auxilium, quod adſtringendo, & refrigerando, corroborat & adſtringit clauditque partem. Quod non ſolum influentes humores repellit, & in parte recipi prohibet; ſed qui jam fluxerunt, & in parte recepti ſunt, retro commeare cogit. Hoc remedio applicato, partẽ affectam ſublimiori ſitu collocabimus. Deſcriptio medicamenti talis eſſe poteſt, videlicet:

℞. Foliorum plantaginis
Matrum violarum an. M.j.ß.
Roſarum rubearum
Hordei integri an.M.ß.
Seminis citoniorum ʒ.v.

Decoquantur omnia in aqua, q.ſ. uſque ad perfectam cocturam, deinde colentur, & fortiter exprimantur, & omnia bene contuſa per ſetaceum exprimantur, cui expreſſioni addantur

Olei roſac. ℥.iiij.
Unguenti roſati ℥. j.ß.
Ceræ albæ ℥. ij.

liquefacta ad ignem, iterum bulliant cum prædicta expreſſione per quartam partem unius horæ lento igne, & ſtatim addantur

Farinæ hordei bene cribatæ ℥. ij.

& utere.

Si ex uſu hujus cataplaſmatis diminuantur tu-

 moris

moris ſymptomata, id eſt dolor, calor, rubor & tenſio, diminuetur etiam morbus. id eſt tumor præter naturam. Ex qvo apparebit cauſam qvæ fovebat & audebat ipſum tumorem, ex ſupradictis auxiliis omnino remotam fuiſſe. In qvo caſu ſola coveniret humoris in parte peccantis eductio, qvam non amplius repellentibus, ſed diſcutientibus præſidiis rentare convenit; pro ejus executione.

℞. Capitum liliorum alborum ℥. iiij.
Radicum altheæ recentium libram j.
Chamæmeli
Meliloti an. M.ß.
Furfuris M.j.

decoqvantur in aqva ſufficienti omnia, deinde colentur, & exprimantur. Facta expreſſione, colligantur radices altheæ & liliorum capita, fruſtatim incidantur, tundantur, & cribrentur diligenter, qvibus poſtea addantur

Olei roſ.
Chamæmelini
Anethini
De liliis an. ℥. ij.
Medullæ crurum vituli
& vaccarum
Pingvedinis gallinaceæ an. ℥. j.
Ceræ albæ ℥. j. ß.
Carnis pomorũ ſub prunis decoctor. ℥. iij. ß.

liqvefacta omnia ad ignem lentum cum prædicta cribratura bulliant, ſemper baculo per di-

midi.

midium horæ agitata, & fiat emplaſtrum, qvod pro reſolutione apoſtematis calidi, à qvacunqꝫ cauſa excitati, mirum in modum prodeſſe ſolet. Et ſi materia tumorem faciens digeri videatur, in ſimilibus auxiliis, variis formis, ſi opus fuerit applicatis: uſqꝫ ad integram apoſtematis reſolutionem, perſiſtendum eſſe judico. At ſi tumor cum ſuis ſymptomatibus augeatur, præſertim febris cum horrore, jam ſuppurare tumorem intelligemus. In qvo caſu cum morbus mutetur, ita & curationis ratio mutari debet. Antea reſpiciebamus materiam, qvatenus fluxerat, & qvatenus fluebat, & fluere poterat; ideo qvatenus fluxerat, diſcutientia, profluente, & fluxura, revellentia, ac repellentia præſidia adhibenda eſſe propoſuimus. Si vero materia ad ſuppurationem tendat, in ea reſpicienda eſt transmutatio qvæ ſit ad puris generationem. Qvæ puris generatio, cum fiat à calore partis affectæ nativo, imbecilliter tamen operante, ob humorum majorem qvantitatem, qvam qvæ ſecundam naturam ab ipſo nativo partis calore mutari ſolet, idcirco auxilia pus generantia non ſolum calori partis affectæ nativo ſimillima, nempe temperate calida & humida, ut conſervent ipſum calorem, verum etiam ut obſtruendo augeant qvantitatem ipſius innati caloris, emplaſtica eſſe debent. Nam dum obſtruunt inconſpicuos meatus per qvos difflatur corpus, ſpiritus includũt ut nõ digerãtur, ſed intus aucti ſuppurationi velociori auxilio ſunt.

Eorum

Erunt igitur adminiſtranda pus moventia emplaſtica ac temperate calida & humida, hæc aut ſimilia hoc modo, videlicet:

℞. Foliorum malvarum
Matrum violarum an. M. j.
Radicis altheæ ℔ ß.

Decoqvantur in jure carnium abſqve ſale, poſtea ſubigantur in mortario, & per ſetaceum pellantur, & expreſſa cum prædicta decoctione, & farina hordei. & tritici an. q. ſ. fiat emplaſtrum ſolidum, addendo

Butyri
Olei amygdalarum dulcium an ℥ iij
Vitellorum ovorum n. ij.
Croci momentum,

& utere. Suppurato jam abſeſſu, qvi ſuppuratus eſſe dignoſcitur ex ſedatione doloris, ex remiſſione febris, ex parte aliqva abſceſſus cæteris facta eminentiori, atq; in mucronem ſubducta & albeſcente, ad hæc ex percepta ſub digitis prementibus inundatione, (cum ſit ex illis morbis, qvi ex alicujus humoris repletione fiunt) pro ſui curatione, indicatur humoris abſceſſum implentis evacuatio, qvæ in hoc caſu, ob copiam humoris replentis, non obſcure, hoc eſt per digerentia medicamenta, ſed per apertionem ab arte factam, cum effuſione puris manifeſta fieri debet. Ergo abſceſſus eſt aperiendus, non cauſtico medicamento, neqve igne; qvia materia peccans eſt calida, ſed ſcalpello bene incidente, ſecundum longitudinem fibrarum, ſubjectorum muſculo-

ſculorum,in eminentiori parte abſceſſus. Ibi e-
nim cutis tenuiſſima eſt. Plaga autem deorſum
ſpectet,ut pus melius educi poſſit. Aperto ab-
ſceſſu,pus evacuandum eſt, non tamen totum
ſimul, ut nos monet Hippocrates: 6. Aph. 27.
poſtea ſtupa eſt imponenda ovi albumine ſuba-
cta tam intus,qvam foris, hoc eſt ſupra vulneris
labia. Hoc medicamentum, ſangvinis profluvi-
um ſupprimit,dolorem ſedat, refrigerat, & par-
tem inciſam inflammari prohibet; Qvibus omni-
bus in tali caſu indigemus. Poſtea aperto abſceſ-
ſu,ut inflammatio in ulcus tranſit,ita curatio ul-
ceris uſurpetnr, videlicet per tres,aut qvatuor
dies, medicamenta concoqventia applicentur,
ut eſt digeſtivum ex terebinthina lota,& ovi lu-
teo factum. Poſtea deterſoria, deinde ſarcotica,
demum cicatricem inducentia adhibenda ſunt.
Et hæc ſunt,qvæ in præſenti caſu facienda eſſe
exiſtimo.

II. Pro inflammatione Conſultatio.

DOctiſſimi Viri, cùm in præſenti ægrotante,
pars poſterior carnoſa cruris ſiniſtri præter
naturam tumefieri cœperit, ut ad ſenſum viſus
ac tactus manifeſte apparet; qvæ pars affecta ſit,
ambigendum non eſt. Cum vero præter naturam
tumida conſpiciatur, atqve ejus [illegible]
eſſe ab ægrotante audiamus affectus in ea con-
ſiſtens in genere tumorum præter naturam [illegible]
reponendus erit. Noſtri vero corporis partes
in tumorem non attolluntur, niſi materia ali-
qva repletæ diſtendantur. Ea vero materia, vel

in loco affecto ob ejus temperaturæ vitium gignitur.vel aliunde affluit. Cum igitur non paulatim,ſed fere ſubito pars tumefieri cœperit, ex affluente aliunde materia tumorem gigni judicandum eſt. Tumor enim præter naturam, qvi ſit ob vitiatam ex partis intemperie concoctionem,ſicuti paulatim fit congeſtio, ita paulatim exoritur.Ex qvo cauſa pręſentis tumoris preternaturalis erit humorũ affluxus aliunde proveniens,cujus fluxionis cauſa duplicem ſedẽ habere poteſt,videl. aut in partib mittentibus, qvando ſcilicet facultas expultrix vel à copia,vel à moleſta qvalitate materię irritata illam ad imbecilliores partes propellit, aut in recipientibus, qvando vel ob calorẽ,vel ob dolorẽ,ſupervacui humores attrahũtur.Cum pręſens ægrotus ex ictu valido à re contundente, in parte tumore obſeſſa, contuſionẽ acceperit,unde ſeqvutus eſt ingens dolor, jure aſſerendum eſt à dolore partis affectæ, fluxionẽ originem traxiſſe. Verum niſi adfuiſſet in corpore copia humoris, hac occaſione ſolum pars tam cito tumefieri ſine dubio non cœpiſſet. Qvælibet n. pars, qvod ſibi neceſſarium eſt, nec rejicit,nec trahenti cedit;ex qvo maxima fluxionis occaſio eſt copia exuperantis humoris in toto corpore exiſtens una cũ dolore partis humores attrahentis, qvi humores licet ſemper mixti fluant,nihilominus ſæpe accidit,ut unus humor copia,& viribus aliis ſuperior exiſtat. Qvalis autem ſit, ex ſymptomatibus tumorem perpetuo comitãtibus facile à nobis colligi poterit, qvemadmo-

admodum in præſenti caſu. Cum n. in tumore adſit calor adeo vehemens, ut ab ægro velut accenſa flamma percipiatur; adſit rubor, dolor, cum pulſu, & renitentia inter comprimendum, ex Galeni 2. ad Glauc. c.12. 14.meth. ſententia, tumorem hunc à confluxu ſangvinis fieri cenſendum eſt. Nam ſupradicta ſymptomata ſimul juncta, à ſangvine in tumoribus præternaturalibus & non à prædominio aliorum humorũ generari poſſunt. Qvi tumor à Græcis phlegmone, à Latinis inflammatio dici ſolet. Hæc cum incrementũ acqvirit in ſua mole & ſymptomatibus, partim fit & partim jam facta eſt, & ſic pro ejus curatione duæ oriuntur indicationes, videlicet; primum prohibendum eſt, ne inflammatio augeatur; deinde jã facta auferenda eſt. Qvib. duabus indicationib. an ſatisfacere poſſimus, nõ eſt adeo facile proferre. In tumorib.n. præternaturalibus nõ unus eſt finis, ſed triplex eſſe poteſt, videlicet vel ſalubris, vel pernicioſ9, vel neuter: neqve uno modo ſuccedit. Nã modus ſalutis eſt, ut humor tumorẽ faciens, vel digeratur, vel ſuppuretur. Modus interitus, ut vel transferatur ad nobiliores partes, vel putreſcat, & partes corrũpat. Neuter cũ tumor degenerat in ſcirrhũ, qvi neq; ſanatur, neq; hominẽ interficit. Temp9 etiam variũ eſt, videlicet breve, vel longũ, in qvo prædicta ſeqvi poſſũt. Ideo in tumorib. præternaturalib. qvi qvid futurũ eſt, & qvo modo, & qvo tẽpore ſuccedere poſſit, intelligere debemus, ſi recte de eis prænunciare velimus. Hoc autem intelligemus

gemus ex cauſis inter ſe pugnantibus ex robore videlicet naturæ, ut ait Gal. 4. de præſ. ex pulſ. de conſt. art 18. & ex robore morbi. Nam, ubi vincat natura, ſequetur ſalus; ubi morbus, interitus; ubi neq; natura, neq; morbus ſuperēt, tumor ſcirrhoſus permāſurus erit. Cū in pręſenti ægroto tumor non ſit valde magnus, & à cauſa externa; hūoribusq; naturalib9 calidis, modice craſſis, ac benignis excitatus ſit; & cum reperiatur in parte carnoſa, nō denſa, nec admodū ſenſibili, neq; præſtanti, atq; in corpore juvenili robuſto, & boni habitus, naturæ robur validū eſſe manifeſte intelligimus; unde ſperandum eſt finē in hoc tumore, ſalubrem eſſe futurum. An vero per digeſtionem vel ſuppurationem, non ita explicate prænunciari poteſt. Cum enim comitatus ſit ab ingenti dolore, qui eſt cauſa continuę fluxionis, etiamſi corpus purū exiſtat, ut ait Gal. niſi poterimus prius dolorem ſedare, tumoris reſolutionem ſperare non debemus. Immo ſi perſeveret dolor, verendum eſt, ne tumor degeneret in abceſſum, qui poſtea ſuppurātibus tractandus, inde aperiendus, abſtergendus, & exiccandus erit, ſic longiori tempore ſequetur ſalus, quam ſi diſcuteretur. Ergo in hoc caſu judiciū à dolore pendet, qui ſi ſedabitur, ſperanda eſt cita tumoris reſolutio; ſin minus, expectanda eſt in eo ſuppuratio. Uterq; tamen modus erit ſalubris, licet unus breviori, alter longiori tempore fiat. Et hoc eſt quod ad prognoſticum ſpectat. Ordo nunc poſtulat, ut ad curandi rationem accedamus

mus. Pro executione igitur ſupra dictarum indicationum, videlicet ne inflammatio augeatur, ac deinde facta auferatur, ſic procedendum eſſe judico, cum inflammatio augeatur à nova materia ad locum affectum confluente, prohibendum eſt, ne confluat, qvod fiet primo prohibendo, ne multitudo materiæ, id eſt, ſangvinis in corpore colligatur; deinde ne jam collect9 feratur ad locum affectum. Ne amplius colligatur ſangvinis copia, res ex voto ſuccedit, ſi removeamus cauſas ipſum gignentes. Hæ vero duæ ſunt nempe effectrix & materia. Effectricem, cum ſit moderata jecinoris temperatura, non oportet removere, ſed tueri, ſolam igitur removere materiã licet, h. e. cibos, & potiones, qvi materiã ſuppeditant multo ſangvini gignendo. Ergo à carnib. ovis reliqvisq; qvæ multũ alunt, abſtinendũ eſſe cenſeo, & præſertim à vino. Utatur itaq; paucis & parum nutrientib. cibis, ut eſt panatella cũ lacte ſeminum melonũ, vel amygdalarũ dulciũ confecta. hordeo mundo vel ptiſana, farricello, oleribus, ut ſunt borrago, endivia, acetoſa, cichoriũ, & ſimilia. Pro potu uti poterit aqva cocta ſimplici, vel cũ hordeo, vel ſi libuerit, cum julepo violaceo, vel roſaceo admiſta. Nec non potiſſimum à crapula, & ingluvie cavendũ eſt. Et hæc ſunt remedia ex meâ ſentẽtia ne multitudo ſangvinis in corpore colligatur. Verùm qvia victus ratio non ſolum includit cibum, & potum, ſed etiam omnia neceſſario alterantia ut ait Gal. 3. A. M. qvum ſemper inſtitui debent & morbo & cauſæ

contraria, icirco cùm phlegmone, ejuſqꝫ cauſa calidi ſint affectus præternaturales, febresqꝫ ac cendant, omnia ad frigiditatem, & moderatã humiditatem ſpectare debent. Aer igitur ſincerus & clarus, iſqꝫ frigidiuſculus in hoc caſu cõvenit. Convenit præterea ne pars phlegmone obſeſſa exerceatur, ſed qvies qvam maxime fieri poteſt conſervetur. In ſomno & vigiliis modus tenẽdus eſt; nam ſi modũ exceſſerint, ut ait Hip. 2. Aph. 3 malum. Qvare ſomnus meridianus vitãdus eſt. Alvus mollis, & ſi opus eſt clyſteribus ſervanda ut alvi excrementa qvotidie natura, aut arte excernantur: Ira, clamor, contẽtio, & Venus fugiẽda ſunt. Qvatenus vero ſpectat ad ſangvinẽ, qvi jam in corpore collectus eſt, ne confluere poſſit ad locum inflammatum, qvid efficiendum ſit, demonſtrat rei natura, qvæ in tribus conſiſtit, in humore, in loco unde venit, & in eo ad qvem fluit. Humor, id eſt ſangvis, ut copia lædens indicat evacuationem, & ut fluens indicat revulſionem. Ergo evacuari & averti debet. Ad utrumqve autem prodeſt venæ ſectio. Iccirco lenita alvo clyſtere lenitivo, laudo ut ejuſdem lateris vena jecoraria pertundatur, ſangvisqꝫ ad unius libræ quantitatem detrahatur. Vires enim tolerant, ætas conſentit, & anni tempus non prohibet. Hoc modo cito evacuabimus humorem redundantem à loco mittente, nempe ab hepate, & ab univerſo corpore, ac eodem præſidio & tempore, ipſum humorem avertemus à loco patiente. Et qvia conferunt non parum ad fa-

cien-

ciendam retractionem ſangvinis in partem affectam confluentis, frictiones & ligaturæ partis oppoſitæ; ideo mane & veſpere una hora ante cibum iſtis revulſionum generibus nõ eſſe parcendum cenſeo. Uſus etiam nonnullorum medicamentorum fortaſſe non eſſet rejiciendus, ut

℞. Floris caſſiæ n. t. ℥ j.
Pulpæ tamarindorum ʒ. iij.
M. & cum ſaccharo f. b.

ſunt qvoqve ſyr. roſ. ſolutivus, rhabarbarum & alia hujus ordinis. Cum autem locus patiens cauſa doloris à contuſione concitati alliciat ad ſe humores, atqve inde calefiat præter naturam ut ex colore partis rubro, & ex ægrotantis ſenſu calidiſſimo, nec non ex tactu patet, indicatur lenitio doloris, ac refrigeratio præternaturalis caloris. Pro qvibus duabus indicationibus aſſeqvendis, libenter ungventum roſaceum applicarem. Qvod ratione roſarum refrigerat, & repellit; ratione vero olei amygdalarum dulcium & adipis ſuillæ, partem laxando, dolorem lenit ac mitigat. Ad idem valet etiam cataplaſma factum ex pane, cum foliis plantaginis, & lenticula decoctis in oleo roſaceo; utraq; n. facultate prædictum eſt, nempe refrigerante, & leniente. Refrigerat plantago & lenticula, panis vero & oleũ roſaceũ lenit. qvib. duobus in inflamatione à vehementi dolore cõcitata, indigem9, ut eſt præſens, in qva refrigerantia & ſiccantia ſola nõ conveniũt, qvia partẽ cõtrahendo, & exaſperando dolorẽ augẽt) nec etiam laxantia & molliẽtia, qvalia

ſunt cataplaſma ex triticea farina, oleo, & aqv confectum; vel aqvę calidę, & olei perſuſio; qv licet ſtatim dolorem lenire poſſint, laxando ta men, fluxiones magis prolectant: unde paul poſt majores concitantur dolores. Verũ ex con ſilio Galeni, ut influẽs materia reprimatur, repel lentia pura prope locũ inflamatũ applicari de bent. nam inflam̃atę parti impoſita, dolorẽ (ut di xi) exacerbant. Ideo laudo uſũ defenſivi, vel ali qvod aliud ſimile pręſidiũ, nam adſtringẽdo par tem, per qvã fluxionẽ deſcendere putãus, fluxio nem prohibebimus. Pręterea, qvia motus calorẽ calor vero ut ait Hip. de off in fine, humorem e vocat, ne in parte calor augeatur, denuo re peto, ut pars tumida qvantum fieri poteſt qvi eſcat, ac in ſitu acclivi, dummodo in eo par ægra non doleat, immobilis ſervetur. Ex qvibu præſidiis lenitionem doloris, ac partis præter na turam calefactæ, refrigerationem conſeqvi ſpe rarem, & ſic cum aliis ſupra commemoratis au xiliis, lenito dolore, refrigerataqve parte affect prohibebitur ne humor qvi jam genitus eſt i corpore, feratur ad locum affectum, & ex con ſeqventi ne ex humorum concurſu inflamma tio augeatur. Hoc autem primum erat qvod i curatione inflammationis præſtandum videba tur. Si res ex animi ſententia ſuccederet, ac ſe cundam indicationem adipiſcendam acceden dum eſſet, videlicet ad auſſerendam, factam in flam̃ationẽ, qvæ aufertur adempto ſangvine; qv eam effecit. Et dupliciter adimi poteſt, vel ſi ipſ

ſan

ſangvis retrocedat, vel ex parte affecta educatur. Retrocedet, ſi vel attrahatur, id eſt, deriveur, vel repellatur. Cum in præſenti cauſa ſâgvis nuper fluxerit, & adhuc fluat, repellendum eſſe judico. Tunc enim utiliter tumor reprimentib. curatur, cum humor vel adhuc fluit, vel nuper fluxerit; nam ex repellentium medicamentorũ uſu, fluens humor prohibebitur à parte recipi, & qvi receptus eſt, retrocedere cogetur. Pro qvorum executione ſequens emplaſtrum applicatem, videlicet:

℞. Foliorum plantaginis -
Matrum violarum an. M. j. ß.
Roſarum rubearum
Hord. integri an. M. ß.
Seminis citoniorum ʒ. v

Decoqvantur omnia in aqva q. ſ. uſq; ad perfectam cocturam, deinde colentur, & fortiter exprimantur, & omnia bene contuſa per colum exprimantur, cui expreſſioni addantur

Olei roſati ℥. iiij.
Ungventi roſati ℥. j. ß.
Ceræ albæ ℥. ij.

liqvefacta ad ignem iterum bulliant cum prædicta cribratura ſeu expreſſione per qvartam partem unius horæ lento igne, cum baculo ſemper agitando, deinde removeantur ab igne, & ſtatim addantur farinæ hordei bene cribratæ ℥. ij. & utere. Ex cujꝰ emplaſtri uſu omnimodam humorum fluentium repulſionem, eorum vero qvi fluxerunt, eductionem conſeqvi ſperarem. De-

inde ſi opus eſſet, huic emplaſtro admiſcerem aliqvid vim habens digerendi; ut flores camomillæ, melilotum, anethum, & oleum camomillæ, & anethi, ut pars humoris, qvæ adſtringi neqvit, & retro commeare non poteſt, digeratur. Deniqꝫ ad pura digerentia accederem, ſi tumor reſolutione, ſeu diſcuſſione terminari debeat. Si vero tendat in abſeſſum, & non poſſit puris collectio, ac eruptio impediri, tum deniqve ad ſuppurantia, aperientia, ac detergentia medicamenta accedendum eſſe judico. Et hæc ſunt qvæ præſtanda in hoc caſu mihi videntur; veſtris tamen ſententiis acqvieſcam.

III. Pro exqviſito eryſipelate Conſultatio.

QVoniam morbi externi (celeberrimi viri) non ſolum ſub aſpectum, ſed etiam ſub tactum cadunt, eorum genus ſolo viſu qvale ſit, & qvalis pars afficiatur, à nobis facillime judicari poteſt, ut in præſenti caſu cum ruborem, & incrementum humeri dextri, naturalem ſtatum aliqvantulum excedens, ac ejusdem partis actionem læſam; & præterea continuum partis tumefactæ dolorem, atqꝫ vehementem partis ardorē, nec non ejus motus impedimentū videamus, protinus judicamus talem tumefactionem eſſe morbum, & pertinere ad vitiatam ſtructuram, nempe ad vitium magnitudinis præternaturalis auctæ. Appellatur autē à Latinis tumor, à Græcis ὄγκος. Hic vero tumor non fit, niſi partes aliqva materia repletæ in latitudinem, & altitudinem, diſtendantur, nam longitudo

udo in hoc caſu potius, contrahitur, qvam augetur. Et qvoniam materia, nempe humor, eſt varius, iccirco variæ tumorum ſpecies ex eo oriri poſſunt, qvæ variam etiam curationem reqvirunt. Pro recta igitur tumores curandi ratione, non ſatis eſt cognoviſſe genus eorum, ſed proprias cujuſqve tumoris ſpecies callere debemus, qvas à propriis ſymptomatibus, perpetuo unumqvemqve tumorem comitantibus intelligere poterimus; ut in caſu, qvem præ manibus habemus. Cum enim videamus tumorem non valde magnum, in cute potius conſiſtentem, qvam alte deſcendentem; coloremq; ipſius rubrum ad flavum tendentem, & ad tactum ſubterfugientem, rurſuſqve revertentem; & cum audiamus percipi ab ægrotante in tumore calorem adeo fervidum, ut ipſi pars tumida exuri videatur; ac dolore mordaci pungentiqve in tumore cruciari, ex omnibus his ſymptomatibus judicamus tumorem fieri neceſſario ab humore tenui, pauco, ferventi & acri nempe à flava bile, id eſt à ſangvine tenuiſſimo, & efferveſcente. Hujuſmodi vero tumor à Græcis eryſipelas vocatur, qvod nomen etiam Latinis uſurpatum eſt. Eryſipelas igitur fit qvotieſcunqve flava bilis, ſeu tenuis, ac fervens ſangvis (eſt enim idem humor ut ait Galenus 2. ad Glauc.) fluens vel tranſmiſſus, vel attractus, ad cutem labitur, qvi ob ejus tenuitatem (ſolum à cute retinetur, ob qvam (uti & ejus paucam copiam) parum tumefacit partem affectam, & rubor fit tumoris,

ris, qui ſimilis eſt colori humoris peccantis. Hinc etiam facile ad tactum recedit, rurſusq; revertitur. Ob humoris vero fervorem atqve acritudinem, calor vehemens, ac dolor mordax, & pungens ægrotum perpetuo torqvet. Si bilis fuerit ſincera, & naturali aliqvantulo craſſior, non tamen admodum acris, fit exqviſitum eryſipelas. Si vero bilis acris admodum fuerit, cum exulceratione eryſipelas erit. At ſi admiſta cum aliis humoribus fluat, pro varia ratione miſturæ, variæ eryſipelatis differentiæ oriri poſſunt; ut ſi cum ſangvine fluat, fiet eryſipelas phlegmonoſum; ſi cum pituita œdematoſum; cum melancholia fiet ſcirrhoſum. Et hæc ſpuria eryſipelata vocantur. Differt etiam eryſipelas qvod nonnunqvam citra malignitatem eſt, & periculo vacat, nonnunqvam vero malignum, & peſtilens eſt. Differt etiam qvantitate, ut eſt eryſipelas magnum, vel parvum. Parte affecta, ut eſt eryſipelas in parte nobili, vel ignobili, in parte interna, vel externa. Tempore, ut eſt eryſipelas in principio, vel in augmento, vel vigore, vel declinatione. Qvæ differentiæ multum ad prognoſticum, & ad curationem faciunt, & propterea minime negligendæ ſunt, immo diligenter ſunt animadvertendæ, qvæ propriis ſymptomatibus, ac earum eſſentia intelligi poſſunt, ut in præſenti caſu. Nam cum in eryſipelate non videamus alium tumorem adjunctum, nec exulcerationem, exqviſitum eryſipelas eſſe judicamus: ut cum ſymptomata eryſipelatis non ſint

admo-

admodum gravia, nec ulla febris ſupervenerit, nullam adeſſe in eryſipelate malignitatem judicamus. Cum audiverimus nullum in parte affecta præceſſiſſe neqve dolorem, neque calorem à cauſa externa concitatum, judicamus eryſipelas fieri à tranſmiſſione bilis. Qvod eryſipelas quantum, & qvem locum occupet, videmus, & tangimus; & cum incrementum acqvirat, in augmento eſſe judicamus. Ex his autem omnibus, indicationes curativæ colliguntur; nempe cum eryſipelas ſit intemperies calida cum materia, & tumore, indicatur materiam, in parte præter naturam contentam, vacuari debere, & ipſam partem intemperie calida affectam refrigerari. Qvia vero intemperies, ac tumor à fluxione foventur, indicatur prius inhibitio fluxionis, eo qvod nullus morbus curari poſſit, niſi ſublata prius cauſa à qvo fovetur, & augetur. Qvibus indicationibus an ſperare debeamus plane ſatisfieri poſſe, non ita facile eſt proferre; nam in eryſipelate finis, ut in aliis præternaturalibus tumoribus triplex eſſe poteſt, videlicet ſalubris, perniciofus, & neuter. Qvalis autem ſit futurus, prædicetur ex cauſis, hoc eſt, ex natura adjuta ab arte, & ex rebus præternaturalibus. Ubi vincat natura, eryſipelas ſanabitur; ubi morbus, homo decedet. Ubi eryſipelas vel ex valde refrigerantibus, aut diſcutientibus male adhibitis, in ſcirrhum inſanabilem vertatur, neuter finis ſeqvetur. Plurimum vero ad cognoſcendum robur naturæ, & morbi, conferunt differentiæ eryſi-

pelatis ſuperius explicatæ. Cum igitur non ſit ſpurium eryſipelas, ſed exqviſitum, id eſt, ſine admiſtione aliorum humorum, & cum ſit ſine ulcere, ac malignitate, nec occupet partem nobilem, neq; multam, intelligimus robur naturæ validum eſſe, & ob id ſperare poſſumus ſalutem, & ex conſeqventi executionem ſupra dictarum indicationum, dummodo eryſipelas non tansferatur ad partes internas, vel aliquid aliud mali ei ſuperveniat. Modus autem expectandus eſt per diſcuſſionem, nam flava bilis magis exuritur ob nimium calorem, qvam ſuppuratur; & ideo eryſipelas exqviſitum, ſuppurari non ſolet. In tempore vero brevi, id eſt, intra dies ſeptem, vel ad ſummam qvatuordecim (ut morbi acuti judicari ſolent) expectanda eſt bilis reſolutio. Et hæc ſunt qvæ in tali caſu à nobis poſſe prædici exiſtimo. Qvod deinde ſpectat ad curandi rationem, videlicet ad evacuandum qvod in parte præter natutam continetur, partemq; affectam refrigerandam, ac prohibendum, ne bilis amplius in eam influat, hoc modo procedendũ eſſe judico; nempe ut prius hrohibeamus ne multa bilis in corpore cõtrahatur, deinde ne contracta feratur ad locum affectum. Non colligetur bilis multitudo ſi cauſas removeamus, materiã videlicet, ut ſunt pingvia, dulcia, acria, calidaq; omnia & vinum; pariter omnia, qvæ nimis hepar calefacere poſſint, vitanda ſunt, ut occurſatio aeris fervidioris ſive ab æſtate, vel à qvacunq; cauſa; motus vehemens, vigiliæ immoderatæ, ira, contentio, atqve omnis

omnis animi vehementior motus. Unde victus non ſolum ſit tenuis oportet, ſed res omnes non naturales ad frigiditatem. & humiditatẽ ſpectare debent, qvibus ſangvis craſſeſcere, atq; refrigerari valeat. Ergo aer frigidus, & humidus eligendus eſt. Lactuca, endivia, acetoſa, portulaca, cucurbita, hordeũ mundũ, & refractum, cum lacte ſeminum melonium, vel in jure pulli gallinacei bene coctum, & alia id genus, conveniunt. Pro potu aqva cocta ſimplex cum vino granatorum vel cũ ſaccharo roſaceo, & ſucco limonis ſecundũ artem præparata, vel aqva hordei danda eſt. Somnus diuturnior. qvies corporis. tranqvillitas animi, & alvus mollis ſervandæ ſunt. Pro majori tẽperatione caloris interni, laudo per tres horas aut qvatuor ante cœnam uſum ptiſſanę hordeaceę. cũ uncia una conſervę acidi citri, in diluculo vero laudo uſum juris pulli gallinacei alterati cũ cichorio, endivia, acetoſa, & ſeminib. melonum. Hæc igitur cum ſimilib. uſurpari poterũt, ne gignatur copia bilis in corpore ægrotantis; ne aut jam contracta feratur ad affectam ſedem; providebimus materiæ, parti mittenti, & recipienti. Materia, id eſt bilis, ut peccans redũdat, ideo indicat ejus evacuationem; ut vero fluẽs, revulſionem reqvirit: ergo evacuari à parte mittente & à recipiente revelli debet. Cum ſimus in legitimo eryſipelate, non, ut in phlegmone, miſſione ſangvinis opus erit, ſed medicamento, qvod flavam bilem educit (cholagogon Græci vocant) ventre per inferiora expurgabimus. Et qvum affectus non

non eſt magnus, nullaqve præcedente cauſa procathartica factus eſt, ideo corpus bile abundare fateri debemus. Non acre igitur clyſtere, qvo Galenus in parvo eryſipelate utebatur, ſed medicamento per os aſſumpto, ab univerſo corpore bilem educere mihi magis arriſerit, ſeqventi ſcilicet vel ſimili potione.

℞ Rhabarbari electi ʒ. ij.
Spicæ parum.

contundantur, & in aqva endiviæ, q. ſ. infundantur, in qva per duodecim horas macerentur; deinde fortiter exprimantur, cui expreſſioni addantur.

Syr. roſ. ſol.
Mellis roſ. ſol. an. ℥. ij.
Decoct. ſenæ magiſt. ℥. ij. ß.
M. capiat in aurora.

Hæc potio ſine moleſtia bilem educet, unde corpus univerſum à bile expurgatum refrigeratumqve, non autem concalefactum remanebit, ut in aſſumptione medicamentorum cum diagridio contingere ſolet. Verum præcedenti die veſperi leniente clyſtere feces prius educi laudo, deinde poſt operationem aſſumpti medicamenti, videlicet ſeqventi die ante prandium, vel ante cœnam lavativo (ut ajunt) clyſtere inteſtina ablui laudarem. Et ſic evacuando bilem, qvæ qvalitate infenſa partes irritat, obſiſtemus ipſi materiæ, id eſt bili, & parti mittenti: ac bilem revellendo providebimus, qvodammodo etiam parti recipienti, qvæ licet à principio tu-

moris

moris duntaxat ob ejus imbecillitatem recepe-rit , nunc vero cum calore præternaturali fer-venti maxime vexetur (ſi proprium calidi eſt at-trahere) credendum eſt partem affectam etiam humores ad ſe allicere; unde pars non ſolum fir-mari, ſed etiam valde refrigerari debet. Omnia hæc repellentia medicamenta commode præ-ſtabunt, de qvibus infra dicemus. Et hac ratione obtinebimus ne bilis in corpore contracta fera-tur ad locum affectum. Pro curatione vero facti eryſipelatis, id eſt, ad totum evacuandum, qvod in parte præternaturale continetur, atq; ad par-tem affectam refrigerandam (qvæ ſane duo pri-mo in curatione indicabantur) hoc modo pro-cedendum eſſe judico; videlicet, cum in eryſi-pelate bilis ferveat, unde plus qvalitate, qvam copia cruciat, videtur eſſe magis ſtudendum re-frigerationi. qvam evacuationi. Cum vero à re-frigerantibus non ſolum extingvatur bilis fer-vor, ſed bilis repellatur ad alias partes, evacue-tur etiam à parte affecta, refrigerantia auxilia utrumq; præſtabunt, nempe extinctionem fer-voris, & evacuationem ipſius bilis. Qvare in cu-ratione eryſipelatis non erit opus aliis auxiliis. Laudo itaqve locum affectum perfundi deco-cto vel ſucco lactucæ, ſolatri, ſemper vivi, um-bilici Veneris, portulacæ, pſyllii, & hyoſciami. Perfuſio vero actu frigida fiat, ſæpiuſque inno-vetur, ne cum incaluerit mora, affecta inde pars nimium concaleſcat. Terminus vero refrigera-tionis, ſit ipſa coloris mutatio, qvoniam purum

ery-

eryſipelas qvale eſt præſens, ſtatim cum hoc remedii genere qvieſcit. At ſi hoc remedium non videatur omnino ſatisfacere; laudo devenire ad ſeqvens compoſitum, qvod conferre plurimum ſolet, videlicet:

℞ Succi plantaginis ℥j.
Olei roſati ℥. iij.
Lithargirii ℥. j.
Ceruſſæ lotæ ʒ. iij.
Lactis mulieris ℥.ß.

Miſceantur omnia ſimul in mortario plumbeo & ſecundum artem fiat linimentum. Ex cujus uſu in eryſipelate ſperarem omnimodam fervoris bilis extinctionem aſſeqvi, ac ejuſdem bilis in parte contentę facere expulſionem. Unde extincto in eryſipelate fervore, atqve evacuato humore in parte præter naturam contento, ſi qvid diſcutiendũ ſupereſt, veluti tumor, non eſt amplius eryſipelas, ſed in alium tumorem degeneravit. Itaq; ad aliud remedii genus pertranſeundum erit; videlicet ad moderatę digerentia, qvæ calefaciant ſimul, & humectent, aut parum ſiccent; ut chamæmelum, melilotum, anethum, malva, althæa, & farina fabarum, ex qvib. decoctis, fiat aut fomentum, aut cataplaſma. Si forte livor locum jam occuparit, incidenda eſt cutis pluribus in locis, moxq; imponendum eſt cataplaſma ex farina fabacea. Locus vero ſæpius aqva calida foveatur, ne materia induretur, ſed facilius attenuari, & digeri poſſit. Et interdum ad majorem exſiccationem & digeſtionem, fomen-

mentum, & lotio ex aqva marina addito aceto, & farina hordea, optima medicamenta eſſent. Hæc mihi videntur eſſe præſtanda in tali caſu, veſtris tamen ſententiis ſemper ſubſcribam.

Huic conſultationi de eryſipelate exqviſito adderem in cura ſerum caprinum, vel ſimplex exhibitum ad refrigerandum, ad duas libras: vel ad evacuandum, ut puta cum ℥.ij. aut tribus ſyr. roſ. ſol. Inſuper à med. auferrem mediam drachmam rhabar. Ponerem ad jecur ſuccum cichor. cum aceto aut ſucco citri.

IV. Pro vulnere partium nervoſarum Conſultatio.

HAbemus præ manibus, excellentiſſimi Doctores, juvenem vulneratum circa partes nervoſas, videlicet circa articulum cubiti, ut vidimus, ac tetigimus. Unde cum ſenſui pateant & pars affecta & morbus, alicui forſitan facile eſſe videbitur proferre, qvid agendum ſit in hoc caſu. Verum qvia non parva eſt differentia inter vulnera partium nervoſarum, & alia, tum ratione prognoſtici, tum ratione curationis, vulnera hęc majori diligentia, qvam alia, conſideranda, atq; tractanda ſunt. Sciendum eſt ſupra dicta vulnera plures habere differentias pręter communes cum aliis vulneribus: qvæ differentiæ deſumi poſſunt à diverſa figura inſtrumenti, & à diverſo modo qvo vulnera inferuntur. Inſtrumentum triplex eſſe poteſt, videlicet vel pungens, vel incidens, vel contundens. A pũgente fit nervi punctura; ab incidente inciſio qvæ vulnꝰ dicitur, & à contundente

dente fit contuſio. Modus diverſus eſſe poteſt, nam nervi punctura vel erit aperta, vel cœta, vel occluſa. Inciſio vel per transverſum fit, vel totus reſcinditur nervus, vel duntaxat ſecundum partem, aut per longitudinem. Præterea ſauciatus nervus aut detectus, & nudus apparet, vel cute & carne tectus eſt. Contuſio duobus modis evenit, nam qvandoqve dilaceratur una cum nervo cutis, qvod freqventius eſt; qvandoqve, licet raro, contuſio ſoli nervo accidit, neqvaqvam pertuſa cute, qva de re hæ differentiæ aliæ minori, aliæ majori periculo conjunctæ ſunt. Punctura majoris periculi malum eſt; qvia illam facilius dolores & convulſiones ſeqvi ſolent, præſertim ſi altum ſit vulnus. Illi, qvantum ad periculum pertinet, ſuccedit nervi per tranſverſum ſecundum partem inciſio; qvoniam à fibris reciſis inflammatio tranſit ad integras, & propter integras facile accerſitur nervorum diſtenſio, & convulſio: Nervus omnino præciſus, caret tali periculo, ſed periculum eſt ne pars, cui nervus inſerviebat, ſenſu vel motu deſtituta remaneat. Neqve multum metuendum eſt à vulneribus ſecundum fibrarum longitudinem factis. In curatione harum partium vario modo ſolutarum plurimum etiam variare neceſſe eſt; nam nervis punctis alia conveniunt auxilia, qvam inciſis; alia item proſunt nervis vulneratis, ſed tectis carne & cute, qvam denudatis. Qvibus ita ſe habentibus, cum in præſenti ægro vulnus à re incidente illatum per tranſverſum

factum

actum ſit, & partes nervoſæ ſauciatæ aliqvan-
ulum denudatæ conſpiciantur, maximum im-
ninet periculum ne ingens dolor in vulnere ac-
idat, atqve ne imflammatio & convulſio con-
eqvantur. In hoc igitur caſu prima medici cu-
a circa doloris, & inflammationis propulſa-
ionem verſari debet. Interim vero prorſus ne-
ligendi non ſunt illi communes ſcopi, qvi in o-
nni recentis vulneris curatione obſervari de-
ent, videlicet extranea, qvæ vulneris labris in-
ercidunt, removere; vulneris labra diſſidentia
ommittere; commiſſa atqve in unum conjun-
ta ſervare, & particulæ ſubſtantiam conſerva-
e, ut partes vulneratæ ad priſtinam unionem
educi poſſint. Qvibus an ſatis facere poſſimus
olligemus à parte affecta, à vulnere, ab ægro-
o, & à rebus externis. Si conſideremus partes
ervoſas vulneratas in genere, ex tribus cauſis
ericuloſa reddi vulnera deprehendemus. Pri-
na eſt dolor, qvi cauſa, & comes plerumqve
ſſe ſolet imflammationis, nonnunqvam etiam
ebris, qvin etiam convulſionis & delirii, pro-
ter inſignem nervorum ſenſum, & eorundem
um cerebro nexum, & conſenſum. Secunda
ſt frigus, hoc enim, ut ait Hippocrates, ſumme
ervis & ſpinali medullæ adverſarium eſt. Ter-
ia eſt putrefactio, facile enim putreſcunt partes
ervoſæ vulneratæ, atqve inſuper vicinas partes
utredine afficiunt. Si in ſpecie conſideremus
ræſens vulnus, ipſum eſſe lethale deprehende-
nus: qvoniam in nervis ſecundum partem per

 tranſ-

tranſverſum inciſis (ut in præſenti caſu) à fibris reciſis inflammatio tranſit ad integras, & propter integras facile accerſitur nervorum diſtentio. Et qvia partes nervoſæ vulneratæ, cum ſint detectæ, & denudatæ à carne & cute, facilius à ſupradictis cauſis lædi poſſunt, ideo Doctores diligentiſſime in medicaminum electione, atqve in eorundem adminiſtratione cautè procedunt, videlicet ſemper conantur eligere medicamentum, qvod non ſit nimis vehemens; neqve ſit acre, & mordax; non ſit frigidum, neqve ſit relaxans, ut eſt ſimplex oleum. Si vero neceſſarium ſit vulnus detergere, blande ac ſvaviter vulnus molli lana ſpecillo circumvoluta, in ſapa tepida intincta, & mox expreſſa, ut nos docet Gal. 6. met. detergere ſtudent. Præterea nihil frigidum actu nervoſis partibus vulneratis admovendum eſſe conſtituunt. Ex qvibus omnibus colligere poſſumus eventum in præſenti vulnere valde periculoſum eſſe. Modus vero eſſe poteſt per virium diſſipationem ex dolore, inflammatione febre, delirio, ac nervorum diſtentione. Tempus vero ſi hæc dicta præternaturalia acciderint cum validiſſima ſint in ſua ſpecie, breve fore judicandum eſt. Et hæc prædicere poſſumus qvantum ſpectat ad partis vulneratæ naturam, atqve ad ſpeciem vulneris. Qvod vero attinet ad corpus ægrotans, & ad exteriora, prognoſticum, qvod ab iſtis colligitur, commune eſt omnibus aliis morbis, ideo qvodnam in hoc caſu colligi poſſit

omni-

omnibus notum exiſtit. Curandi retionem hoc modo inſtituendam eſſe judico, videlicet, ut prius procuremus qvoad fieri oportet, ut partes vulneratæ à ſangvine extravenato, & ab aliis rebus præternaturalibus in vulnere exiſtentibus, cum linteolo molli & calido leniter purgentur; deinde blande ac ſvaviter vulneris labra, ut pars nervoſa detecta tegatur, qvatenus licet, cum ligatura (nam alia ratione fieri non poteſt) conjungantur ad invicem, & ſic conjunctæ conſerventur. In decliviori vero loco vulneris, orificium demittere debemus, ne ſanies retinere in vulnere poſſit, ac eodem tempore dolorem, atqve inflamationem cum univerſalibus propulſare. Ubi enim hæc adſunt, vulnus ſanari minime poteſt. Cum ſimus in morbo magno, tum ob magnam partis vulneratæ ſolutionem, tum vero ob ejus exqviſitum ſenſum, & qvia etiam ſumus in corpore plethorico, ex Hippocr. l. de ulc. ab init. ſententia, totius corporis rationem habere debemus, & prohibere ne humores ad partem vulneratam concurrant. Non confluent humores ad partem affectam, ſi non generentur amplius in corpore ægrotantis, & qvi contracti ſunt, non permittantur ad ipſam ferri. Non contrahentur, ſi adimantur ea, ex qvibus gignuntur cibi videlicet & potiones, ut monet Hipp. Laudo igitur ut tenuem præſcribamus victum, & abſtinentiam à vino. Pro contractis vero humoribus, laudo, ut qvam primũ, præmiſſo leniente clyſtere, ſecemus venam je-

corariam oppoſitam parti vulneratæ. Modum vero ſeu qvantitatem vacuationis, tum ex redundantiæ modo, tum ex copia ſangvinis, qvi è vulnere effluxit(ut ait Gal.1.met.)inveniemus: Ad hæc ex ætate, natura, tempore anni, regione, & conſvetudine,& præ cæteris ex ipſa ægrotantis virtute. Deinde mane & veſpere una hora ante cibum,laudo ut fiant frictiones in latere oppoſito vulneri. Laudo etiam ut iterentur clyſteres,atqve etiam corpus purgetur, ut nos docet Avicen. 4. primi,dicens,oportet cum miſſione ſangvinis & evacuatione ventris prohibere apoſtemata. Hæc autem corporis purgatio laudo ut fiat primis diebus. Nam in vulneratis neqve ſeptima,aut alia dies pro humorum præparatione,aut coctione (ut nonnulli faciunt) meo qvidem judicio expectanda eſt. Qvia hoc faciendum eſſet, ſi tantum evacuandi eſſet conſilium,ſed cum revellere velimus, nullaqve in corpore adſit cacochymia, primis diebus levi purgatione utendum eſt;qvia primis diebus humores ad vulnus fluere, & inflamationem concitare ſolent. Laudo ut medicamentum ſit reſpiciens bilem, ut eſt ſyr. roſ. ſol. ſyr. viol. ſol. craſſia, tamarindi,manna, & ſimilia. Nam humores, qvi fluere ſolent ad vulnus, ut plurimum ſangvinei & bilioſi eſſe ſolent, qvi cum calidi ſint, ac tenues, poſt evacuationem totius corporis craſſefieri & refrigerari debent, ne ita facile fluere poſſint. Laudo igitur ad hoc efficiendum, ut mane ſub auroram ſumatur jus pulli gallinacei altera-

teratum cum cichorio, endivia, acetoſa, ſeminibus melonum, & uncia una conſervæ acidi citri. Et hæc ſunt qvibus, ne ad vulnus humores confluant, prohibebimus. Qvod vero pertinet ad ipſam partem vulneratam, providebimus, ne vel recipiat, vel attrahat aliunde humores: ne recipiat, laudo uſum defenſivi, & olei roſati lumbricati, atqve ſitum membri vulnerati ſublimiorem, ne attrahat aliunde humores providendum eſt, ne ſuperveniat dolor; & calor; quæ duo ſane cauſæ ſunt, ut humores attrahantur ad vulnus. Dolor, & calor non ſupervenient vulneri, ſi vitabimus ea, qvæ dolorem concitare ſolent, (ut eſt frigus tam actu, qvam potentia, medicamentum acre, mordax, aut adſtringens, vel pingve, & relaxans; ſutura incongrua; retentio ſaniei, vel alterius rei præternaturalis; indecens membri vulnerati ſitus; ligatura nimis arctá, & aliqvid aliud ſimile) ac ſi utamur medicamentis lenientibus, & putrefactionem prohibentibus; nec non ſaniem extrahentibus, atq; exſiccantibus. Ideo vulnerati nervi curatio, dixit Gal. 6. met. medicamenta poſtulat, qvæ & tepidum calorem excitent, & valenter (ſine moleſtia tamen) deſiccent, tum ex ſubſtantiæ ſuæ natura, & trahendi vim habeant, & tenuium ſint partium. Medicamentum enim temperate calidum, dolorem mitigandi vim habet; valde exſiccans citra tamen morſum, & quod tenuium ſit partium exiccando, & trahendo humiditatem in vulnere præter naturam exiſten-

ſtente, mnervoſarum partium putredinem prohibet; & ſic prohibitis cauſis dolorificis, atqve applicatis in vulnere idoneis auxiliis, neqve dolor, neqve calor in vulnere ſupervenient, & ex conſeqventi pars vulnerata ad ſe humores præternaturales non alliciet. Ergo pro ex ecutione ſupradictarum rerum, laudo ut intra vulnus inſtillemus oleum hypericonis magiſtrale, ac in orificio vulneris apponamus turundam digeſtivo delibutam, ac mox in oleo hypericonis compoſito infuſam, deinde ſupra vulnus linteolum cum digeſtivo extenſo; ac mox in dicto oleo ſemper calido hypericonis madefactum applicetur. Circum autem vulnus oleum roſaceum lumbricatum actu calidum copioſe infundatur. Qvibus præſidiis uſqve ad ſeptimam diem procedendum eſſe judico. Tranſacta die ſeptima dimitterem uſum digeſtivi, ac olei roſati lumbricati, & ſolum uterer oleo hypericonis intra vulnus cum turunda; extra vero vulnus ungventum baſilicum applicarem uſqve ad decimam qvartam diem. His vero diebus tranſactis, ſi caſus bene ſuccedat; opportunis remediis locus leniter abſtergendus & exſiccandus eſt, replendus ac demum cicatrice claudendus. Hæc in ejuſmodi caſu facienda mihi eſſe videntur. Meam tamen opinionem ſententiis veſtris ſubiicio libentiſſime.

* * *

Pro

V. Pro vulnere partium nervoſarum altera Conſultatio.

Illud (Præſtantiſſimi viri) qvod in omnibus ægrotantibus, pro recta ipſorum curatione perpetuo obſervari debet, ut videlicet morbi, & partis affectæ cognitionem habeamus in præſenti caſu, cum morbus ſit in partibus externis, omnib. notum exiſtit. Qvilibet enim oculis propriis cernere, & manibus pertractare poteſt, vulnus juxta genu acceptum; partes nervoſas ſolutas eſſe pronuntiare valemus. Qvia igitur manifeſta ſunt affecta pars & morbus, id eſt, vulnus: ſolum de curatione à nobis tractandum eſſe videtur. Cum vero pro recta curandi ratione non ſatis ſit noviſſe morbi genus, ſed in eo genere uſqve ad ultimas ejus differentias deveniendum ſit, nos una cum partis affectæ contemplatione contemplabimur eſſentiam vulneris, id eſt ejus figuram, & qvantitatem. Perſcrutabimur etiam cauſam vulneris efficientem, & affectus alios præternaturales qvi cum tali vulnere conjuncti ſunt, vel conjungi poterunt. Ex iis omnibus qvẽadmodum propria vulneris differentia ſeu ſpecies conſtabit, ita & propria ejus curationis ſpecies nobis innoteſcet. Cum omnia ſupra dicta, eſſentia ſc. vulneris cauſa, & alii præternaturales affectus tali vulneri ſupervenire conſveti ſenſib. noſtris ſubjiciantur, facile nobis erit proferre cuncta, qvæ in tali vulnere vidimus, ſed prius partis affectæ naturam exponamus oportet.

In articulis ſcimus adeſſe capita & fines mu-

ſculorum, per qvorum capita tranſcurrunt nervi & ex qvorum finibus tendines oriuntur; ideo partes iſtæ acutiſſimo ſenſu præditæ ſunt, & cum cerebro ipſo continuantur mediate, earumqve officium eſt in parte motum præſtare, ac ſenſum ei tribuere; ſuntque ſubſtantiæ mediocris, & exangves, iccirco temperamento frigidæ, & ſiccæ. Qvod ſpectat ad vulneris figuram, non vidimus vulnus obliqvum, ſcilicet per tranſverſum factum. Qvod ad qvantitatem, magnum, profundum, & fere uſque ad os, vulnus penetraſſe tetigimus, atq; illatum cæſim fuiſſe credimus. Æger de continuo partis inciſæ dolore conqueritur. Circa vulnus apparet aliqua rubedo cum tumore ſupervenit febris cum magna ſiti & vigiliis. Ex qvibus omnibus proferre poſſumus vulnus eſſe magnum, parvum, & à re incidente per tranſverſum inflictum, comitatum ab aliis morbis, ut febre & intemperie calida cum tumore: comitatum etiam à cauſa, id eſt, ab humorum incurſu, & à parvis ſymptomatibus, ut eſt aſſiduus ac ingens dolor, vigiliæ, & ſitis. Ex his vero omnibus indicationes curativæ oriuntur; videlicet dolorem tanquam urgentius ſymptoma prius leniri debere; deinde fluentem materiam tanquam cauſam ſine qva non repelli, & qvæ confluxit evacuari, atqve intemperiem tanqvam futurorum cauſam corrigi oportere. Ex qvarum rerum præternaturalium curatione, tanquam cauſarum aliorum affectuum cum vulnere annexorum

ſub-

ſublatione,rerum ægrotantem infeſtantium ſeqvetur amotio. Ultimo remotis omnibus ſupradictis impedimentis, atqve aliis intra vulnus exiſtentibus.qvod eſt præter naturam ſolutum, mediante auxilio naturæ,unire tentabimꝰ. Qvibus indicationibus, an ſatisfacere poſſimus, in dubio verſatur. Partes enim nervoſæ qvomodocunqve vulnerentur, cum acutiſſimo ſenſu præditæ ſint,immodico dolore vexantur, ob idqve facillime in inflammationem incidunt; & cum nexum habeant cum cerebro per ſpinalem medullam, ſæpe convelluntur, ac delirium interdum movent præſertim cum tranſverſim, ut contingit in præſenti caſu, ſolutæ ſunt. Jam in præſenti ægroto adſunt iuitia omnium fere malorum,ut eſt ingens dolor, inflammatio partis vulneratæ,febris,vigiliæ; & qvia in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus,timendum eſt ne ſuperveniat convulſio;atqve etiam ne delirium ægrotantem invadat,ſuſpicandum eſt. Qvibus omnibus ita ſe habentibus,cum robur morbi in hoc caſu longe validius ſit robore naturæ,ut patet ex ſupra dictis, finem in hoc vulnere perniciosum fore prædicere valemus, timendumqve eſt, ne brevi tempore pernities ægrotanti ſuccedat. Nam vulnus hoc licet non ſit tale, ut ex neceſſitate dicatur mortale,eſt tamen ex eorum genere, quæ mortalia dicuntur ut plurimum. Verum cum Deus & natura iuterdum faciant, quæ Medico impoſſibilia videntur, unde multi præter ſpem Medicorum, mortem interdum e-

 vadunt,

vadunt,ac ſanitari reſtituuntur,abſq; rationabilibus auxiliis vulneratus relinqvi non debet, immo curatio intrepide aggredienda eſt. Sed ſi ars malo victa fuerit,ne noſtro aſcribatur errori prędicemus propinqvis ipſius ægroti imminens vitæ periculum,in quo maxime verſatur. Si vero mortem evaſerit, ipſum remanſurum eſſe cum impedimento motus in genuflexione prædicere poſſumus: quoniam fines, & capita muſculorum crus extendentia per tranſverſum præciſa, cum alia ſuperveniente ſubſtantia conglutinata veluti calloſa evadent,unde in genuflexione cedere,ſeu relaxari non potuerũt. Et ita crus qvod ad hoc ſpectat,immobile (meo qvidem judicio) remanere poterit. Præmiſſo itaqve prognoſtico, pro executione ſupradictarum indicationum, videlicet pro lenitione doloris, repulſione fluentis materiæ, & evacuatione ejus, qvæ fluxit, ac pro aliis præternaturalibus affectibus præſentibus amovendis, futuriſqve arcendis, ſic procedendum eſſe judico, videlicet;cum partes nervoſæ vulneratæ, ob exqviſitũ ſenſum qvem habent multũ doleant,ab univerſo corpore humores accipiũt; qvo fit ut dolor magis irritetur, & augeatur;iccirco pro legitima doloris curatione prius totius corporis ratio debet haberi, deinde procuranda eſt localibus remediis lenitio doloris. Qvod ergo ſpectat ad univerſũ corp9,prohibendũ eſt,ne ab eo cõfluãt humores ad vuln9, qvod efficiemus primo, ne ſucci copioſe contrahantur in corpore,deinde illi, qvi jam contracti

ſunt,

ſunt, non permittantur ferri ad ipſum vulnus, ſucci non contrahētur, ſi adimantur ea ex qvib. gignuntur cibi videl. & potiones. Abſtinendum igitur à valde nutrientibus; ut ſunt ova, caro, & vinum, qvod non ſolum auget ſuccorū copiam, ſed maxime nervos tentat, atq; implet. Verum qvia hæc in genere dixiſſe, ad rectam victus inſtitutionem præſcribendam nō ſatis eſt, ſed particulatim qvalis, qvantus, qvando, & qvomodo dandus ſit, narrandum eſt, ideo in eo præſcribendo conſiderabimus ejus formam, qvantitatem, qvalitatem, tempus offerendi, & ejus modum, à qvib. omnib. recta cibi & potus adminiſtratio haberi poterit. Victus itaq; in præſenti caſu; qvoad ejus formam, cùm vulnera partium nervoſarum in primis dieb. inter morbos peracutos habeantur, & vires ægrotantis tolerare poſſint, convenit exqviſite tenuis, ut ſunt edulia parū nutrientia. Qvod vero ad qvantitatem pertinet, cū ſupradicta vulnera ſint ex illis morbis, qvi ab initio florent, & vigent maxime, & gravius vexant, primis dieb. alimenti qvantitas parva eſſe debet. Qvoad qvalitatem, cū talia vulnera facillime inflam̄entur, convenit alimentum frigidum & humidum, qvale eſt panatella cum lacte ſeminum melonum confecta, hordeū mundum, farricellū, olera, qvalis eſt borrago, lactuca, endivia, cichorium; acetoſa, & ſimilia, pyra cocta, mala appiana; & panis lotus. Qvoad tempus offerendi cibum, cùm talia vulnera remiſſionem, nec intermiſſionem ullam habeant, ideoq; inter morbos

con-

continuos cenſeantur, temp9 per ſanitatem conſvetum eligendum eſt, dummodo cibus prius aſſumptus, ſit omnino concoctus, ac ejus excrementa vel excreta ſint, vel ſaltem ad inteſtina deſcenderint. Qvoad modum cum ſupradicta vulnera inter morbos cenſeri poſſint, qvi habeant humores potius copioſos, & minime vitiatos, raro, hoc eſt bis in die, & pauca alimenta offerenda ſunt, videlicet mane & veſpere, præſertim cum in hoc ægrotante vires valeant. Pro potu vero uti poterit aqva cocta ſimplici, vel cum julepo violaceo, vel roſaceo commiſta, vel aqva hordei. Ubi vero vulneratus à phlegmone & abſceſſu fuerit liberat9, pleniore victu, id eſt carnibus gallinarum, caponum, avicularum, vervecis, vituli lactentis, hædi, & ovis recentibus, ac vino paucifero, aqua cocta diluto uti poterit, & ad priſtinam conſvetudinem paulatim redire. Et hæc ſunt, qvæ ad cibum, & potum pertinere poſſunt. Qvoad aerem ambientem, quoniam frigidum, ut ait Hipp. inimicum eſt nervis, aer inſtituendus eſt calidus, præſertim ea hora, qua curatur æger, nihilqve actu frigidum in vulnere applicari debet. Præterea ut patiens quieſcat, jubendum eſt: Optimum enim vulneratis inqvit Celſus, l. 5. c. 26. medicamentum quies eſt. Moveri, & ambulare omnibus, niſi ſanis, alienum eſt; ſed iis præſertim, qui in inferioribus partib. vulnerati ſunt. In ſomno, & vigiliis modus eſt tenendus. Si nocte non dormierit, ſomnum à prandio ſibi conciliare ſtudebit. Alvum quotidie natura vel arte

excer-

excernat curandum eſt. Summopere Venus eſt fugienda, ſicuti etiam ira, contentio, atque omnes animi motus vehemẽtes vitandi ſunt. Et hæc ne humores in corpore contrahantur. Ne vero humores jam contracti ad locum affectum confluant, illos evacuabimus habita ratione humoris peccantis in quantitate vel qvalitate. Ut vero fluentes, vel fluere valentes, avertere à vulnere opportunis auxiliis ſtudebimus, cum ſimus in magno morbo, & in ægroto valido, quæ duo, videlicet magnitudo morbi, & virium robur, ut ait Gal. 4. meth. mittendum ſangvinem indicant, (qvanqvam qvi vulneratus eſt prorſus redundantiæ ſangvinis ſit expers) laudo, præmiſſo lenienti clyſtere, ſi ſponte alvum non dejiciat; ut vena jecoraria lateris affecti pertundatur, mittaturq; ſangvis ad decem, vel duodecim unciarũ pondus. Poſt ſangvinis miſſionem laudo etiam uſum frictionum in crure, & femore ſano mane, & veſpere per horam ante cibum. Mihi ſummopere placeret, ut die ſeqventi à ſangvinis miſſione evacuaretur etiam univerſum corpus hujuſmodi pharmaco:

℞. Mellis roſ. ſol. ℥. iiij.
Rhabarb. elect. ʒ. ij.

infundatur rhab. in aqua endiviæ per horas duodecim, deinde optime exprimatur, cui expreſſioni, & melli roſato ſol. adde guttas tres, aut qvatuor aquæ cinamomi per artem chymicam extractæ & unciam unam & ſemis decoctionis ſenæ magiſtralis, atqve capiatur in aurora, vel

Rha-

℞ Rhabarb. electi ℨ. j. ß.
Spicæ
Zinziberis an. gr. iij.

vini albi parum: fiat infuſio in decocto cordiali & facta expreſſione.

℞ Syr. roſ. ſol.
Mannæ electæ. an. ℥. ij. ß.
M. & f. p.

Poſt aſſumptionem dicti pharmaci in die ſeqventi, laudo, ut fiat clyſter lavativus cum jure pulli gallinacei abſq; ſale, & cum unciis duabus ſacchari rubei, & uncia una mellis roſacei ſimplicis, ac duobus ovorum vitellis. Atq; ita ex ſupradictis præſidiis, humorum in corpore contractorũ eductio, & fluentiũ averſio ſubſeqvetur. Præterea ut calor febrilis temperetur, & ſangvis craſſus fieri refrigerariq; valeat, ne ita facilè fluere poſſit, ſi excellentiis veſtris placeat, laudo per tres horas ante cœnam, ut patiens ſumat ptiſanæ hordeaceæ uncias ſex cũ uncia una conſervæ acidi citri, vel ejus ſyr. In aurora vero bibat uncias ſex juris pulli gallinacei alterati cum cichorio, endivia, acetoſa, boragine, & ſeminib. melonum, aliqvantulum contuſis, cum uncia una ſacchari roſacei, vel violacei. Et hæc ſunt, qvæ ad totius corporis rationẽ conferre poſſe exiſtimo. Qvod vero ſpectat ad locũ affectum, pro lenitione doloris, non ſolũ ſimpliciter lenientia medicamẽta uſurpanda ſunt, ſed etiam qvum ſimul ſint cauſæ doloris, repugnãtia debent applicari. Propterea videndum eſt in præſenti caſu, à qva cauſa

veniat

veniat, & augeatur dolor. A principio qvidem factus eſt à ſoluta continuitate, nunc vero credendum eſt foveri, & augeri poſſe ab intemperie calida cum materia, & tumore circa vulnus exiſtente; ut partis vulneratæ inflammatio monſtrat; atq; à materia ad vulnus fluente, & ab humiditate ichoroſa ex partib. inciſis intra vulnus excidente, atq; in eo retenta. His ita ſe habentibus, eodem tempore leniendus eſt dolor, inhibenda eſt fluens materia; qvæ fluxit repellenda, intemperies corrigenda, & liber exitus humiditatis ichoroſæ, ejuſqve exiccatio diligenter ſunt procuranda: Pro qvibus aſſeqvendis laudo uſum cataplaſmatis, qvod vulgo dicitur defenſivum. Laudo etiam uſum olei roſacei lumbricati circa vulnus exterius copioſe, ac bene calidi mane & veſpere applicatum. Qvod oleum ſui ratione, actualiſqve caliditatis, nec non ratione lumbricorum terreſtrium in eo decoctorum, dolorem efficaciſſime à proprietate lenire ſolet; ratione vero roſarum intemperiem calidam corrigit, fluentem inhibet materiam, qvæ fluxit à parte affecta retrocedere cogit. Ut liber exitus humiditati ichoroſæ paretur, ne intra vulnus retineri poſſit, laudo ut orificium vulneris cum turunda convenienti, digeſtivo delibuta apertum conſervetur, ſed prius intra, & ſupra ipſum vulnus eodem inſtanti inſtilletur ubertim, atq; actu calidum oleũ hypericonis magiſtrale, vel oleũ terebinthinæ. Hæc n. olea ob moderatũ calorem qvem habent, efficaciſſime dolorem le-

nire

nire ſolent. Ob validam vero ſiccitatē non tamē mordendo, valenter citra dolorem qvamlibet humiditatem in vulnere genitam in eoqve retentam, exiccare, & abſumere valent. ſuæq; ſubſtantiæ tenuitate, liqvidaq; forma, ad imas vulneris partes penetrare poſſunt. Et ſic (Deo favente) ex dictis præſidiis, videlicet tum lenientibus, tum doloris cauſam oppugnantibus, ac membri vulnerati ſitu acclivi decenti, atq; qviete, lenitionem doloris, aliorumqve affectuum præternaturalium cum vulnere complicatorũ remiſſionem conſeqvuturam ſpero. Sedato dolore, remiſſa humorum fluxione, correctaqve intemperie partis vulneratæ, pro materia qvæ fluxit evacuanda, id eſt reſolvenda, vice olei roſati lumbricati, uterer oleo camomelino lumbricato. Dimitterem uſum digeſtivi & loco eujs turundam imponerem imbutam oleo terebinthinæ, qvod oleum intra vulnus etiam inſtillare perſeverarem, ac ipſi vulneri (ut ſuprà factum eſt (uſqve ad qvartam decimam diem libenter ſuperponerem. Deinde, re ex animi ſententia ſuccedente, ut in ſimplicibus vulneribus procedendum eſſe judico, videlicet vulnus leniter mundificandum, exſiccandum, replendum, ac demum cicatrice obducendum. Qvod ſi ſecus evenire intellexerimus, alia efficaciora præſidia ſuo loco proponemus Et hæc ſunt qvæ mihi venerunt in mentem pro ſalute Illuſt. patientis qvæ omnia judicio prudentiſſimorum virorum moderanda relinqvo.

Pro

VI. Pro Ecchymate, Abſceſſu, & Gangræna Conſultatio.

DOctores excellentiſſimi, cum Magnificus patiens ex alti loci caſu in femore magnam contuſionem acceperit, ut ab ipſomet intelleximus, & ex tumore molli, ac tactui cedente, nec nõ ex livido partis affectæ colore apparet, qvæ pars affecta ſit, & qvi in ea ſit affectus præter naturam facile eſt proferre. Pars laborans cum diſtet à juncturis, eſt carnoſa. Cum à gravi caſu eadem pars contuſa ſit, carnem ſubjectam atq; ejus venulas tenuiores, & inconſpicuas dilaceratas, ac diſruptas eſſe judicandũ, ex qvibus ſangvis ſubter cutem & inania ſpatia præter naturã effuſus eſt; Unde tũor mollis, & lividus partis color provenit. Ergo affectus erit qvoddam genus ſolutæ continuitatis; in qva cum ſangvis adſit ſubter cutem extra venas effuſus, Græcis Ecchymoma ſeu ecchymoſis dicitur. Qvia vero ſemper affectuũ numero medendi indicationes reſpondere debent, in hoc caſu cum plures ſint affectus prȩter naturales, indicationes qvoq; erunt plures; videlicet partes præter naturam diviſas unire, & ſangvinem illum ſubter cutem præter naturam effuſum, evacuare. Sangvis enim extravenatus in venas redire neqvit; ſed, relictus in grumũ vertitur. & ita res qvædam præter naturam fit. Verum qvia in hujusmodi contuſiones, ob dolorem à contuſione concitatum, humores confluunt, ex qvorum confluxu oriri inflãatio ſolet, hinc indicatio depromitur prius inflammationem

arcendam eſſe. Quibus indicationibus an facile ſatisfacere poſſimus, non eſt facile proferre,nam ſunt qvidam adeo acri ſenſu præditi, ut licet nec plethorici, nec cacochimici ſint,nihilominus ex omni levi occaſione doleant, poſt etiam tum pulſu,tum phlegmone facillime (ut ait Gal. 6. meth.)corripiantur. In præſenti igitur caſu, cum ægrotus admodũ delicatus, ac tener ſit, contuſioq; ſit magna,ne in parte contuſa ſuperveniat inflammatio,& ne in abſceſſum degeneret, jure timere debemus; vel, ut in hujuſmodi caſibus freqventer accidere ſolet (quod Deus avertat) ne aliqva mortificatio in parte contuſa ſeqvatur. Ergo præſens caſus minime negligendus eſt;immo diligenti animadverſione circa eũ eſt opus. Inprimis ne ſuperveniat inflammatio,procurandum eſt. Pro cujus inhibitione ſic procedendum eſſe judico, videlicet ut prius prohibeamus ne humores confluant,deinde qvi jam fluxerunt in partem contuſam evacuemus. Non confluent, ſi eorum copia non contrahatur amplius in corpore, & contracti non permittantur ad ægram partem ferri. Ut itaq; non contrahatur humorũ copia,diminuenda ſunt ea,ex qvibus ipſi gignũtur videl. cibi,& potiones. Primis ergo ſeptem diebus (qvibus præteritis ut plurimũ ſecuri eſſe ab inflamatione ſolemus)inſtituendus eſt tenuis victus,id eſt,abſtinendum eſt à valde nutrientibus,ut ſunt carnes,& vinũ. Qvod faciendũ eſſe jubet Hip. de ulc. in init. in omnibus ſolutionib. unitatis,& præſertim in recentibus,ut à fluxione defen-

defendantur. Inqvit enim, PARUM, id eſt qvæ parum nutriant, & in pauca qvantitate ſumpta, comedere, nec non aqvam potare oportet. Ne vero humores contracti confluant ad locum affectum, duo ſpectanda ſunt; nempe humores, & pars affecta. Humores ubi multi ſunt, ſi per ætatem & vires liceat, ſangvinis miſſione evacuari debent; ubi pravi, purgatione. Cum noſter ægrotus ſit juvenis, validus, plenus, rubicundus in facie, ac venas habeat plenas, mane, lenita prius alvo clyſtere lenitivo ut vena baſilica ſecetur affecti lateris, mittaturqve ſangvis ad pondus unciarum decem, maxime probo. Hoc enim modo ſangvinis eductio, & averſio fiet. Veſpere autem, ut major revulſio fiat, eandē venam denuo aperirem, ac ſangvinem ad tres, vel qvatuor uncias effluere ſinerē. Item poſt ſangvinis miſſionem uſus frictionum ante cibum mane & veſpere in femore atq; crure ſano, mihi non diſpliceret. Qvod vero ſpectat ad partem affectam, providendum eſt, ne recipiat, neq; aliunde humores attrahat. Pro qvibus aſſeqvendis, laudo ſupra partem ſanam aliqvantulum procul à loco affecto, apponamus emplaſtrum, qvod vulgo dicitur defenſivum, utpote quod obſtet, & defendat, ne tranſeant humores ad locum affectum. refrigerando, ſtipando, conſtringendo & claudendo meatus. In parte ægra mihi probatur uſus olei roſati completi una cum pulveribus roſarum, foliorum myrtillorum, & comæ abſinthii. Ex qvorum uſu non ſolum repellentur influentes

humores, verum etiam refrigerando partem contuſam lenietur dolor, & ne pars incaleſcat, prohibebitur; eandem adſtringendo, ipſi robur afferetur, atqve ex venulis à contuſione ruptis, ſangvinis exitus inhibibetur exſiccandoqve aliqvid ſangvinis in contuſione præter naturam effuſi, diſſipabitur. Et ſic ex dictis non ſolum providebimus, ne pars affecta recipiat; ſed etiam aſſeqvemur, ne aliunde humores attrahat. Ad idem, ſi dicta prædicto modo non ſatisfacient, emplaſtrum ex iisdem, ac aliis ſimilibus rebus parare poſſemus. Præterea dum hæc aguntur, laudo ut pars affecta, qvam maxime fieri poſſit in ſitu acclivi quieſcat. Prohibita, & ſedata humorum fluxione, ad ſangvinem ſubter cutem præter naturam effuſum, evacuandum, accedendum erit. Hæc eſt propria ecchymomatis curatio ex Galeni 4. meth. ſententia, inqvit enim: Sane ecchymoſis omnis vacuationem pro remedio curationis indicat. Nam ut Hip. 2. Aph. 22. ait. Qvi à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur. Sangvis igitur extravenatus, evacuandus eſt; qvi duobus modis evacuari poteſt; vel diſſipatus in vapores, ſub medicamentis digerentibus, vel evidenter ſcarificationibus effuſus. Medicamenta digerentia in hoc caſu poſſunt eſſe plura; cujuſmodi eſt ſeqvens emplaſtrum, videlicet:

℞. Olei roſ. lumbricati
Chamomillini
Myrtini an. ℥. ß.

Pul-

Pulveris florum chamomillæ
Abſinthii
Roſarum an. p. j.

Miſce & bulliant in vino nigro cum furfure minuto, q. ſ. S. A. & fiat emplaſtrum.

Si magis reſolvere volumus, jubebimus ut cũ vino nigro portio lixivii qvã dulciſſimi bulliat. Ex qvorum medicamentorum uſu ſangvinem ſubter cutem præter naturam effuſum, reſolvi poſſe ſpero, & ſic extravenato ſangvine evacuato unionẽ in partibus à contuſione ſolutis natura præſtabit. At ſi ecchymoma hac via diſcuti non poſſit, imo ad ſuppurationem tendere videatur, ut ex ſuperveniente inflammatione cum dolore pulſatili moleſto, atq; ex incremento tumoris deprehẽdi poteſt, cum morbus mutetur, ita & curationis ratio mutari debet. Prius reſpiciebamus materiam, qvatenus jam fluxerat, & qvatenus etiam fluere poterat, ideo pro ea qvæ fluxerat diſcutientia jam propoſita & pro fluxura revellentia, ac repellentia præſidia adhibenda eſſe propoſuimus. Si autem materiam qvæ fluxit amplius ſperandum non ſit diſcuti poſſe, ſed ad ſuppurationem procedat, in ea materia reſpicienda eſt tranſmutatio qvæ fit ad puris generationem. Cum vero hæc fiat à calore partis affectæ nativo, debiliter tamen operante, (ob majorem humorum qvantitatem conficiendam, qvam qvæ ſecundum naturam ab ipſo nativo partis calore mutari ſolet) auxilia

pus generantia, non ſolum calori partis affectæ nativo ſimillima, nempe temperate calida & humida eſſe debent, ut conſervent ipſius calorem; verum etiam, ut obſtruendo augeant quantitatem ipſius innati caloris, debent eſſe emplaſtica. Dum enim obſtruunt in conſpicuos meatus, per quos difflatur corpus, ſpiritus includunt, ut non digerantur, ſed intus aucti, ſuppurationi velociori auxilio ſunt. Erunt igitur adminiſtranda pus moventia, emplaſtica, & temperate calida, & humida, hoc modo:

℞. Foliorum malvarum
Matrum violarum an. M. j.
Radicis altheæ ℔. ß.

Decoquantur in jure carnium abſq; ſale, poſtea ſubigantur in mortario, & cribro incernantur: ex cribratura cum prædicta decoctione, & farina hordei, & tritici an. q. ſ. fiat emplaſtrum ſolidum, addendo

Butyri
Olei amygdalarum dul. an. ℥. iij.
Vitellorum ovorum n. ij.
Croci momentum. & utere.

Suppurato abſceſſu; ſi non erit ſperandum, ut pus ob ejus copiam, ac malam conditionem, attenuantibus, attrahentibus, & diſcutientibus medicamentis diſſipari poſſit, relictis omnibus aliis aperiendi modis libenter abſceſſum lanceola ſecarem. Atq; hoc pacto qvicqvid in eo præter naturam continetur, facilius educetur. Sane hoc eſt qvod à natura affectus nobis indica-

tur.

tur. Nam apoſtema quatenus eſt apoſtema cum ſit repletio rei præternaturalis, nil aliud indicat pro ſui curatione, niſi, ut dicebat Avicennas, extractionem ipſius materiæ facientis apoſtema; Hoc enim modo, celerius ægrum explicatum habebimus, ut ait Gal. 4. meth. Præterea in partis eroſionem, ex longa retentione puris non incurremus.

Evacuato pure paulatim, ut decet, affectus in ulcus tranſit; in qvo ſi crudus adhuc aliqvis humor ſuperſit, & dolor vexet, concoquentia, & lenientia imponenda ſunt, ut eſt digeſtivum, ac oleum roſatum: ſi calidior locus videatur & uſus etiam ſupradicti emplaſtri conferet, deinde digerentibus, ſarcoticis, demum epuloticis medicamentis tractandus eſt. Si vero contuſa caro enumeratis modo auxiliis ad ſuppurationem perduci non poſſit, videaturqve potius in gangrænam, ac partis corruptelam degenerare, qvod ex fuſco, livido, ac nigro loci affecti colore, cum ejusdem partis ſenſus hebetatione, atqve privatione deprehendetur, cum gangræna ſit incipiens partis mortificatio, à natura ipſius affectus indicatur ejusdem ablatio. Mortificatio non conſiſtet, remotis ejus cauſis: Cum autem à copia ſangvinis in contuſione extravenati, gangręna hic generetur, totus ſangvis in parte contuſa vitiatus, prius ſenſibiliter evacuandus eſt. In primis igitur locum contuſum ac denigratum, altis, ac plurimis inciſionibus inciderem, mox vero calente lixivio, in qvo

prius decocti ſint lupini, locum ſcarificatura diligenter abluerem. Sic enim ſangvis craſſus in affecta parte impactus, attenuatur & facilius egreditur. Ut autem copioſus effluat, danda eſt opera. Pro ablatione vero corrupti, ipſas ſcarificationes, poſt earum ablutionem, protinus & copioſe ungvento Ægyptiaco implerem. Hoc enim ungventum facultate, qvam habet, erodendi atqve exiccandi, corruptum aufert, & ipſam putredinem qvæ ab humiditate putrefactionis matre generatur, prohibet, ac reſolvit. Pro qvo melius aſſeqvendo (nam tale additum tali, fit magis tale) impletis inciſionibus ungvento Ægyptiaco, deſuper emplaſtrum ex farinis apponendum curarem, ſcilicet:

℞. Farinæ fabarum
Orobi
Hordei an. ℔. j.

Lixivii q. ſ. M. ad ignem; deinceps adde oximel. ſimpl. q. ſ. M. f. emplaſtrum qvod in hujusmodi caſibus ſemper optimum inveni. Eſt aliud, qvod ſummopere laudatur.

℞. Farinæ lupinorum
Hordei
Fabarum
Orobi an. ℥. ij.
Pulveris ſcordii ʒ. vj.
Oximel. ſimpl. ℥. iiij.
Olei roſati ℥. j.

Vini

Vini nigri auſteri q.ſ.
M.& fiat emplaſtrum.

Qvo medicamento tam diu uterer, qvam diu opus fuerit; videlicet donec omnis corruptela remota vel ſaltim firmata ſit. At ſi morbus adhuc magis increverit, denuo locum affectum ſcarificarem, atq; abluerem, ut ſupra, deinde loco ungventi Ægyptiaci, filamenta oleo ſulphuris imbuta in ipſas inciſuras apponerem, ac deſuper cataplaſma ex farinis cum lixivio. & oximelle ſimpl. coctum, applicarem. Dum hæc aguntur ſi opus erit aliqvo purgante utendum eſt, ut ſyr. roſ. ſol. Manna electa, & hujusmodi: ſyrupos cichoraceos, de ſucco acetoſæ, acetoſitatis citri, cum decoctis convenientibus ordinabimus, vel jus abſqve ſale parvi pulli gallinacei in qvo ronchus, cichoreum borrago, ſemina citri in debita qvantitate ebullierint, ptiſſana hordeacea, cui parum boli armeni orientalis admiſceatur, ſummopere probatur. Verum ſi his remediis morbus non cedat, ad ignem accedendum eſſe putarem, juxta præceptum Hippocratis dicentis, QVÆ FERRO NON CURANTUR, IGNIS CURAT. Facta aduſtione, caſus eſcharæ procurandus erit; ubi eſchara exciderit, curationem reliqvis ulceribus communem adhiberem. Et hæc ſunt, qvæ in prænarratis affectibus præternaturalibus à nobis eſſe agenda, mihi videntur.

VII. Pro ulcere ſordido Conſultatio.

CUrandi ratio in ulceribus (excellentiſſimi Doctores) ut in aliis omnibus præternaturalibus affectibus, indicationibus gubernatur, ex qvibus certi ſcopi conſtituuntur, varii, pro varia rerum indicantium natura. Indicantia præcipua duo ſunt, res ſcilicet præternaturales, & res naturales: ad qvæ duo ætas, conſvetudo, tempus anni, & aeris conſtitutio veluti ſigna referuntur. Illæ qvia ſunt nobis infenſæ, expelli debent; & cum expulſio fiat à contrariis, ideo contraria indicant. Iſtæ qvia ex ipſis conſtamus, debent conſervari; & cum conſervatio fiat à ſimili, ideo ſimilia poſtulant. Verum qvia nec expulſio, nec conſervatio recte unqvam procedet, niſi prius qvod eſt expellendum, qvodve conſervandum eſt agnoſcamus; iccirco & naturalia, & præternaturalia ante curationem proponendam prænoſci à medico debent.

Suppoſitis ergo rebus naturalibus, temperamento ſcilicet partium principalium, ac partis affectæ ipſius ægrotantis, ad morbum accedamus, ad ulceris (inqvam) contemplationem; qvod qvidem una cum parte affecta cum ſubjaceat ſenſibus viſus, ac tactus; nempe cum videamus partem cruris ſiniſtri carnoſam, qvæ vulgo dicitur la polpa de la gamba, jam naturaliter continuam, nunc vero ſimul cum ſordida materia præter naturam diviſam eſſe, ac manibus

ous eam pertractamus, hunc ægrotantem ul-
:us in altera ſura, id eſt, unitatem ſolutam an-
iqvam pati aſſerere debemus. Cujus cauſa fuit
nterna, nempe excrementoſi; partim ſangvi-
nei, partimqve pituitoſi humores, à vitio tum
ventriculi, tum hepatis, nec non à mala victus
atione geniti, ut ex ſignis eos humores pec-
antes ſignificantibus, colligi poteſt. Qvi hu-
nores ob eorum malam qualitatem, ad partem
iffectam impulſi, ibiqve collecti, ac veluti in
adem parte conſtipati diutius detenti fuere, at-
qve ibi tumorem præter naturam, id eſt phleg-
nonoſum œdema crearunt, quod cum neque
ı calore nativo partis affectæ, neqve ab arte ſu-
perari potuerit, in abſceſſum degeneravit, ex
quo ſeqvutum eſt tale ulcus. Cum autem hoc ſit
vitium in ſoluta continuitate. unionem indicat;
:um vero ſit cum aliqvo ſubſtantię defectu, ejus
egeneratio prius ſe nobis offert. Hæc autem
luo non artis, ſed naturæ ſunt opera; medicus
amen adjuvat, dum impedimenta tollit natu-
æ actionem remorantia; qvæ duplicia eſſe poſ-
ſunt; unum genus poteſt eſſe illorum, quæ à
propria ratione ulceris aliena ſunt, & ſunt aut
iffectiones cum ulcere complicatæ, ut intem-
peraturæ, inflammationes, dolores; aut has ſe-
qvuntur, ut putredo, eroſio, & id genus alia;
iut ſunt cauſæ, qvæ prius ulcus excitarunt,
nunc vero fovent, ut fluxio. Alterum genus
eſt eorum impedimentorum, qvæ ſuapte na-
:ura ipſum ulcus ſeqvuntur, ut virulentia, &
ſordi-

ſordicies; unde cum varii ſint ulcerum ordine varia ſunt qvæ ulceris conſolidationem impedire poſſunt. Ea igitur prius à nobis inveſtigari debent, ut inde removeri poſſint. Cum in præſen ægrotante (ut vidimus) ulcus plurimo, craſſo ac viſcoſo ſcateat excremento, judicare poſſumus, ipſam ſordiciem carnis generationem, atq ulceris conſolidationem impedire; hæc igitur prius auferri debet. Verum qvia ſordes in ulceribus variis ex cauſis gigni poſſunt, ex qvarum cognitione manifeſtum evadit, qvomodo genitæ ſordes detergi debeāt, hinc rationabiliter factum eſſe puto, ut ipſam cauſam prius inqviramus, cur in ulceribus tanta excrementorū copia congregetur, ut eam maxima cum ratione removere poſſimus. Sordis ergo generatio duplicē poteſt habere cauſam, externam videlicet ac internam. Externa ut mala victus ratio, & non recte adminiſtrata medicamenta; qvæ duplicia ſunt, qvæd pingvia, mollientia, humectantia, & emplaſtica ex qvorum uſu nimio, atqve importuno ulcus plurimo humore ſcatet, qvi tandem vi caloris loci concreſcit in ſordes: Qvædam vero ſunt acria & immodice detergentia, qvæ approbante Galeno 4. de comp. med. ſ. g. carnem colliqvant adeo ut in parvos diſſolvatur ichores, qvi partibus tenuioribus vi medicamenti diſſipatis, circa ulcus in ſordes concreſcunt. Cujus rei indicium eſt, qvod ulcus ſemper magis concavum fit, ut qvaſi jam initia inflammationis appareant. Internæ cauſæ ſordes gignunt, ſi aut corpus

uni

univerſum multis, vitioſisve humoribus ſcateat; aut aliqva alia male affecta particula multa excrementa ad ulceratum locum, tanqvam ad partem imbecilliorem continenter mittat, aut ſi ex vitio proprio loci ulcerati, ut in inveteratis fere ſemper accidit, etiam proprium alimentum in mala excrementa vertatur. Nam vel ibi qvaſi computreſcit, vel exuritur, vel ſemicrudum relinqvitur pro diverſitate intemperaturæ. Cum in hoc ægrotante recte ſint omnia medicamenta, præſertim localia à vobis adminiſtrata, videlicet nec nimis pingvia, nec mollientia, nec humida nimis, nec nimis acria, & immodice detergentia, ſupereſt ut ab univerſo corpore, ob ejus cacochymiam, originem habeant copioſæ ſordes; & à proprio vitio ulcerati loci, nempe ex ejus intemperatura frigida & humida, multiplicentur, ut vitiatus univerſi corporis color pallidus, ac ulceris diuturnitas, cum circumſtantium partium ulceris pallore, ſupra à nobis dicta vera eſſe declarant. Ex qvibus in hoc ulcere curando plures veniunt indicationes, ex affectibus præternaturalibus cum ulcere complicatis provenientes, qvæ ordine, & ratione procedere debent; videlicet cum in toto corpore adſit copia vitioſi ſucci fovens ulcus, ipſam prius evacuare, atqve ab ulcere avertere debemus, deinde prohibere, ne denuo generetur, & ſic qvod ſpectat ad univerſum corpus, id eſt, ad cauſam (ut ajunt) antecedentem generationi ſordium, fomentum tolletur. Qvod vero pertinet ad ulcus

cus ipſum, corrigenda eſt intemperies partis ulceratæ, abſtergenda ſordicies, deinde ulcus replendum eſt, ultimo ſupereſt, ut cicatrice claudatur. Qvibus indicationibus an facile ſatisfacere poſſimus, ex rerum præternaturalium, naturalium, & non naturalium contemplatione nobis facile colligere licebit. Ex iſtis enim ad invicem collatis, utrum majus ſit naturæ an morbi robur, intelligemus; & prout erit validius robur vel naturæ, vel morbi, ita finem ulceris vel ſalubrem, vel ſecus eſſe judicare poterimus. Si conſideremus res præternaturales, ut eſt ulcus, cum cavitatem, ac diviſionem magnam habeat, ut videmus; ſitqve mali moris, ut ejus diuturnitas nobis oſtendit, in curatione difficultatem inveniemus. Hanc vero augent res præternaturales cum ipſo ulcere complicatæ, ut eſt cauſa qvæ ulcus fovet, & auget, ſcilicet fluxio continua ab univerſo corpore vitioſorum humorum ad ipſum ulcus, ac morbus cum ipſo ulcere complicatus, id eſt, intemperies partis ulceratæ, qvæ ipſum ulcus conſervat. Si conſideremus res naturales, id eſt, partem affectam, cum ulcus in parte ſit carnoſa, ſubſtantia molli, naturaliter calida, & humida, qvæ facile conſolidationem recipere ſolet, & non ſit pars nobilis, nec admodum ſenſibilis, ac in qviete conſervari poſſit, ratione partis affectæ, difficultas in curatione remittitur. Sed & facilitati curationis obſtat univerſi corporis cacochymia, & habitus malus,

us, tum ſi conſideremus res non naturales ,ut ſt tempus anni , cum ſimus in hieme , in qva norbi omnes diuturni eſſe ſolent , non poſſu- nus non judicare difficilem hanc curationem ore. Nihilominus & obedientia ægrotantis , onſvetaqve excellentiarum veſtrarum diligen- ia, licet curatio futura ſit longa , non tamen mpoſſibilis judicari debet , immo priſtinam aletudinem ægroto polliceri poſſumus. Pro ujus corporis curatione humoris pituitoſi eva- uationi ſtudere debemus , ut aliqva ex parte iperius oſtenſum eſt, nam talis humor præ cæ- eris peccare videtur, ut faciei color ſubalbidus, c idem circa ulcus, oſtendit: necnon excræ- nenta pituitoſa ab ulcere prodeuntia. Pari- er ventriculi continuus langvor, ac hepatis re- rigeratio, pituitam abundare ſatis aperte com- nonſtrant. Nam ut inqvit Hippocrates in prin- ipio libri de humoribus, nihil ita naturam hu- norum redundantium nobis oſtendit ,ſicut eo- um color. Unde ibidem dixit; color humorum ſt,niſi in profundum receſſerint, eorum indici- m.Ergo humores pituitoſi evacuandi ſunt. Ve- um qvia humores niſi prius præparentur, & niſi ntemperies eorum genitrices emẽdentur , abſq; ructu evacuantur; & cum humores ſeqvantur atemperaturam à qva generantur, ut in hoc ca u,primo ventriculi & hepatis, deinde etiam u- iverſi corporis qvæ intemperiem tollunt , uſur- anda ſunt, hæc enim vitium leve humorum in onũ ſtatũ revocant gravius vero qvod ſuperari neqvit,

neqvit, mitigant. Duo ipſi inſtrumenta inſerviunt, ab iiſdem indicationibus pendentia, medicamenta ſcilicet & victus ratio. Cum pituita in hoc ægroto redundans ſit humor frigidus, & humidus, atq; à ſimili ſupradictorum viſcerum intemperatura genitus, res omnes non naturales qvæ ægrotanti adhiberi debent, ad caliditatẽ & ſiccitatem cum qvadam attenuatione inclinent oportet. Ergo aer tenuis ac ſiccus convenit. Panis probe coctus, caro vervecina, ac avium montanarum aſſa potius qvam elixa eſſe debet. Vinum album, pellucidum, odoratum, vel ſubrubrum, modice aqva dilutum. Nocent juſcula, olera, offa; legumina, fructus, præſertim horarii & immutari, piſces, lacticinia, & ſimilia. Omnia tandem humectantia prorſus vitanda ſunt. Qvod ad qvantitatem, convenit victus ratio parca, præſertim qvoad potum. Alvus ſit mollis natura, vel arte. Conveniunt frictiones partium oppoſitarum, ſomnus ſit brevis & nocturnus. Animi accidentia compoſita ſint & læta. A Veneris uſu abſtinendum eſt, & hæc qvatenus ad victus rationem. Qvod vero ad medicamenta, cum in impuris corporibus fere ſemper communia viſcera, communeſqve viæ ſoleant multis crudis, & craſſis humoribus obſideri, qui facile dum utimur parantibus medicamentis, in qvibus vis eſt attenuandi, detergendi, aperiendi, ac calefaciendi, ab ipſis attenuati, & eliqvati, poſſent in venas duci, & ita obſtructiones in viis, & cacochymiam in venis augere, ideo prius com-

munes

nunes has vias expurgabimus ab iſtis eas obſi-
lentib. excrementis. qvæ ſaltē ratione loci facile
x per lenientia medicamenta poterunt detrahi,
qvale eſt electuarium lenitivum, vel diacath. cū
hiera ſimp. Gal. & ſimila, Lenita alvo, pro hu-
morum præparatione ac intemperaturæ corre-
ctione, cum humores peccantes ſint frigidi, craſ-
ſi, viſcoſi, & lenti, atq; à ſimili ſint intemperatu-
ra geniti, calefieri, attenuari, incidi, & abſtergi
debent; ideo ſyrupis de betonica, vel de men-
tha, qvibus ineſt facultas calefaciendi, & attenu-
andi humores à concretione, non autem ab alia
cauſa craſſos genitos, ſummopere convenire
mihi videntur; qvibus oximel ſimp. pro inciſio-
ne, & mel roſaceum pro abſterſione facienda, li-
benter adderem, cum aqvis ſalviæ, menthæ, be-
tonicæ, borraginis, fœniculi, & eupatorii, qvi-
bus aſſumptis, medicamentum ad evacuandum
corpus, hoc modo pararem, videlicet

℞. Meliis roſ. ſol. ℥. iij.
Diacatholiconis ℥. ß.
Diaphæniconis ʒ. iij.
Decoctionis ſenæ magiſtralis. q. ſ.
M. & f. potio. b.

Poſt univerſi corporis inanitionem, & per medicamentum aſſumptum & per clyſterem (ut junt) lavativum; pro integra intemperaturæ ventriculi ac hepatis correctione, laudo per aliqvot dies, ut ægrotus, ea qvantitate, & hora qva decet, aſſumat aliqvod electuarium, ut eſt aromaticum roſatum, Diaciminum, Diagalanga,

Diacalamentum Galeni; vel conſervam ex floribus roriſmarini vel ſalviæ, vel beronicæ, & hujuſmodi, cùm im̃ediate parum vini generoſi ſuperbibat. Extrinſecus vero in regione ventriculi, ac hepatis ad eandem intentionem aſſeqvendam, ut applicarentur fomenta, unctiones, cerata, ſacculi & ſimilia, mihi maxime arrideret. Ex qvibus omnib. auxiliis hactenus dictis, univerſalis humorum peccantium eductio, atq; eorundem ab ulcere averſio, nec non, ne denuo generentur, inhibitio habebitur. Qvod vero ſpectat ad ulcus, cum complicatum ſit cum intemperie frigida humidaq; cum materia, & cum ſordicie, ut caro deperdita regigni, & cicatricis inductio recte à natura fieri poſſit, corrigenda prius eſt intemperies tanqvam effectus, cujus curatio cauſa eſt curationis alterius, nempe carnis generationis, & ſordities abſtergenda eſt tanquam affectus, ſine cujus remotione cavitas impleri non poteſt. Qvod Gal. 3. meth. c. 8 teſtatur inqviens, fieri non poteſt, ut in ulcere vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel cicatricis inductio, (qvæ omnia naturæ ſunt opera) recte unquam cedat, niſi ſubjecta caro pro naturali modo ſe habeat. Qvocirca legitimum ulceratarum partium temperamentum majori tibi ſollicitudini erit, qvoties eas vel carne implere, vel glutinare, vel cicatricem inducere ſtudes. Cum autem intemperies minime tolli poſſit, niſi prius humor, qvi illam fovet, diſſipetur, ideo à deterſione ſordis incipiendum eſſe judico, videlicet abluendo

ulcus

lcus cum lixivio, in qvo prius lignum ſanctum,
oſæ, hordeum, ac mel roſaceum ſecundum ar-
em decocta fuerint. Poſt ulceris ablutionem,
odem tempore ulcus filamentis lineis, vel can-
abinis, admodum puris, ſeqventi liqvore le-
iter imbutis, implerem, videlicet

℞. Mellis roſ. ſimpl. ℥.ij.
Aqvæ vitæ finiſſimæ ℥.ß.
Pulveris angelici præparati ℈ ß.
M. & utere calido.

Exterius vero ungventum baſilicum appli-
rem. Qvantitas pulveris, major aut minor eſſe
bet, prout cauſa ſordem generans, vel præce-
ns, vel præſens, & copia ſordium indicabunt,
partis ulceratæ conditio tolerare poterit.
vare ex qvantitate pauca, mediocri, vel multa
lveris hujus medicamentum detergens leve,
diocre & validum, prout caſus exiget, habere
terimus: Veruntamen, qvia cum fœliciori
ceſſu ægrotantis in pauca, qvam in magna
antitate operatur ut experientia me docuit,
o ſemper in pauca qvantitate uterer. Eoqve
dicamento tam diu, qvam diu ſordium præ-
tia reqvireret. Ex qvibus medicamentis ha-
bimus ſordium abſterſionem, humiditatum
ternaturalium exiccationem, carnis flacci-
conſumptionem, nec non aliqvam intempe-
ræ correctionem. Pro efficaciori vero ipſius
rectione, eodem tempore, qvo ſupra dicta re-
dia intra ulcus applicãtur, extra ulcus admo-
em ſpongiã ſatis tenuem, condecẽti magnitu-

 dine

dine conformatam, in aliqvo decocto calefaci-
ente. & exſiccante prius madefactam, indeqve
fortiter expreſſam, actuqve calidam ſuperliga-
rem. Ex hac ſperarem integram partis intempe-
ratæ correctionem, ac humiditatis in ulcere
præter naturam contentæ abſumptionem. De-
cocti compoſitio talis eſſe poteſt:

℞. Florum camomillæ
Meliloti
Abſinthii
Betoniæ
Salviæ an. ℥. m. j.
Corticis ligni ſancti contuſi ℥. j.
Radicum gentianæ
Ariſtolochiæ rotundæ an. ℥. ß.
Alumnis rocchæ ʒ. iij

Infundantur, & decoqvantur ſecundum a-
tem in vino albo generoſo, & lixivio barbito-
ſoris an. p. æq. & q. ſ. Facta ulceris abſterſione
hoc eſt remotis omnib. ſupradictis impedime-
tis, ad alia medicamenta, prout ulcus reqvire-
accedendum erit. Qvoniam vero hæc excelle-
tiis veſtris nota ſunt, brevitatis gratia, nunc r-
cenſeri non curabo. At ſi medicamenta ſup-
dicta non omnino ſatisfacient, iterum ad pr-
parantia, atque expurgantia, deveniendum e-
putarem, deinde ad ligni ſancti, & ſalſæ parili-
vel ſaſſifraxi decocti exhibitionem, cum co-
venienti victus regimine, atque cum provo-
tione ſudoris. ab univerſo corpore, ut in ſim-
caſu fieri ſolet. Ex qvo præſidii genere, no-

om

omiſſis interim topicis auxiliis opportunis, priſtinam ægrotanti ſalutem cito venturam eſſe (Deo favente) ſperarem. Et hæc eſt mea in hoc difficili caſu, ſententia; qvam excellentiarum veſtrarum judicio, ſive cenſuræ, ſubjectam eſſe deſidero, ac volo.

IIX. Pro ulcere corroſivo Conſultatio.

MOrbus pro qvo præſens inſtituitur conſultatio (viri ſapientiſſimi, voſqve cæteri auditores nobiliſſimi) non multa videtur egere inqviſitione; cum ulcus prope talum externum perilluſtris patientis adeſſe conſpiciamus, quod à puſtula pruriente originē traxiſſe audivimus. Nam ea rupta, ulcus modo huc, modo illuc, citra tamen putredinem ſerpendo, cutim, ac ſubjectam carnem (licet extimam tantum ac ſuperficialem) depaſcitur, ac rodit. Ex qvibus nobis conſtat partis affectę natura, & qvalis ſit propria ulceris conditio. Pars ulcerata cum ſit juxta articulum, eſt fere tota nervoſa; ideoqve valde ſenſibilis; & cum carne vacua, atqve oſſea exiſtat, exangvis eſt; unde ob ſangvinis penuriam frigidi, & ſicci eſt temperamenti, & ex conſeqventi ob inopiam nativi caloris, eſt admodum imbecilla. Ulcus cum erodendo ſerpat, à materia acri, & erodente neceſſario fieri fatendum eſt. Hæc autem materia triplex eſſe poteſt, videlicet, vel tenuis, vel craſſa, vel mediocris. Si tenuis ſit, ut flava bilis, cum non pertingat ad profundiores partes, ſed ſummam tantum cutem exedat,

ſit herpes exedens, ſi fuerit craſſa veluti exuſta, & fervens atra bilis, generantur cancri ulcerati; ſi vero mediocriter fuerit craſſa, & tenuis, phagedænam in ſpecie, & proprie dictam auctore Galeno 14. met. efficit. Cum in hoc ægrotante non ſolum cutis, ſed etiam aliqva pars ſubjectæ carnis ſuperficialis, citra tamen putredinem modo hic, modo illic erodatur, nec in præſenti ulcere reperiantur ſymptomata cancrum ulceratum perpetuo comitantia, ut eſt in parte ulcerata dolor continue ægrum affligens, tumor durus, & ulcus inæqvaliter eroſum, ſordidum, & fœtidum valde, cum labiis prætumidis, & lividis exiſtens, nos judicare poſſumus, materiam peccantem in hoc ulcere eſſe mediocris ſubſtantiæ, & ulcus proprie illud, qvod à Græcis phagedæna dicitur, à noſtris corroſivum, ac ſerpens appellatur. Cum audiverimus ulcus hoc à pruriente puſtula originem habuiſſe, à cauſa interna, id eſt, ab acribus, atqve erodentibus humoribus aliunde ad ulceratam partem fluentibus, excitatũ fuiſſe comperimus. Cum hic ægrotans ſit juvenis, ſit habitus gracilis, coloris ſubflavi, venas habeat latas, ſangvine plenas, ſit exercitatus, habeatqve calorem ad tactum fere mordacem, (quæ cuncta maximam hepatis caliditatem arguunt) nos judicare poſſumus hos acres, atqve erodentes humores, eſſe bilem aduſtam, una cum ſangvine mixtam, genitam ab exceſſu caloris ipſius hepatis.

Qvo-

Qvoniam vero miſcetur cum aliqva ſangvinis portione, ideo efficitur mediocris ſubſtantiæ; & proinde in hoc ulcere non ſolum cutis, ſed etiam aliqva pars ſubjectæ carnis ſuperficialis, eroditur. Cum diu tale ulcus perduraverit, ſintq́ partes ulceris circumſtantes fere rubeæ, & præter naturam calidæ, ut vidimus, & ad ægroti ſenſum, atq; ad noſtrum tactum apparet; ægrotanſq; rebus frigidis circa partem ulceratam applicatis gaudeat, judicare poſſumus in hoc ulcere duplex eſſe vitium, nempe præter ulcus ipſum, humorum acrium aliunde ad ulcus provenientem fluxionem, videlicet ab hepate, qui humores depaſcuntur ſubſtantiam partis ulceratæ, & alimentum ejus corrumpunt. Adeſſe etiam intemperaturam ipſius loci affecti calidam cum materia, alimentum ejus corrumpentem, eosdem producentem humores, atqve ulcus cacoethes reddentem perſpicuum eſt. Qvibus ita ſe habentibus in hoc ulcere curando, prout plures ſunt cum eo affectus præternaturales complicati, plures etiam erunt indicationes in ejus curatione perſpiciendæ, nempe ut prohibeamus, ne hujuſmodi humores acres in partem ulceratam influant; & hoc erit qvod ad univerſum corpus attinet. Quod vero ſpectat ad partem ulcere affectam, intemperies partis ulceratæ tranſmutanda eſt in temperiem naturalem, & humores ibidem congeſti illam foventes, evacuandi & abſumendi ſunt. Qvibus omnibus peractis, reliqva deinde eſt curatio ulceris

cavi. An autem hæc nos conſeqvuturos ſperare poſſimus, colligemus à parte affecta, ab ipſo ulcere, à corpore ægrotante, & à rebus externis. Ex iſtis enim intelligemus roburne naturæ ſcilicet, an morbi ſit validius, an vero utriuſqve robur æqvale ſit; & proinde finis vel ſalubris vel pernicioſus, vel neuter an ſit expectandus, & qvo tempore, & qvomodo, is ſuccedere poſſit. In parte ulcerata plura conſiderari poſſunt, videlicet præſtantia temperies, ſubſtantia, ſenſus, motus, uſus actio, & ſimilia. Si ſpectemus præſtantiam, uſum, & actionem, cum pars non ſubſerviat alicui membro principali, neque ejus uſus, & actio ſint ad vitam neceſſarii, periculum abeſſe demonſtrant, & cum poſſit pars in qviete conſervari, finem ſalubrem fore oſtendunt; at ejus temperies frigida & ſicca, ſubſtantia mediocris, ac ſenſu acuto prædita, in conſolidatione ulceris aliqvam efficient difficultatem. In ulcere multa etiam pro recta præſagitione facienda ſe offerunt conſideranda, ut ejus magnitudo, figura, ſitus, mos, tempus, & res præternaturales cum eo complicatæ, ut ſunt cauſæ, morbi alii, & ſymptomata. Qvod ſpectat ad magnitudinem, & ad figuram, cum ulcus non occupet magnum locum, nec ſit profundum, nec rotundum, finem ſalubrem tempore non longo ſucceſſurum fore demonſtrat; at ulceris mos qvia malus eſt, ut ulceris diuturnitas, & mala ſaniei qvalitas commonſtrant; ſitus, qvia juxta articulum eſt; tempus, qvia vetuſtum eſt ulcus, &

res præternaturales cum eo complicatæ, ut eſt fluxio pravorum humorum ad ulcus, & intemperies loci ulcerati, difficultatem conſolidationis oſtendunt. In corpore ægrotante conſideratur temperamentum, vires. ætas, ſexus, habitus plenitudo & inanitio, euchymia & cacochymia. Qvod attinet ad vires quia non imbecillæ ſunt; ad ætatem, qvia juvenis eſt; ad ſexum, qvia maſculus exiſtit; ad temperamentum, quia ægrotans id calidum, & ſiccum habet; ad habitum, qvia eſt gracilis, nec multam habet in toto corpore humiditatem, pollicentur hæc omnia finem ſalubrem nec longo poſt tempore ſucceſſurum. Sed corporis univerſi cacochymia multum obſtare videtur. In rebus extra corp9 ægrotantis exiſtentibus, conſiderantur res non naturales, & ſi quid fortuitum poſſit accidere. Qvod pertinet ad aerem, qvia ſumus in hyeme, in qva morbi omnes diuturni eſſe ſolent, & in cœli conſtitutione frigida & humida (frigiditas vero & humiditas multũ adverſentur ulceri, illa mordicans ulcus, hęc vero putredinem ulceri afferens) difficultatem conſolidationis oſtendit. At Florentiæ, ubi tibiarum ulcera facilius, qvam in qvibuſdam aliis locis ſanantur, bonum nobis promittit. Ex qvibus omnibus colligi poteſt, præſens ulcus ſanabile eſſe, verum cum aliqva difficultate, quam tum ſolita veſtra diligentia, tum obedientia ægrotantis ſuperandam eſſe confido. Erit igitur finis in hoc ulcere ſalubris, verum cum tempore longo. Modum vero per novæ

carnis regenerationem ſucceſſurum eſſe, à nobis judicari poteſt. Et hæc ſint qvæ ad prognoſticũ ſpectãt. Qvod vero ad curandi rationem attinere videtur, videl. ut prohibeamus ne humores bilioſi à prædominio, in hoc viro peccãtes in partẽ ulceratã influant, ac humores parvi ibidẽ congeſti abſumantur, ut inde partis affectę intemperies corrigantur, & reliqva deinde fiat curatio ulceris cavi, hoc modo procedendũ eſſe judico; nẽpe, ut prius prohibeamꝰ, ne hujuſmodi acres humores in corpore generentur, deinde qvi geniti ſunt è corpore expellantur, & à loco affecto avertantur. Non colligentur acres humores, ſi cauſas removeamus, materialem ſcil. & effectricem, materialem, ut ſunt pingvia, dulcia, acria, calidaq; omnia & ſicca, & vinũ generoſũ; à qvibus omnib. in totum abſtinendũ eſſe cenſeo; effectricẽ, ut ſunt omnia qvæ hepar nimis calefacere poſſunt, velut aer nimis calidus, motus corporis vehemens, vigiliæ immoderatę, ita contentio, atqve omnis animi vehementior motus, ut ſunt curæ graves, cogitationes & mœrores. Hæc n. cuncta vitanda ſunt. Qvib. omnib. prohibitis procuranda eſt remiſſio caloris præternaturalis hepatis, ideo res omnes (qvas non naturales medici vocant) ad humiditatem & frigiditatẽ inclinare debent. Cum ſimus in morbo diuturno, victus forma, ac ejus qvantitas talis convenit, qvalis vires conſervare valeat. Conveniunt itaqve carnes laudabilis alimenti, ova recentia, & vinũ album aquoſum, aqva dilutum. Qvoad alimen-

ti qva-

ti qvalitatem, laudo uſum lactucæ, endiviæ, acetoſæ, cichorii, portulacæ, cucurbitæ, & hordei mundi compacti, vel in lacte ſeminum melonum, vel in jure pulli gallinacei bene cocti. Laudatur etiam ſomnus diuturnior, qvies corporis, tranqvillitas animi, & alvus mollis. Laudo per tres horas aut qvatuor ante cœnam, uſum ptiſſanæ hordaceę diſſolutæ cum jure pulli gallinacei alterato cum cichorio, endivia, acetoſa, & ſeminib. melonum, cui addatur uncia una cum dimidia conſervæ acidi citri. Mane vero diluculo uſum ſupra dicti juris alterati commendo cum uncia una ſyr. è ſucco limonis, vel è ſucco acetoſæ. Atq; hæc ſint qvod ſpectat, ne humores acres in corpore generentur. Qvi vero geniti ſunt, ut è corpore expellantur, & à loco affecto avertantur, danda opera eſt. Cum dixerimus humores peccantes eſſe bilem & ſangvinem mixtos, ideo tum vacuationis, tum revulſionis gratia, præmiſſo, & injecto lenienti clyſtere, laudo ut ſecetur vena jecoraria ejusdem lateris affecti, mittaturq; ſangvis ad decem unciarum pondus, deinde tertio tranſacto die à venæ ſectione, ut omnimoda fiat acrium humorum eductio, ſeqventem, vel ſimilem potionem, prout vobis magis convenire videbitur, exhiberem, videlicet

℞. Rhabarbari electi ʒ. ij.
Spicæ
Gingiberis an. gr. iij.

Infundantur in aqva endiviæ, q. ſ. per duodecim horas & S. A. fiat fortis expreſſio, cui adde

Mellis

Mellis roſ. ſol.
Syr. roſ. ſol. an. ℥. ij.

Decoctiõis ſenę magiſtralis q.ſ. capiat in aurora.

Die vero prima ab aſſumptione pharmaci, fiat clyſter lavativus, ac perſeveret mane, & veſpere in capiendo ptiſſanam atq; jus alteratum ut ſupra. Et hæc ſint qvoad cauſam, ut ajunt, antecedentem. Qvatenus vero ſpectat ad partem ulceratam, providendum eſt, ne pars recipiat humores fluentes, & ut eos qvi fluxerunt diſcutiamus, ac intemperiem partis corrigamus, atq; ulcus purum reddamus. Ulcus enim ſanari non poteſt, ut Gal. 4. meth. ait, niſi particula, qvæ ulcus contraxit, prius ſanetur. Ergo extra ulcus frigidis, & ſiccis medicamentis eſt opus. Commendo igitur in parte ſana ut ſupra ulcus, defenſivum (vulgo dictum) apponamus & circa ulcus ungventũ triapharmacum, in mortario plumbeo factum, cum oleo violaceo, aceto roſaceo & lithargirio aureo, cum additione in fine camphoræ bene contritæ. Qvod medicamentũ præ frigiditate qvam habet, humores fluentes, ac qvi nuper fluxerunt repellere, atqve calidam intemperiem corrigere poteſt; ſua vero ſiccitate humores in parte congeſtos diſcutere valebit. Cum autem caro ulcerata adeo vitiata ſit, ut alterantibus medicamentis corrigi non poſſit, cito auferenda eſt, nam qvo diutius manet eo deterior fit, atqve adempta difficilior redditur. Præterea alimentum partis affectæ eriam probum, in ſuccum malignum vertit, unde velut à con-

contagio etiam vicinæ partes afficiuntur. Qvapropter hanc carnem vitiatam, ſi non prius, ſaltem eodem tempore, qvo ſupra dictos præternaturales affectus curare ſtudemus, tanqvam ſere urgentiorem, ac tanqvam cauſam foventem dictos præternaturales affectus, adimere debemus. Dum ergo applicamus exterius ſupra dicta ungventa, laudo, intra ulcus apponamus filamenta aqva mea ſtillatitia aluminoſa imbuta, ac ungventum de tutia linteolo extenſum imponamus, & à pede uſqve ad genu, crus totum ligatura expulſiva ligetur, membrumqve in ſitu acclivi poſtea commode collocetur. His enim filamentis imbutis bis in ulcere, aut ad ſummum tribus vicibus appoſitis, tota caro vitiata deſiccabitur, qva remota, pro ulceris abſoluta mundificatione, pulvere angelico præparato aliqvãdo uterer, in pauca tamen quantitate, cum filamentis puris, & ſiccis. Ego utiqve in ſimili caſu ita ſemper facere ſolitus ſum & felici eventu. Ultimo ſi opus ſit ferramẽto candente utendũ eſſe conſulo. Celebrata vero optima ulceris mundificatione, in carne ulcerata ſola filamentis ſiccis libenter uterer. Ex qvibus prædictis præſidiis, ulceris perfectam ſanationẽ conſeqvi ſperarem, id eſt malignitatis amotionem, ulceris mundificationem & incarnatioem, ac aliorum præternaturalium affectuum cum ulcere complicatorum omnimodam ablationem. Ex qvo ſolum ſupereſſet ulcus cicatrice obducere: qvod qvibus præſidiis, & quo fiat modo, qvia omnibus

bus notum eſt, ideo in hoc negotio non ero longior. Et hæc ſunt, qvæ in præſenti caſu à nobis facienda judico: veſtris tamen ſententiis libentiſſime acqviêſcam,

IX. Pro ulcere ſinuoſo Conſultatio.

MAgnificus ægrotus (Patres ſapientiſſimi, voſqve juvenes nobiliſſimi) qvi hodierna die nobis proponitur curandus, multis abhinc menſibus abſceſſu in dextra parte hypochondrii juxta coſtas mendoſas laboravit; qvi cum ad ſuppurationem pervenerit, ferro à chirurgo ſectus fuit: qva de cauſa multa puris copia fluxit, & adhuc copioſe manat, etiamſi optima victus ratio ab eo in ſex rebus non naturalibus non fuerit prætermiſſa; ac generoſa præſidia tum per venæ ſectionem, tum per medicamenta purgantia à peritiſſimis medicis fuerint adminiſtrata. Qvinimo nec repetita purgatio, nec uſus decocti ligni ſancti ſeu Indici, & ſalſæ pariliæ, nec varia præſidia parti affectæ applicata ei prodeſſe potuerunt.

Ex qvibus omnibus colligimus tale vitium in ſoluta continuitate à nobis conſtitui debere; cum partem diviſam, eroſam, purulentamqve conſpiciamus; ac ulcus appellari. nam propria ulceris eſſentia eſt antiqva, atqve ſanioſa ſoluta unitas, in parte carnoſa facta. Inſuper ex his narratis luce clarius videmus, maximam adeſſe in hoc ulcere difficultatem conſolidationis, qvam niſi prius removerimus ul-

cus,

:us, nulla ratione conſolidare poterimus. Ut ergo ratione procedamus. propriam hujus ulceris differentiam invenire debemus; qva cognita facile nobis erit proferre, qvid agendum ſit, pro recta curatione præſentis ulceris. Cum ex iſto ulcere videamus adhuc majorem puris copiam effluere, qvam ejus orificii magnitudine convenire videatur, & cum ex ſpecillo in ulcus à nobis intromiſſo, magnas, ac plures in ulcere cavitates, citra tamen callositatem & duritiem, ac ejus os ſtrictum percipiamus, jure præſens ulcus ſinuoſum, ſeu cavernoſum appellare debemus. Et hæc erit propria præſentis ulceris differentia. Nam ulcus qvale præſens eſt, qvod ſtrictum, atqve angustum habet orificium, profunditatem vero latiorem, & viſui occultam, citra tamen callositatem, cavernoſum dicitur: cujus cauſa (ut audivimus) fuit ſuppuratus abſceſſus, vel (forſan) tardius diſſectus, vel (forſan) qvia in eo facta fuerit incifio parva, vel potius (ut credo), qvia abſceſſus fuerit magnus, & profundus; qvo rupto, & excreta materia qvæ in eo continebatur, tales ſinus relicti fuere. In qvibus qvod ſpectat ad ulceris cavernoſi naturam, impedimenta cōſolidationis tria eſſe poſſunt; duplex nimirum excrementum, tenue, & craſſum, qvod copioſius qvam in aliis ulceribus gigni ſolet; & in inveteratis ſinibus callus. Cum in præſenti ulcere callus obductus non ſit, ſupereſt, ut à retentione excrementorum ſupradictorum in præſenti

ulcere

ulcere naſcatur impedimentum conſolidationis. Igitur in hoc principaliter (mea qvidē ſententia) conſiſtit curatio ſinus, videlicet ut primò facilem effluxum dictorum excrementorum procuremns: deinde ut medicamentis ulcus deſiccetur, & detergatur, ea potiſſimum forma paratis, qva in univerſum ſinum ſe ſe poſſint inſinuare. Ut itaqve facilem exitum excrementorum inveniamus, conſiderandæ ſunt propriæ ſinuum differentiæ, potiſſimum qvæ à poſitione figura ſumuntur, ut qvæ præcipue (teſte Galeno) curandi rationem immutent. Nam ſive magnus, vel parvus; brevis, vel longus; altus vel in ſuperficie; ſimplex, duplex, vel triplex fuerit ſinus, eadem ſemper eſt eorum curandi ratio. Porro ſinus aut per longitudinem partis protenditur & rectus dicitur, aut in latus qvodammodo incliuat, & obliqvus nuncupatur: Rectus verò ſinus, aut fundum ſuperius, & os inferius habet & declivis dicitur; aut contra os ſuperius & fundum inferius, & acclivis vocatur. Puris effluxus facilis eſt in ſinu declivi; in aliis arte exitum puris expeditum molimur, vel collocata particula in eo ſitu, ut os ulceris deorſum vergat, vel ſi id fieri neqvit, & locus admittat, ferro perforata infima ſinus parte: vel ſi hui. etiam obſiſtat cõpoſitio, & natura particulæ, deligata parte ulcerata ligatura expulſiva cum appoſitione pulvilli infra ſinum, qvo fundus ſinus comprimatur, ut ſuperius pus qvaſi elidatur, & exire cogatur. Qvod ſi hæc ſcopo non ſatisfaciant, ſinus totus

eluen-

luendus erit collutionibus detergentibus, exccantibus, vel ſarcoticis, prout caſus poſtulait. Sinuum vero differentiæ, qvot & qvales nt, ſpecillo deprehenduntur; qvemadmodum n præſenti caſu fecimus, in qvo plures cavitates er membri longitudinem factas cum ſpecillo xploravimus, & harum fundum inferius, os ve-o ſuperius exiſtere invenimus. Unde præſens nus rectus, & acclivis jure dici debet; in qvo atione hujus ſitus, cum continuo retineantur lceris excrementa, principale conſolidationis mpedimentum à retentione puris ortum hauiſſe exiſtimo. Inſuper cum pars affecta ab uleris diuturnitate reddatur imbecillis, & cum ab odem ulcere ſanies candida, tenuis, & ſeroſa amper egrediatur, eandem partem affectam, etiam intemperie frigida laborare judicandum eſt; ubi id ex vicinis partibus, immo ab vinverſo orpore ſupervacuos humores ad eam confluee aſſerendum. Cum igitur in præſenti caſu plures ſint affectus præternaturales cum ulcere omplicari, nempe ad ulcus humorum affluxus, ntemperies partis ulceratæ frigida, puris aqvoſi opia, cavitas, & ſoluta unitas, plura etiam erunt ndicantia, videlicet inhibitio fluentium humoum, evacuatio eorum qvi fluxerunt, & correctio intemperiei, abſterſio, & exiccatio puris, cavitatis impletio, & ſolutæ unitatis unitio. Qvæ an facile conſecuturos nos ſperare poſſimus, colligemus à parte affecta, ab ipſo ulcere, à corpore laborante & à rebus externis. Ex iſtis enim intel-

ligemus qvale robur, naturæ ſcilicet vel morb
ſit validius, an verò utriusqve æqvale ſit, & pro
inde finis vel ſalubris, vel pernicioſus, vel neu
ter expectandus ſit, & qvo tempore, & qvo mo
do is ſuccedere poſſit, nobis innoteſcet. Pars
ulcerata cum non ſit nobilis, nec munus publ
cum habeat, nec acuto ſenſu prædita ſit, pericu
lum abeſſe demonſtrat. Cum temperamenti na
turaliter calidi ſit, & humidi, ſitqve ſubſtanti
mollis, id eſt carnoſæ, ac in qviete conſervai
poſſit, finem fore ſalubrem pollicetur; & per ca
nis ſimilis priori, id eſt, conſumtæ regeneratio
nem, atqve per partium diviſarum agglutina
tionem fieri debere, ac in tempore brevi, qvo
ad partem ulceratam attinet, ſuccedere poſſe ſi
gnificat. Ulcus cum plures & amplas, altasq; ha
beat cavitates, os verò ejus anguſtum, & ſtri
ctum ſit, fundus exiſtat latus, atqve ob id in di
ctis cavitatibus ſanies copioſa, & cruda conti
nue retineatur, niſi huic inconvenienti providea
mus, aliqvod grave periculum minatur. qvo
enim tangitur à putrido putreſcit; unde ne ulcu
penetrans ad interna fiat, ſuſpicio oriri poteſt
Imminet etiam periculum, niſi ſinus cito cure
tur, ne callum contrahat, id eſt (ut Juniore
loqvuntur) ne oſtracoſum fiat, & ſic inſanabili
remaneat; atq; etiam periculum eſt, ne in oſſe a
licujus ex coſtis mendoſis aliqva corruptio, a
longa ſaniei retentione ſubſeqvatur. Qvæ peri
cula ſi arte ſuperare poterimus, non niſi tempor
longo nobis aſſeqvi licebit, nam non ſolum jan
dict

ĉta obſtant, ſed malus habitus in ulcere con-
actus, ut diuturnitas ulceris, qvalitas, & condi-
o mala puris commonſtrant, nec non intempe-
es partis ulceratæ frigida, atqve ob ea ad partem
ceratam humorum concurſus idem etiā teſtan-
r. Cum ægrotus ſit juvenis, licet ſit cacochymus
mali habitus, ſi medico obediet, aliqvid boni
erandum eſt. Juventus enim ſemper bono pol-
etur. Tempus verò anni, cum ſit hyemale, ſit-
ve humidum, adverſatur ipſi ulceri. Nihilomi-
us ex omnibus dictis colligere poſſumus, qvod
nis in hoc ulcere ſalubris erit. Modus verò per
rnis generationem, atqve eius agglutinatio-
em ſeqvetur. Verum non niſi tempore longo
ccedet ſalus. Et hæc qvoad prognoſticum.
n curatione ſic procedendum eſſe judico, vide-
cet ut prius prohibeamus, ne humores conflu-
nt ad ulcus: deinde cæteros præternaturales af-
ectus curare ſtudebimus, qvemadmodum po-
ulabit ordo curationis. Non confluent humo-
es, ſi non generabuntur in corpore ſuperflui,
 pravi; & qvi in eo geniti ſunt, ſi evacuentur.
Ne generentur tales humores, fiet, ſi æger pro-
a victus ratione utatur, in ſex rebus (ut ajunt)
on naturalibus. Cum in præſenti caſu affectus
mnes præternaturales, cum ulcere complica-
os, frigidos, ac humidos eſſe judicaverimus,
t eſt humorum affluxus, intemperies partis
lceratæ, & anies ulceris, res omnes non na-
urales ad contrarium, nempe ad calidita-
em, & ſiccitatem ſpectare debent. Aër itaqve

laudo ut reddatur arte calidus, & ſiccus; præſertim dum illum curamus. Frigidum enim ulceribus inimicum eſt; & humidum ulcera ſordida reddit. Cum ſimus in diuturnis affectib. præternaturalibus, victus forma convenit ſymmetra cujus munus eſt, vires in eodem ſtatu conſervare. Ideo cibus optimi ſit alimenti, ut eſt panis ex optimo, & puro tritico factus, aliqvantulo ſale conſperſus, mediocriter fermentatus, & probe coctus; qvi non ſit ejusdem diei, nec diem qvartum, vel ad ſummum qvintum pertranſeat. Optimi nutrimenti ſunt etiam ova recentia, dummodo non ſint frixa, neqve dura. Carnes parvarum avicularum, gallinarum, caponum, aviumq; fere omnium (exceptis aqvaticis) conveniunt. Palumbi an conveniant cum dubium ſit, omnino eos prohiberem. Conveniunt etiam carnes hædi vituli lactantis, & vervecis juvenis. Prohibenda ſunt interiora animalium, medullæ, ſangvis, capita, & colla animalium, hepar tamen ex gallinaceo genere laudatur. Piſces, legumina, & herbæ omnes (borragine, petroſelino, meliſſa, & bugloſſa exceptis) omnino fugiendæ ſunt, ſic lagana, paſtilli, & alia qvæ conficiuntur ex paſta. Lac & caſeus non conveniunt, ſicuti nec fructus præſertim horarii, & immaturi. Qvantitas vero alimenti pro vice ſit mediocris, videlicet ne nimio pondere corpus gravet, neqve præ tenuitate langvidum reddat, ſed tanta ſit, ut vires conſervare poſſit. Qvalitas (ut dictum eſt) cum conveniat ſicca, carnes potius aſſæ, qvam elixæ paren-

ntur. Conſvetudo etiam ſervanda eſt, ut bis in
ie, ut ſolebat in tempore ſanitatis conſveto, ci-
um capiat; cœna tamen non ſit opipara, ſed par-
: qvod fieri debere in morbis à rheumate, ſeu
ſtillatione genitis, concorditer omnes tenent
ctores. Vinum nocet; eſt enim vehiculum
ravorum ſuccorum ad ulcus; propter tamen
orbi longitudinem, & propter conſvetudi-
em, aqvoſum aqva cocta dilutum exhiberem.
oſtea facta totius corporis evacuatione, & ul-
eris mundificatione celebrata, cum in ulcere
digeamus carnis generatione, & carnis gene-
tio fiat ex copia ſangvinis, ad maxime nutri-
tia devenirem, ut ſunt vino rubentia poten-
ora, pingvia jura; & victus qvantitatem au-
erem, ut præſens victus ſymmeter, craſſus, &
lenus evadat. Motum certum eſt multum ad-
erſari curationi. nam qvæ uniri debent qvie-
em reqvirunt. Loco tamen motus, ut cibi fiat
iſtributio, & humores divertantur ab ulcere,
ictionibus opus eſt, etiam validis, qvæ per u-
iverſum corpus per horam ante cibum, mane,
veſpere fiant, excepto loco affecto. Provi-
endum præterea eſt, ut qvæ ex coctionibus
uperfluitates generantur, evacuentur qvoti-
ie, ſi non naturaliter, ſaltem artificioſe. So-
nnus ſit brevis, non ſtatim poſt cœnam: dormiat
levato capite: ſupinus decubitus, & ſomnus
iurnus maximè nocent, lætetur & bene ſpe-
et, qvoniam (Deo duce) priſtinæ ſanitati citius,
vam credimus reſtituetur. Ut verò qvi genera-

 ti ſunt

ti ſunt humores evacuentur, commode præp-rari, alterari, & (ut dicunt) concoqvi debent, v-rum prius ut evacuentur materiæ commune in membris naturalibus contentæ, & in viis d-ctuum exiſtentes, opera danda eſt. Laudo i-tur ut hoc veſpere alvus clyſtere communi niatur, cras verò mane per duas horas an prandium, ſeqventem bolum exhiberem, vic-licet:

℞. *Electuarii lenitivi* ℥. j.
Agarici trociſc. ʒ. ij.
M. & cum ſaccharo f. b. & capiantur.

Pro humorum præparatione:

℞. *Syr. Betonicæ*
Mellis roſati
Syr. de ſtecade an. ℥. ß.

Cum uncis qvatuor juris pulli alterati cu betonica, mencha, iva artetica fiat ſyr. ita pro ſ-ptem vicibus, poſt ſyrupos ſeqvens medicame-tum capiat, videlicet:

℞. *Mellis roſ. ſol.*
Syr. de polipodio comp. an. ℥. j. ß.
Agarici trociſc. ʒ. j. ß.
Diaphœn. ʒ. iij. ß.
Decoctionis ſenæ magiſtralis, q. ſ.
M. & f. p.

At in corpore cacochymo una non erit ſuf-ciens purgatio, ideo alia validior inſtitui poteri ſcilicet:

℞. *Syr. de fumo terræ comp.*
de Pomis comp. an. ℥. j.

Dec

Decoctionis fumiterræ
Sonchi
Betonicæ ℥. iij.
M. pro ſyr.
℞. *Foliorum ſenæ* ℥. iij.
Paſſularum dulcium ℥. iiij.
M. & bulliat alternis diebus cum prædicto decocto.

Poſt aſſumtionem per ſeptem vices horum ſyruporum laudo ut noſter ægrotus has infra ſcriptas pilulas per ſpatium qvinq; horarum ante cibum accipiat.

℞. *pilularum cochiarum præparatarum* ℈. iiij.
Maſticinarum ℈. j.
M. & cum aqva betonicæ reformentur pilulæ & aurentur. Poſt hanc purgationem ſi opus erit ad decoctum ligni Indici, vel ſalſæ & chinæ devenire poterimus. Prima vero die ab aſſumpto pharmaco, abluantur inteſtina clyſtere (ut ajunt) lavativo. Et hæc ſint qvod ſpectat, ne humores fluant ad ulcus. Qvod vero pertinet ad alios præternaturales affectus cum ulcere complicatos, ubi indicantia ſunt diverſa, & pro rerum indicatarum executione egent diverſo tempore, ſcimus ordinem curationis poſtulare, ut in tali caſu inchoanda curatio ſit (ubi non adeſt urgens affectus) ab eo morbo ſine qvo non poſſunt cætera fieri, qvæ curatio poſtulat. Sic in præſenti caſu cum intemperies partis ulceratæ, & ulceris cavitates, foveantur à retentione puris contenti in ipſis cavitatibus, ordo curationis poſtulat, ut pri-

ut primo procuremus liberum exitum puris. Unde dicebat Galenus 2. ad Glauc: In vulneribus ſinuoſis in qvibus libere ſanies effluere non poteſt nihil unqvam promovebis, ſive carnem generare, ſive glutinare velis; niſi prius collectioni purulentæ effluxum molitus fueris. Cum autem fieri non poſſit in præſenti caſu, neqve propter ſitum partis ulceratæ, cum os ulceris ſurſum vergat; neqve ferro perforari poſſit infima ſinus pars, qvia huic etiam obſiſtit compoſitio, & naturæ particulæ; neqve ligaturam (ut ajunt) expulſivam particula admittat, ſaltem ſectione dilatando os ulceris, hoc efficere ſtudebimus. Qvod ſi ægrotus à ferro abhorreat, os ulceris dilatari poterit cum cauſtico, vel turunda ex radice gentianæ facta vel ex milii Indici medulla, qvod vulgo in hac civitate Florentiæ dicitur ſagginale; est enim in hoc caſu, ut ſæpius expertus ſum, primum locum tenet. Verum libentius uterer ſectione, qvam iſtis; qvia ex ſectione orificium dilatatum, diutius ſic conſervatur. Deinde vero variis lotionibus ſuo tempore exiccantibus abſtergentibus, vel ſarcoticis, prout dabitur occaſio, cum ſyringa (ut fieri ſolet) in ulcus projectis, aliiſqve medicamentis exiccantibus, & abſtergentibus ſinus, abſolutionem curationis efficere conabimur. Impoſito igitur ſpecillo in ulcus, laudo ut inſtrumento falcato, vel forcipibus os ulceris bene dilatemus.

Inciſione vero facta, ut dolor qvi per eam excitatus eſt, ſedetur, & impetus profluentis ſangvinis

vinis compeſcatur, turunda ex ſtupa cannabi-
a facta, & in ovi candido aliqvandiu agitato
bacta, in inciſione imponenda eſt: atqve eti-
m in ovi candido alia ſtupa bene madefacta, ſu-
ra ulcus mox admoveatur. Seqventi vero die,
ucta prius ſanie, cum levi manuum compres-
one à ſinibus, in qvalibet viſitatione, videlicet
s in die, ut caro inciſa leniatur, digeſtivo tra-
anda eſt, cum qvo per tres, aut qvatuor dies
rocedendum eſſe judico. Deinde prius expur-
ata ſemper ab ulcere ſanie cum aqva mulſa, vel
mili, in ſinus projicerem ſeqvens medicamen-
um actu calidum, videlicet.

℞. *Mellis roſati* ℥. iij.
Aqvæ ardentis ℥. ß.
Præcipitati optimi ʒ. ß.
Miſc.

Ex qvo medicamento non ſolum humidita-
is exſiccatio, ac ſorditiei abſterſio, ſed carnis
qvoqve flaccidæ (ut dicunt) & mollis, in ſinibus
genitæ conſumptio, ſine ullo fere dolore, aut ſal-
tem qvam leviſſimo, ſeqvetur: ſemper enim ubi
retinetur ſanies, præſertim ſeroſa, caro ſinus ex
contactu ſaniei, efficitur mollis, & ſpongioſa;
qvæ tanqvam inutilis, & præternaturalis, cum
à medicamentis ſcilicet alterantibus corrigi non
poſſit, ſui ablationem indicat. Verum ſi tale me-
dicamentum videatur imbecilliter operari, pul-
veris præcipitati dicti doſis addi in majori qvan-
titate poterit. Exterius vero in linteolo un-
gventum baſilicum magnum vocatum (qvaſi

regium dicas (extenſum juxta ulcus applicaren
Remoto fomento intemperaturæ partis ulcera-
tæ, redditoqve, ut decet, ulcere puro, qvod e
manante ſanie bona, & pauca deprehendemu
reliqvum eſt materiam, qvæ fluxerat, omnin
diſcutere, ac intemperiem partis ulceratæ ex to
to corrigere. Pro harum rerum igitur executio
ne, extra ulcus ligarem ſpongiam novam in ſe
qventi decocto calido prius madefactam, atqv
inde bene expreſſam; cujus decocti talis pote
eſſe deſcriptio, videlicet:

℞. *Florum camomillæ*
Meliloti
Abſinthij
Betonicæ
Salviæ
Roriſmarini an. m. j.
Radicum gentianæ
Ariſtolichiæ rotundæ an. ℥. ß.
Corticis ligni S. contuſi ℥. j.

M. & infundantur ſ. a. in vino albo generoſo
& in lixivio barbiton ſoris an. p. æqval. & q. ſ. de
coqvantur in vaſe vitreo ad conſumptionem ter
tiæ partis, deinde colentur: Et uſui, vaſe vitreo
bene clauſo, ſervetur. Intra vero ulcus ſeqven
decoctum injiciatur, videlicet:

℞. *Ariſtolochiæ rot.*
Radicum gentianæ.
Radicum conſol. major. an. ℥. ß.
Roſarum rubearum m. j.

Vin

Vini albi optimi ℔. j.

Infundantur, & decoqvantur ad conſumtionem tertiæ partis, & colentur, cui colaturæ dde:

Mellis roſati ℥. ij.

 iterum parum bulliant, & cum tali decocto er tres, aut qvatuor dies procedendum eſſe juico. Ex qvibus duobus præſidiis omnimodam umorum qvi fluxerunt diſcuſſionem, intemeraturæ totalem correctionem, atqve humidiatis in ulcere præter naturam contentæ, aliqvam abſumptionem me obtenturum ſpero. Qvibus omnibus impedimentis remotis, ad cavitatis impletionem, deveniendum eſt. Licet verò hoc ſit opus ſolius naturæ, nihilominus medicus in hoc opere adjuvat naturam, dum impedimenta tollit, ſcilicet duplex illud excrementum, qvod in omni carnis generatione provenire ſolet, & carnis probæ generationem impedit, nempe tenue, & craſſum. Utrumqve igitur removendum eſt, craſſum qvidem moderatę detergentibus (nam nimia deterſio non ſolum ſordes deterget, ſed & tenellam jam genitam carnem detraheret) atqve roſione carentibus, ne inflammatio concitetur: Tenue verò modice ſiccantibus, nam nimia exſiccatio etiam utilem materiam generandæ carnis abſumeret. Qvæ ſane duo, videlicet moderata abſterſio, & moderata exſiccatio, commode præſtabuntur à ſeqventi liqvore, videlicet:

℞. Vini

℞. *Vini albi odorif.* ℥.vij.
Aqvæ vitæ finiſſimæ ℥.iij.
Mellis roſati ℥.ij.ſs.
Mirrhæ.
Aloes hepat.
Sarçocollæ an. ʒ.ſs.
Thuris ʒ.iij.
Seminis hypericonis
Centau. maj. & min.
Millefolii
Rad. conſ. maj.
Ariſt. rotun.
Iridis an. parum.

Trituratis omnibus, bulliant omnia ſimul in vaſe vitreo balneo Mariæ, usqve ad conſummationem tertiæ partis, deinde colentur; & vaſe vitreo bene clauſo uſui reſervetur. Facta cavitatis impletione, locus cicatrice obducendus erit; qvod cerato minii, vel alterius ſimilis rei nobis conſeqvi licebit. Et hæc ſunt, qvæ in præſenti caſu ex arte fieri debere judico; veſtris tamen ſententiis libenter ſubſcribam. Hic à me curatus, & ſanitati (Deo favente) reſtitutus fuit.

PETRI

PETRI MATTHÆI ROSSII,

Medici ac Philoſophi Præclariſſimi, accuratæ Obſervationes, & Curationes qvorundam morborum, unde in promptu ſit, qvomodo ex rationali arte curentur.

De cruris fractura cum vulnere à re contundente prope juncturam pedis.

Observatio I.

QVidam ſarcinator Aqvilanus Pompejus nomine in Civitate Ducali, fracturam transverſalem amborum focilium cum magno vulnere accepit in parte cruris dextri anteriore, diſtante à pedis junctura ſpatio qvinqve digitorum, à re contundente ictam. Oſſa verò ex hoc vulnere fracta tres digitos eminebant. Et qvamvis non ſemel à qvibusdam medicis & chirurgis tentata fuiſſet oſſium fractorum ad propriam ſedem reductio, nunqvam tamen id aſſeqvi potuerunt. Ex qvo

in eam

in eam ſententiam venerunt ut totum crus ſe-caretur in vulnere, & totus pes cum crure infr-vulnus removeretur. Ego accerſitus, omnibu-rite perſpectis, ac percepta ſententia, qvæ à me-dicis prolata erat, ipſis dixi, ſi pes corruptu-non eſt, eumqve poſſumus conſervare, qvar-abjiciendum putamus? Illi contra, qvia cun-oſſa fracta ſint extra locum ſuum naturalem, non poterunt ferruminari cum aliis oſſibus ſa-nis. Unde hic nullo modo proprio pede am-bulare poterit. Adde qvod continuis torqve-bitur doloribus. Et hinc etiam poſſet corrip-aliqva mortificatione partis affectæ, nec un-qvam vulnus conſolidari. Jam enim transact-ſunt viginti qvinqve dies, ex qvo nos ferè qvo-tidie tentavimus reducere oſſa fracta ad pro-priam ſedem, & numqvam potuimus. Ho-igitur nos in hanc ſententiam deduxit, cum po-tius læſio qvam mors optanda ſit. Qvibus eg-modeſte ſubdidi: Cuncta prius tentanda. Qvic-nocebit, ſi tentabimus tenui aliqvo inſtrumen-to prius oſſa denudata fracta removere? Facil-erit poſtea reliqva oſſa fracta leniter reducere-ad proprium locum, juxta oſſa cruris ſana; de-inde convenienti ligatura, & opportunis re-mediis facillime ipſa conſervare in eodem loco-poterimus, & ſic removebitur cauſa doloris, ac ſuſpicio alterius imminentis morbi. Nec-amplius infeſtabitur doloribus, cum deinceps-uſu venturum non ſit, ut antea, pro oſſium ad-propriam ſedem reductione, vulnus lacerare,

& ſic

ſic provocare qvotidie dolores. Sic ergo oſſa
cta facile ferruminari poterunt. Qvamvis
tem crus brevius tribus digitis remaneat, me-
s erit (meo judicio) habere pedem, & crus
turale, licet brevius, qvam loco iſtorum cogi
i inſtrumento ligneo. Addidi qvidem talem
erationem periculoſiſſimam à me judicari.
i verò aſſeveranter affirmabant qvod à me
oponebatur, non eſſe ſucceſſurum, inſtan-
s oſſa jam fracta nunqvam ferruminari poſ-
Si non conglutinabuntur reſpondi, qvid ob-
bit, qvin tum poſtea removeri poſſint una
m pede, & cruris parte male affecta? Ipſi tan-
m, audiſti inqviunt, in qva ſententia ſimus,
mpe ut pes, & cruris pars à parte ſana omni-
removeatur. Qvod ſi tu ſecus (ut dicis) ſen-
e perſeveras, tuus ſit etiam honor, & ſic æ-
otantem deſeruerunt. Ego verò miſericor-
a motus, qvia ægrotans non pauper, ſed men-
ciſſimus erat, volui ipſum (ſperans in Dei be-
gnitate) curare, & ſic poſtridie ut propoſui,
nuiſſima ſerra removi oſſa denudata, & emi-
ntia; deinde manibus leniter extendendo
us, reliqva oſſa paulatim ad propriam ſedem
duxi & ligatura condecenti, & qvibusdam vin-
lis, qvæ qvotidie, ſvaviter tamen, ſine ullo do-
re reddebã arctiora qvantũ opus erat absq; eo-
remotione, & medicamentis opportunis, dicta
ſa in propria ſede conſervavi. Hac ratione ceſſa-
runt illi ingentiſſimi dolores; & facta deſqva-
atione qvorundã oſſium, vulnus ſpatio duorũ
men-

menſium perfecte conſolidatum fuit. Et poſt alteros duos menſes ægrotans ambulare cœpit per Civitatem Ducalem, mihiqve etiam atqve etiam detecto capite præcurrens, beneficii memor ſæpius humiliter dixit, humanitati ac diligentiæ tuæ pedem hunc acceptum refero. Similis fere caſus accidit mihi in Civitate Namurci.

Qvidam miles levis armaturæ Cremonenſis, accepit vulnus in altero femore, non multum diſtans à genu, cum totali fracturæ oſſis femoris à ſclopeto factum, cum perforatione vulneris ab utroqve femoris latere. Ad ejus curationem tres aderant medici, qvi jam præparaverant omnia convenientia ad membrorum reſectionem, nempe ferramenta jam ignita pro ſiſtendo ſangvinis fluxu, & alia. Ego accerſitus, & eorum ſententia rationeqve cognita, nempe qvod oſſa fracta in vulneratis à ſclopeto non ferruminantur, dixi oſſa qvidem minutim fracta cum vulnere non ferruminari; qvia cum priventur alimento, & alterentur à ſanie, neceſſario mortua evadunt, unde vel arte, vel natura vel utroqve expellentur. Oſſa vero magna cum viva perdurent, facta mundificatione vulneris ferruminari, & loco oſſium deperditorum regenerari callum, poſtea oſſa fracta ligat & continet.

Affirmavi etiam os fractum ſic conglutinatum fungi officio ſuo, non aliter ac ſi ſanum eſſet, ideoqve laborantem fractura, veluti prius ſtare & ambulare poſſe; idemqve me dixi ſperare i

e in illo milite ſucceſſurum. Illi verò in ſua opi-
ione perſiſtentes, ab hujusmodi curatione di-
iſſi fuerunt. Hunc igitur etiam curavi gratis,&
ſe perfecte ſanatus fuit, & arma in poſterum,
t prius exercere potuit. Ex qvibus caſibus (ſi-
mi) colligere poſſumus, qvam temere agant
ne evidenti neceſſitate; ex toto membrum ali-
vod amputantes, niſi prius ab eis adhibeatur
mnis diligentia pro membri conſervatione.
vam ſi arte aſſeqvi non poſſimus, tum deni-
ve debemus pro conſervatione partis ſanæ ac
tius individui abſcindere, ac removere ma-
m à ſano, juxta ſupra dictam Ovidii ſenten-
am: Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile
ulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſincera tra-
atur.

De punctura medii digiti dextræ manus circa articulum, qvæ in ulcus diuturnum, & contumax degeneraverat.

OBSERVATIO II.

DUm sereniſſima Margarita Auſtriaca dege-
bat in Civitate Ducali, Illuſtriſſimus Car-
inalis Alexander Farneſius ejus viſitandæ cauſa,
d dictam Civitatem Ducalem, magna Illuſtris-
morum virorum caterna comitatus acceſſit,
nter qvos aderat Illuſtr. Nicolaus Urſinus Co-
nes Pitiliani, qvi duobus menſibus anteqvam
luc adveniret, dum in dumeto cauſa venationis
um inſtrumento inciſorio verſaretur, accepit
uncturam ſatis notabilem (ut ipſe mihi retulit)

cum ingentiſſimo dolore circa primū articulu
medii digiti dextræ manus. Reverſus igitur Pi
lianum curatus fuit, verum intra puncturā à ch
rurgo nulla fuit intromiſſa turunda, unde ſeqv
ta fuit obcæcatio ipſius puncturæ. Dolor in di
magis cum inflammatione digiti, ac totius ſe
manus augebatur, ſupervenitqve febris. Hinc a
cerſitus fuit excellentiſſimus Fallopius, à qv
multa per aliqvot dies adhibita fuere præſidi
unde dolor, inflammatio atqve febris ſedata fu
re. A punctura verò multa puris copia qvotid
egrediebatur, manifeſtiſſimum argumentum
puncturam in abſceſſum degeneraſſe. Curat
poſtea fuit ab aliis multos dies qvi ulcus exſicc
re, & claudere nunqvam potuerunt. Cum ig
tur eſſet in Civitate Ducali, ego juſſu meæ Ser
niſſimæ Dominæ, ad Illuſtriſſimum Comite
acceſſi, atqve interrogavi de origine morbi, c
præſidiis adhibitis, nec non de totius morbi ſu
ceſſu, qvi omnia (ut ſupra relata ſunt) mihi
ordine narravit. Cœpi pertractare digitum m
le affectum. Sed anteqvam ulterius progreder
dixi, me vereri, ne mihi minus ſuccederet qv
excellentiſſimus Fallopius aſſeqvi non potuera
maxima tamen me uſurum eſſe diligentia, ut S
reniſſimæ meæ Dominæ ſatisfacerem. Cum ip
igitur differendo ita dicere cœpi: Prius conſid
rare debemus, qvid conſolidationem impedia
illudqve inveſtigatum removendum eſt, alioqv
ulceris conſolidatio neqvaqvam fieri poſſet. H
autem impedimentum judico eſſe aliqvid præt

nan

ıturam, qvod in ulcere retineatur. Ad hoc cre-ndum me impellunt magna ſaniei copia, tenui-s, atqve aqvoſitas ipſius ſaniei, qvæ qvotidie ex m parvo ulcere emanat. Dixi autem hoc præter ıturam eſſe poſſe; vel aliqvam cariem contra-am in oſſe ex diuturnitate ipſius ulceris, & ex ala ſaniei qvalitate; vel aliqvod fruſtulum ligni vod in ulcere reperiretur. Et addidi fore opus, totum ulcus ſpecillo exploraretur. Hoc verò luſt. Comes tanqvam novum accepit, cum tale alnus pertractatum fuiſſet ab excellentiſſimis ris, nec unqvam ad talem explorationem de-niſſent. Nihilominus paratus ſum (dixit) pro cuperanda ſalute obedire omnibus tuis verbis. go igitur qva maxime potui dexteritate, intro-iſi ſpecillum in ulcus absqve ullo dolore, atqve veni ulcus deſcendens usqve ad ſecundum ar-culum digiti, tetigiqve intra ulcus materiam vandam duram, & mobilem. Unde in hæc ver-a ſtatim prorupi: Illuſtriſſime Domine jam de-ximus noſtrum adverſarium; jamqve (favente eo) evellemus ab abſcondito cuniculo. Prius itur aliqvantulum ulceris orificium dilatavi, einde intromiſſa in ulcus volſella, materiam ıram atq; mobilem extra ulcus extraxi, & hæc at ſpina ſatis craſſa, & longa. Poſt hujus verò tractionem ad leniendum dolorem à dilatatio-ulceris, & ab extractione ſpinæ concitatum, npoſui turundam oleo magiſtrali calido hy-ericonis imbutam, ſupraqve ad prohibendam flammationem, applicavi oleum roſaceum.

Deinde mundificavi ulcus. nam plenum er
carne molli, & flaccida, ut ſemper continge
ſolet, qvando in ulcere aliqvid extraneum re
netur. Hæc igitur caro remota, atqve exſicc
ta fuit à me meo pulvere angelico, & paulo po
ad ſarcoticum medicamentum deveni. N
multi tranſierunt dies, ex quo Illuſtriſſimus C
mes cum magno meo honore penitus liberatu
fuit. Per hunc caſum (mi fili) ſatis liqvet, in ul
ceribus curandis, ſemper explorandum eſſe
qvid conſolidationem impediat, ut cognito im
pedimento, inde ipſum removeamus. Impoſſi
bile enim eſt ſanari poſſe ulcus, niſi prius puru
redditum fuerit.

De fractura dextri cruris cum vulnere, cui multa & prava accidentia ſupervenerant.

OBSERVATIO III.

NObilis, & perilluſtris Marinus Antonelliu
Aqvilanus, cum Palatium fere totum, ub
in qvodam ſuo Caſtro manebat, pulvere ſclo
petario, evolaſſet, & everſum fuiſſet, inter al
mala, qvæ paſſus fuit, in dextro crure magnu
accepit vulnus, cum fractura amborum fociliu
id eſt tibiæ, ac ſuræ, & cum apparitione oſſis fra
cti tibiæ extra vulneris orificium. Curatus fui
& os detectum, tandem deſqvamavit, ut mih
retulerunt, & laborans, & phyſicus, & chiru
gus, qvi eum curabant. In abſceſſum partes vu
neri & fracturæ adjacentes devenerunt, unde ma

ma inflammatio partem vulneratam occupa-
t. Febris atqve ingentiſſimi dolores proceſſe-
nt; tandem vulnus ex abſceſſu in ſinuoſum ul-
s degeneravit. Per novem igitur menſes cum
ſiduis doloribus affligeretur absq; ulla ſua uti-
ate curatus fuit. Sæpius eſt evacuatus variis me-
camentis, clyſteribus, & ſangvinis miſſione.
ımpſit decoctum ſalſæ pariliæ, & ligni ſancti.
ihilominus ſymptomata, ut erant dolor & co-
a ſaniei, non poterant removeri; & pars affecta,
væ laborabat unitatis divortio, & ulceris cavita-
, neqve impleri, neqve conſolidari, id eſt uniri.

Demum ex continuis doloribus, febre, vigi-
s, inappetentia, & ſimilibus pravis accidentib,
bſeqvuta fuit totius corporis extenuatio, &
ræſertim cruris male affecti, unde ægrotantis
ita male ſe habebat, atqve maximo in periculo
erſabatur. Ego juſſu Sereniſſimæ meæ Dominæ
cceſſi ad eum videndum coram ejus medicis. Hi
erò cum mihi usq; ad eam dië, univerſam mor-
i hiſtoriam ex ordine narraſſent, propoſuerunt,
t denuo ægrotans purgaretur, deinde denuo per
ıultos dies ſumeret decoctum ſalſæ, & ligni
ncti cum tenui victu. Ego poſt eorum ſermo-
em, laudavi qvæ ab ipſis in tali caſu facta fue-
ınt. De futuris verò conſtituendis, dixi me non
udere meam proferre ſententiam, niſi prius lo-
um male affectum vidiſſem, manibusqve ac ſpe-
illo pertractaſſem. Dixi enim, cum ea qvæ à vo-
is propoſita ſunt, reſpiciant univerſum corpus,
b univerſo corpore impedimentum naſci con-

ſolidationis hujus ulceris, neceſſe eſt cenſeat
Verum qvia fieri poteſt, ut in ipſa parte affec
ſit impedimentum conſolidationis, de qvo nu
la fuit à vobis facta mentio, hinc rationi conſe
taneum eſt, ut ipſam prius videamus;& eam pe
tractemus diligentiſſime. Sic igitur conſtitutu
fuit, & ego ut ſoleo in caſibus dubiis introm
ſpecillum in ulcus, intra qvod in notabili qva
titate os denudatum, ſeparatumqve à ſano, qv
mobile erat, ſpecillo ipſo percepi. Unde ſtati
dixi, me ſperare non fore opus aliis remediis ur
verſalibus, ſed judicare ſolum reqviri particul
ria, cum cauſa impedimenti conſolidationis ulc
ceris, non à toto, ſed à parte oriretur. Erat aute
oſſis fracti, & corrupti, ac ſeparati à ſano rete
tio, qvæ indicabat ſui extractionem. Corpus ve
univerſum, ob magnam ejus extenuationem nu
la indigebat evacuatione, ſed potius ex ſentent
Hippoc. 2. Aph. 22. reqvirebat repletionem.
qvoniam pauco, imo fere nullo dolore, parvoq
negotio tale os ſeparatum extrahi poterat, tale
operationem ſtatim tuto fieri poſſe cenſui, n
ulla ex cauſa differendam exiſtimavi. Facta ig
tur à me aliqvâ dilatatione in ulceris orificio, t
tum os corruptum & ſeparatum continuo e
traxi. Medici illi ad reliqvam curationem me r
liqverunt ſolum, & ego eam ſpacio viginti qvi
qve dierum abſolutam habui. In qvo caſu (f
fmi) habes, ſemper in omni ulcere qværenda
eſſe diligentiſſime cauſam, cur ulcus non conſ
lidetur, eamq; auferendam; Nec in omni morb

ſemp

mper deveniendum (ut nos etiam docet Hip. ph. 18.) ad evacuationẽ univerſi corporis, imo, erat in prædicto caſu, perſæpe ægrotantem tuto i poſſe. Qvæ remedia poſtea in ulcere applicavi, oſſunt tibi, & cuilibet rationali artifici eſſe no-; unde brevitatis cauſa non recenſeo.

e abſceſſu profundo circa femoris caput, falſo iſchiadico dolore credito, & curato ſimiliter.

OBSERVATIO IV.

QVædam anicula ſexagenaria in Civitate Aqvila, duobus menſibus curata fuit à qvoam medico, tanqvam laborans iſchiade. Cum itur die, noctuq; magnis clamoribus conqveretur, Dominus Ludovicus Riviera (infirma nim prope ejus domum habitabat) miſeratioe impulſus, rogavit me, ut ad eam viſitandam ccederem. Accedens igitur inveni eam in lecto centem, qvippe qvæ nullo modo ſe loco movee poterat. Cum verò eam interrogaſſem de origie, & progreſſu morbi, retulit mihi ſe ob inopiam oactam fuiſſe jacere in loco humidiſſimo, & ſic uiſſe correptam dolore in capite femoris, qvi olor ſe extendebat usqve ad mediam natem, ubi b initio doloris adfuit durities, ac tumor manieſtus, ut ejus filia recitabat. Medicus multa adhiuerat præſidia, tum univerſalia, tũ particularia, x nunqvã viderat, neq; tractavit locũ affectũ. Illa erò deterius qvotidie ſe habebat. In applicatione

remediorum localium, qvando incaute locus a
fectus comprimebatur, ingentiſſimis cruciatib
angebatur. Medic9 aſſeveranter affirmabat, ipſa
dolore coxendicis laborare. Sed qvoniam ex Ga
1. acut. com. 3. ſententia, in primis qvisnã ſit mo
bus dignoſcere oportet, deinde ipſius curatione
aggredi: Et inſuper morbi externi, cum ſubjac
ant ſenſibus, viſus ſc. ac tactus, debent & aſpici,
manibus pertractari; volui locum affectum vid
re, ac partem tumefactam, unde prodibat dolo
contrectare. Inveni igitur in illo tumore ade
multam copiam materiæ replentis, ac diſtende
tis locum tumore obſeſſum, qvæ materia extran
vere profunda erat nec poterat, niſi à peritiſſim
artifice comprehendi. Itaqve per duos dies a
plicavi cataplaſma factum & radicibus althæ
capitibus liliorum alborum, & foliis malvarur
omnibus in brodio carnis decoctis, poſtea tun
& cribratis cum farina ſeminis lini, & tritici a
q. ſ. & axungia ſuilla non ſalita, butyro, & ol
amygdalarum dulcium an. q. ſ. Qvod in loco a
fecto applicatum, lenivit aliqvantiſper dolore
& mollificavit partem abſceſſu obſeſſam. Dei
de verò aperui, & inde proſiluit materia fœtid
& ferè coloris viridis ad qvantitatem trium f
re librarum. Nolui tamen ſaniem totam uni
vice ex abſceſſu educere, monitus ab Hipp.
minime convenire, etiam ſi qvod educitur
præter naturam. Seqvitur n. ſpirituum exhalatic
unde virium diſſipatio, atq; animi defectio. Cu
itaqve præſtet pluribus vicibus materiam pe

cau

-ntem evacuare, hoc pacto à me in tali caſu fa-
um fuit. Ulcus poſtea qvoniam remanſit ca-
um, & fortaſſe ſinuoſum, convenientibus lo-
onibus, prout conditio ulceris reqvirebat, per-
actavi. Ex qvo triginta qvinq; dierum ſpacio
auperrima anicula liberata fuit, ac ſanitati re-
ituta. Ex hoc caſu (fili mi) inſtruimur, perfe-
iſſimam cognitionem morbi debere præcede-
ipſius curationem. Qvanqvam enim aliqvan-
o nobis videatur absqve alia diligentia cogno-
ere cauſam, & morbum, non tamen pigere de-
et non ſolum rationibus, ſed etiam noſtris ſen-
bus ſatisfacere; præſertim ubi datur occaſio, ut
ontingit in morbis externis. Qvando autem du-
itamus de abſceſſu alicujus partis, præſertim ubi
deſt naturalis loci craſſities, ut contingit in na-
ibus, atq; in locis profundis, & in materia craſ-
a, non debemus eſſe contenti, ut locum tume-
actum ſummis tantum digitis tractemus; ſed
otam tumefactionem utraqve manu bene com-
primere debemus, diligenter obſervantes, an a-
iqva in compreſſione percipiatur materiæ in-
undatio. Hoc enim modo ſæpius patefeci ego
abſceſſus aliis incognitos.

Non diſſimilis (ut hoc etiam obiter dicam)
uit caſus Joannis Baptiſtæ Romani, famuli per-
illuſtris Dom. Æneæ Vainæ.

Ipſe enim conqverebatur de dolore intenſo
in altera nate prope femoris caput. Et ego ſu-
pradicta diligentia uſus, patefeci ipſum laborare
abſceſſu in tali parte.

Poſt ſpacium igitur fere unius menſis (tandiu enim duravit) tandem in Hoſpitali ſancti Matthæi hic Florentiæ abſceſſum à Philippo ejus loci chirurgo, aperiendum curavi, unde maxima ſaniei copia ſtatim exiliit. In aliis qvoq; occaſionibus hic etiam Florentiæ, ac aliis in locis idem mihi evenit. Cæterum hanc cognitionem profundorum abſceſſuum Deo omnipotenti, non ſcientiæ meæ acceptam refero; cujus nomen ſit ſemper benedictum in ſecula ſeculorum, Amen.

Angelo Marcelleſio Patritio Fulginati Philoſopho ac Medico excellentiſſimo

Victorius Roſſius Philoſophus & Medicus S. P. D.

VUlnera capitis à magno Hippocrate ſemper periculoſa exiſtimata ſunt, adeo ut cunctis teſtatum reliqverit ea, ne minima qvidem, eſſe contemnenda. Qvod ita ſe habere ipſa experientia docet. Nec immeritò certe vulnera capiti inflicta periculoſiſſima cenſenda ſunt, cum nullum in homine membrum ſit nobilius, & in qvo præſtantiores functiones fiant. Adde etiam, qvod ſi in aliqvo morbo ſunt ſigna dubia, in capitis morbis ſemper incertiſſima eſſe ſolent, adeo ut peritiſſimis medicis qvandoqve imponant.

Hinc pater meus in his obſervandis maxima uſus fuit diligentia, qvemadmodum parvum hoc ſpecimen optime (ut cenſeo) oſtendent. Unde Chirurgiæ ſtudioſos ſi qvando in tales caſus inciderint,

nt, multa pro ſalute ægrotantium excepturos
iſtimo. Id ergo præcipue cauſa fuit, ut qvā pri-
um has obſervationes in lucem emitterem, qvas
bi confido fore cariſſimas. Ex iis verò hanc ti-
i dedico, qvæ in Civitate Ducali natali meo ſolo
ſta eſt, ut qvæ protuli in conſultatione, qvam
atavii habuimus cum Excellentisſimis Julio Cæ-
re Sala, & Adriano Spigelio, tibi per ipſam a-
ertius manifeſtentur. Vale. Florentiæ qvarto
dus Novembris, M. DC. VI.

De capite percuſſo ob caſum ab alto, cum pravis ſymptomatibus.

OBSERVATIO V.

Filius cujusdam Laurentii de Rure Pontis Civi-
tatis Ducalis, qvæ urbs olim Cutilia appella-
atur, & ubi qvotannis Veſpaſianus Imperator
ſtivare ſolebat, ætatis ſuæ anno qvintodecimo,
lus, minus, cecidit, ut mihi relatum fuit, è ceraſo,
percuſſit adeo vehementer caput, ut ſtatim a-
niſerit loqvelam, ſenſum, & motum totius lateris
iniſtri. Ad hujus curationem accerſitus fuit qvi-
lam chirurgus Empiricus de Valle Cupola, qvi in
ronte denudavit os cum magno vulnere crucia-
i, & in oſſe nihil mali invenit. Tota enim facies o-
uli, ac totum caput tumefactum erat. Supervenit
ebris, & ſenſus, & motus lateris privatio, & loqve-
æ ſemper perſeveraverunt. Pro deplorato igitur
ic ægrotans à chirurgo derelictus fuit. Die deci-
ma nona à caſu, & percuſſione traduxerunt ad
me talem ægrotantem, qvem una cum D. Hiero-
nymo Laſſo de Regnardatis Nobili Romano me-
dico excellentiſſ. viſitavi.

Cum vero & paralypſin, & alia in toto late
ſiniſtro & privationem loqvelæ pati audiviſſen
eaqve ſymptomata ſtatim poſt percuſſionem e
ſe conſeqvuta ex ordine, exiſtimans hæc even
re ob aliqvam læſionem cerebri à percuſſion
capitis acceptam, vel ſaltem ipſius membrana
rum, læſionem eſſe in dextera capitis parte affi
mavi. Qvam ut invenirem, cœpi manibus capu
pertractare, qvod totum cum facie detumefa
ctum erat. Remotis à tonſore capillis, inveni i
oſſe capitis dextro parietali vulgo dicto prop
ſuturam ſagittalem, notabilem cranii depreſſio
nē. Hinc facto prognoſtico de maximo vitæ peri
culo, qvia ægrotans propinqvior erat morti, qv
vitæ, dixi genitori ægroti, licet caſus eſſet deſpe
ratus, nihilominus juxta artis canones locun
depreſſum aperiendum eſſe, neq; ægrotum absq
rationabilibus auxiliis derelinqvendum. In De
igitur, & ſanctiſſimæ Crucis nomine, cutem ſu
pra oſſis depreſſionem, triangulari vulnere reci
di; & in ſectione cutis capitis (qvod incredibil
forſan alicui videbitur) parum ſangvinis effluxi
ac ſi cadaveris cutis ſecaretur. Remoto auten
omnino pericranio ab oſſe, inveni cranium fra
ctum circulariter, atqve omnino ſupra duran
matrem delapſum, ad qvantitatem unius plaſtra
(qvam vocant) argenteæ Florentinæ. Sed cum
ſangvine fere nullum impedimentum adeſſet
qvod nos retardaret in ablatione oſſis ſeparati
& membranas cerebri comprimentis, ſcalpris in
oſſe ſano circum circa os fractum mox cœpi di-
ligen-

;enter dilatare,& ſic os depreſſum extraxi. In
ra matre, qvod admirabile viſum fuit, nec
ngvis extravenatus, neqve pus, nec humiditas
qva, neqve ulla laceratio apparebat, & ſolum
veni os fractum, atqve depreſſum comprime-
valde membranam, & in illo loco moveri mi-
me poſſe; unde in ablatione oſſis, in membra-
ı nullus evidens motus apparebat. Erat autem
ıturalis caloris, videlicet alba, & paulo poſt tē-
ore, in eadem prima viſitatione cœpit moveri,
ægrotus mox protulit poſt apparitionem dicti
otus (licet imbecilliter) verbum, dicens, hei mi-
. Omnes aſperitates in oſſe ſano abſtuli. Su-
ra membranam impoſui linteolum tenuiſſi-
um, madefactum in oleo maſticino calido, ac
ı eodem loco eodem oleo imbutos, pulvillos
ıtra vulnus leviter impoſui, ne ab eis dura mater
ggravaretur.

Deinde verò circa cutem inciſam impoſui o-
um roſaceum cum linteolis duplicatis, & dige-
ivum, ut fieri ſolet ad arcendam inflammatio-
em, & concoqvenda vulneris labra. Deveni
oſtea ad alia medicamenta prout mihi eſſe op-
ortuna videbantur. Paulo poſt recuperavit lo-
velam, deinde ſenſum, & motum amiſſum ſini-
ri lateris. Spacio verò qvadraginta aut paulo
lurium dierum (Deo favente) liber evaſit.

Ex qvo caſu, fili mi, percipimus, in omnibus
norbis, & præſertim in capitis contuſionibus,
iligentiſſime inſiſtendum eſſe, ut cognoſcamus
artem primario laborantem. Nam ubi temere

atqve

atqve imprudenter in capite cutis inciditur, os perforatur, inſignia plerunqve incommo ſeqvuntur: & primo dolor vehemens oritur, c inde ab inſtrumentis os capitis aperientib9 co moventur ſucci, præſertim calidi, qvi cum ad pa tem imbecillam confluant, inflamationem co citare poſſunt. Unde etiam partes capitis inter ſæpe per conſenſum læduntur. Adde qvod du citra neceſſitatem pars ſana detegitur, cerebru & ej9 membranæ frigidiori exponantur aëri, q nihil fere nocentius, præſertim hic Florentiæ, q & inflammationis, & aliorum gravium ſympt matum ac tandẽ mortis, hæc cauſa eſſe poteſt. Pa ti verò affectæ nulla medela affertur, imo hac r tione afflicto videtur addi afflictio. Qvapropt turpiſſimum eſt ſic indecenter hallucinari in m ſeri ægrotantis perniciem. Operationes ergo q fiunt in humanis corporibus, magna præmedit tione fieri debent, ne, ſi prodeſſe ægroto non p terimus, ullo pacto ei noceamns. Percipimus e am ægrotantes licet graviſſime, facto prius pr gnoſtico de periculo vitæ absqve auxiliis deſtit non debere. Imo omnia eſſe tentanda, qvæ arte, & ratione fieri poſſunt, alioqvin inhuma meritò diceremur, & haberemur. Nec ſtandu omnino illis verbis, Morituros ſolis prognoſ cis derelinqvendos eſſe. Qvia aliqvando Deus natura faciunt qvæ medico impoſſibilia vide tur. Hic etenim puer ſi à me curatus non fuiſſe procul dubio paucis poſt diebus interiiſſet. Hi

qvan

ar:ti momenti ſit infirmos nunqvam deſere-
ſed eos ſemper curare, cuilibet patere poteſt.
hoc enim caſu, non arroganter dicere auſim,
e Dei auxilio fuiſſe cauſam, & auctorem vitæ
ıeri ægrotantis. Qvod ad laudem, & gloriam
æterni luminis.

De capite percuſſo cujusdam præcipitati ex ſublimi ſine vulnere, cum ſæviſſimis accidentibus.

OBSERVATIO VI.

QVidam Sebaſtianus de Caſtellettis, viginti duos annos circiter natus, famulos Don ntonii elegantiſſimi ſcurræ Sereniſſimi Ferdiındi Medices Magni Ducis Hetruriæ mei Doini, Florentiæ ab altiſſimo loco domus ipſius on Antonii cecidit graviterqve caput percuſſit, : ſymptomata, qvæ ſtatim ei poſt caſum ſuperenerunt, nobis demonſtrarunt. Magnam igitur contuſionem absqve cutis vulnere eum in ıpite recepiſſe, cum magna cerebri concuſſioe judicavi. Statim n. poſt caſum enomuit cibum potum, nec non aliqva bilioſa, ut color aliqvoım excretorum luteus nobis indicavit. Comuıit, ſangvisq; per nares, & aures copioſus effluxit. emanſit fere apoplecticus; nam ſine motu, ac nſu, perinde ac ſi mortuus eſſet cum exigua reſpiratione jacebat. Caput totum magna tumeſctione tumuit. Febris continua ſupervenit.

Oculi, palpebræ, ac tota qvoqve facies cum viditate apparente, tumuerunt. Permanſit ſic

qva-

qvatuor dies, nihil comedens, ſolo rerum liqvid rum potu nutritus. Ad qvem me die ſecunda po caſum vocaverunt. In cujus curatione multos ir veni medicos, qvorum alii de ſectione cutis cap tis cum cranii perforatione tractabant, ut ſi qvi infra cranium præter naturā contineretur, qvo ipſas membranas læderet, veluti ſangvis in ce rebri membranas effuſus, aut os cranii, vel de preſſum, vel comminutum, auferri omninò po ſet. Affirmabant enim in contuſionibus capit ſupradicta ſymptomata minime ſupervenire poſſe, niſi aliqva læſio vel in cerebri membrani vel in ipſomet cerebro præcedat. Læſionem ver in ſimili caſu minimè effici poſſe, niſi os cran patiatur, vel ſangvis in illis cerebri partibus e fundatur. Alii verò caſum adeo manifeſte letha lem eſſe afferebant, ut nullo modo ejus curatio nem à nobis tentandam, ſed ægrotantem ſol prognoſtico relinqvendum eſſe judicarent. Ita qve poſt illam viſitationem non acceſſerunt am plius ad miſerum ægrotum. Anteqvam aliqvi in præfato colloqvio ipſe proferem, manib. to tum caput tumefactum pertractare volui; & cu os cranii neqve depreſſum neqve comminutu inveniſſem, qvantum indicio tactus perciper potui, illæſum apparere judicavi, qvod, ut ali medicis etiam notum exiſteret, rogavi eos, ut d ligenter manibus cranium ubiqve pertractarent qvi cum id feciſſent, omnes una mecum conco des, os illæſum eſſe confeſſi fuere. Poſt hanc di ligentiam ita eos alloqvi cœpi: Excellentiſſin

Dom

omini, cum in præſenti caſu non appareat ali-
va manifeſta læſio in calvaria, qvantum tactu
gnoſcere qvimus,& dato,ſed non conceſſo,ne-
eſſariam eſſe cranii perforationem, dicite qvæ-
qvo in loco ipſius cranii hæc perforatio, ut ſit
tilis infirmo, à nobis facienda eſt, ſi velimus re-
icere tumefactionem capitis, atqve ipſius tu-
oris mollitiem aliqvam conſiderare, qvem lo-
am in caſu dubio fracturæ cranii, juxta Celſi l.8.
4. ſententiam, aperire convenit, procul dubio
otum à cute denudare cranium nobis opus erit,
am totum caput tumidum,ac molle appareat:
rgo aliud pro ſalute miſeri ægrotantis à nobis
cogitari debet. In hoc igitur periculoſiſſimo
ſu,ut ex arte procedamus,duo principalia(mea
vidam ſententia) à nobis eſſe conſideranda vi-
entur; nempe primum. An hujusmodi ſympto-
ata,videlicet obmuteſcentia, privatio ſenſus, &
otus univerſi corporis, & ſangvinis per nares,
aures effluxus, ac vomitus,illæſa exiſtente cal-
aria, accidere poſſint. Deinde ſi accidant ſi-
e calvariæ læſione, nempe ab alia cauſa ſint con-
tata,an poſſit caſus talis recipere curationem ſi-
e calvariæ perforatione. Qvibus duobus cogni-
s,habebimus,an cranium in hoc caſu perforan-
um ſit, & nunqvid æger ſit derelinqvendus nec
e,atqve ſi non derelinqvendus, qvibus auxiliis
ro ægrotantis recuperanda ſalute uti debeamus,
obis innoteſcet. Qvod ſpectat ad ſymptomata,
vibus correptus eſt noſter ægrotans, videlicet,
n ea gigni poſſint absqve cranii læſione, brevi-

 ter

ter dicam qvid de hac re ſentio, nempe qvod gi
gni, & accidere poſſunt ſine cranii fractura, vide
licet ubi ex caſu inſigni cerebrum commotum fit
ut teſtatur Hip. 7. Aph. 58. inqviens: Qvibus oc
caſione aliqva cerebrum fuerit vehementer con
cuſſum mutos protinus fieri eſt neceſſe, & Gal. i
Commento hujus loci idem exponit dicens, qvi
vehementi motu, qvaſi perterrefacta vis animali
in ſe ipſam contrahitur, & propterea qvieſcit
Qvare æger cadens obmuteſcit, & veluti apo
plecticus omni motu, & ſenſu deſtitutus jacet
Celſus ait, Raro ſed aliqvando tamen evenit, u
os qvidem totum integrum maneat, intus veri
ex ictu, vena aliqva in cerebri membrana rupta
aliqvid ſangvinis mittat. Supradicta igitu
ſymptomata illæſo cranio, à cauſa externa, vide
licet à caſu, cum vehementi cerebri concuſſion
evenire poſſunt. Ac idem de vomitu aſſeren
dum eſt, qvi ad læſionem cerebri atqve ejus mem
branarum, illæſa calvaria ob conſenſum, qver
habet ventriculus cum cerebro, ſubſeqvi poteſ
Qvod à junioribus etiam confirmatum eſt, à
præſertim à Joanne de Vigo, l. 3. c. 5. cum agit d
commotione cerebri à caſu cauſata. An autem
ægrotus iſtis ſymptomatibus absqve cranii per
foratione curari poſſit, habebimus ab ipſa na
tura rei. Indicatio aperiendi oſſis proponitu
nobis ab his ſcilicet, qvæ præter naturam con
tinentur intra calvariam, & qvæ exitum qvæ
runt. Qvoties ergo aliqvid continetur præ
ter naturam in illa cavitate, ſemper debemu

ſec:

[...]care os, ut educatur; ubi vero nihil educen-[...]um continetur, os minime perforari debet. Qvæ verò in caſu præſenti contineri poſſint, [...]unt aliqvando copia ſangvinis grumoſi, con-[...]enti infra cranium; aliqvando verò aliqvod [...]ruſtulum oſſis, pungens membranas, vel os [...]deo depreſſum, ut comprimat membranas, [...]& ventriculos cerebri. At in caſu noſtro cum [...]m judicaverimus in calvaria nullam adeſſe læ-[...]ionem, neqve fruſtulum oſſis membranas pun-[...]gans, neqve os depreſſum, qvod eas compri-[...]mat adeſſe poſſit: Ideo neqve indicari poteſt [...]orum eductio. Cum ſangvis copioſe per au-[...]es & nares effluxerit, ab aliqvo dubitari poſſet [...]de retentione alicujus qvantitatis ipſius ſangvi-[...]nis effuſi, in qvo caſu Celſus os excidendum eſſe [...]nos monet. Verum cum ſponte ſangvis effu-[...]ſus, per nares, & aures educi cœperit, ſi de eo [...]aliqvid in partibus cerebri remanſerit, non in-[...]conveniens eſt per easdem vias, per qvas natu-[...]ra ſangvinem effuſum evacuavit, nos qvoqve e-[...]ducere. Namqve inqvit Hipp. 1. Aph. 21. Qvæ [...]educere oportet, qvo maxime vergere vide-[...]buntur, ducito viis, ac locis utiliter eo feren-[...]tibus. Si cui licet qvod eſt majus, licet utiqve [...]qvod eſt minus. Ab initio caſus, natura à co-[...]pia ſangvinis effuſi aggravata, ſi fuit potens ad [...]expellendum ipſum reſiduum ſangvinem, mo-[...]do minus aggravata ob minorem ſangvinis [...]copiam, ſi qvid in illis viis remanſerit, tanto

validior erit ad expellendum reſiduum ſangvini effuſi, præſertim auxilio artis adiuta. Qvand Celſus laudat oſſis apertionem, intelligit de ſangvine effuſo inter duram matrem, & craniur exiſtente; qvæ opinio à multis reprobatur.

At caſus noſter differens eſt, qvi licet eſſe qvalem ſtatuit Celſus, ut ingenue verum fatear, cur ignoremus locum certum retentionis ſangvini effuſi, neſcirem etiam qvo in loco deberet fiet oſſis apertio. Concludo igitur ex mea ſententia, nullo pacto in præſenti caſu os aperiendun eſſe, ſed medicamentis localibus curationem eſſ tentandam, præſertim cum non ſolum in cerebi commotione commendentur localia capiti applicata, ſed ubi in caſu, præſertim ex ſublimi facto, partes circa cerebrum, aut membranas eju abrumpantur. Teſtatur hoc Gal. l. 2. de comp m. ſ. l. his verbis: Optimũ itaqve fuerit in his, niſ ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium facere, & convenientibus capitis irrigationibus uti &c. Icciroo qvando os fractum eſt integra exiſtente cute, multa utilia à Doctoribus auxilia deſcribuntur: imo tutius experientia & ratione aliqvi Doctores eſſe judicant in oſſe fracto, integr exiſtente cute cum medicamentis localibus curationem perficere, qvam cutem incidere, & os cranii perforare. Experientia præclariſſimus Vidus Vidius l. 6. c. 3. junior Reginæ Galliæ Medicus ait, longo uſu compertum eſſe magi ſervari eos, qvibus citra ſcalpelli operam ſuccur ritur

tur, impoſitis in capite opportunis medicamen-
s, qvam qvibus cutis inciditur, & datur exitus
umori membranam lædenti. Ratio eſt, qvod
ntegra cute exiſtente, calor non expiret, & iccir-
o augeatur, poſſitqve non ſolum digerere ſani-
m, & ſangvinem, ſed etiam fragmenta cum in-
gro oſſe ſolidare. Iſte igitur juvenis ad laudem
ei omnipotentis, facto prius prognoſtico, affe-
um totum ex Galeni ſententia ægrè curabilem
ddi, & periculum ingens ac præceps immine-
; meo conſilio à Joanne Paulo Alegro Ver-
llenſi chirurgo valde exercitato diligenter cu-
tus fuit, & bene convaluit, atqve adhuc cum u-
ore, ſuisqve filiis vivit. Curationis conſilium à
e directum fuit in præſenti caſu hac intentio-
e, videlicet partim ad ſangvinem tam intra, ſi
iqva ſangvinis portio in capitis interna parte
manſiſſet, qvam extra caput à contuſione effu-
m evacuandum; partim ad prohibendũ ne hu-
ores ad caput confluerent, unde in eo inflam̃a-
o excitaretur. Pro qvib. aſſeqvendis, qvia hu-
ores ad partem affectam non confluunt, ſi co-
oſi, calidi, ac tenues non contrahuntur in cor-
ore, curandum eſt ne contrahantur & qvi jam
ntracti ſunt ne permittantur ad ipſam ferri. Nõ
ntrahuntur aut ſi adimantur ea ex qvibus gi-
untur, cibi videlicet, & potiones. Victum igitur
nuem cum omnimoda carnium, atq; vini abſti-
ntia præſcribere mihi viſum fuit, donec ab in-
am̃atione ſecurus fui. Hæc verò victus ratio ab
ipp. initio de ulc. multum com̃endatur, ubi in-

 qvit:

qvit: Parum comedere, & aqvam potare omnibu ulceribus prodeſt, præſertim recentibus, & parte aliqvas præcipuas (qvod contingebat in noſtr caſu (atqve exqviſitum ſenſum habentes occu pantibus. Primis ergò diebus ſolo jure pulli gal linacei ægrotans nutritus fuit, atqve res omne non naturales in utilitatem ipſius præſcriptæ fue re. Ne vero humores contracti in corpore ægro tantis confluerent ad locum affectum; partim af fectum locum, partim humores ſpectavi. Humo res qvia multi, evacuandi: qvia fluebant, diver tendi; qvia calidi, ac tenues in vulneribus fluer ſolent, refrigerandi & craſſefaciendi. Pro evacua tione ac diverſione humorum, aluum per lenien tem clyſterem evacuandam curavi, deinde ven cephalica dextri lateris ſecta fuit. Applicatæ fue runt ſcapulis ac dorſo compluries cucurbitul ſine ſcarificatione. Qvotidie mane, & veſpere pe horam ante potionem frictiones univerſales fie bant. Alternis verò dieb. clyſter injiciebatur. E hæc facta ſunt qvod ad evacuationē, ac diverſio nem humorū ſpectabat. Qvod verò attinebat a refrigerandos, atqve incraſſandos humores, man diluculo offerebatur jus pulli gallinacei alterat cum acetoſa, cichorio ſeminib. melonum, & ſy ex acetoſitate citri. Veſpere vero contuſum hor dei & ſeminum melonum, cum ſupradicto ju alterato liqvefactum propinabatur. Qvod a affectum locum, videlicet ad caput pertinebat proviſum ſuit ne reciperet, vel attraheret aliund humores, qvib. duob. ſatisfecit emplaſtrum ca

pit

pitale Joannis de Vigo l. 3. c. 5. in qvo facultates
rigent adſtringendi, refrigerandi, atq; leniendi, ut
unicuiq; ex ingredientium conſideratione patere
poteſt; & ob id tale emplaſtrum ſupradictos ſco-
pos adimplere fatendum eſt. Hoc emplaſtro ma-
ne & veſpere totũ caput usq; ad collum cooperie-
batur. Qvod vero ſpectabat ad ſuſpicionem, ne a-
liqva ſangvinis portio intra caput effuſi retinere-
tur, ut facilius à natura detrudi poſſet, infunde-
batur mane & veſpere in aures, oleum recens a-
mygdalarũ dulcium calidum. Pro ſangvine vero
à contuſione extra caput effuſo, nempe in cute
contento evacuando, transacta die nona appli-
catum fuit emplaſtrum deſiccativum ejusdem
Joannis de Vigo. Qvibus allatis præſidiis ægro-
tanti omnino ſanitas reſtituta fuit. Poſt qvar-
tam enim diem cœpit loqvi. Poſt ſeptimam cœ-
pit ſe aliqvantiſper movere. In undecima vero
oculos apertos tenebat, & univerſum caput, ac
facies jam paulatim detumeſcebant. Indies igi-
tur melius ſe habebat. Ac tandem circa trigeſi-
mam qvintam diem, vel paulo poſt fere liber e-
vaſit. Qvod verò maximo, & omnipotenti acce-
ptum referendum eſt. Ex qvo caſu (fili mi) intel-
ligere poſſumus nunqvam deſiſtendum eſſe à
rationabili curatione, nec vulneratos absqve ra-
tionabilibus auxiliis unqvam derelinqvendos;
qvia etiam deſperati interdum ſanantur. Fatendũ
qvoqve eſt, in qvalibet capitis contuſione ſtatim
ad cutis inciſionem, atqve oſſis perforationem
devenire, neqve tutum, neqve rationabile eſſe.

 Qvia

Qvia ſæpe numero multæ capitis contuſione absq; cutis vulnere, cum læſione interna, ſine cutis inciſione, & ſine oſſis perforatione ſanantu Qvod etiam patefecit caſus Illuſtris Hieronyn Florentini, filii clariſſimi Laurentii Gondii, q qvintum agens annum, ex caſu per ſcalas lapidea recepit magnam contuſionem in parte dextr calvariæ à principio muſculi dextri temporali usq; ad os vulgo parietale dictum pervenientem In oſſe ad tactum manifeſta cranii depreſſio apparebat cũ elevato, & magno tumore extuberante, in qvo inundatio ſangvinis effuſi, ad tactum percipiebatur. Tumor totum etiã muſculum temporalẽ usq; ad oculũ occupabat, verũ ibi ſine inundatione ſangvinis effuſi tangebatur. In hac cõtuſione hæc ſymptomata ſtatim orta fuere. Puer poſt caſum per multos ſcalarum gradus ab ejus matre repertus fuit in terra jacens veluti mortuus ſine ſenſu, & ſine motu, cũ oculis (ut mater retulit) apertis, atq; everſis, vulgo dicuntur travolti. In qvo ſtatu, ſic veluti mortuus, licet multa fuerin acta ab ejus matre, ut ad vitã revocaretur, per tres horas circiter permanſit. Sangvis per aurẽ dextrã & per nares ei effluxit. Aliqva tortura oris in ejus latere oppoſito apparuit, ac in tota corporis parte ſiniſtra adeo diminutus erat motus, ut niſi moveretur ab alio, ex illa parte ſe movere non poterat: & ſi caput, vel aliqva pars lateris ſiniſtri attollebatur, mox ſua mole in partem affectam recidebat, & relabebatur; nec ullo pacto caput, neq; dictas partes ſuſtinere valebat. Sic permanſit

usqve

ſq; ad decimã qvartam diem; nec per duos pri-
os dies poterat retinere cibum, ſed per vomi-
m qvicqvid aſſumebat rejiciebat. Ex qvibus
ſionem ad capitis internas partes, cum earum
iqva ruptura penetraſſe liqvido conſtat. Nihi-
minus absqve inciſione cutis, & ſine oſſis per-
ratione cum medicamentis opportunis loca-
bus, non relictis univerſalibus, prout affectus
æternaturales reqvirebant, atqve ætas tolera-
t, puer iſte ſanitati reſtitutus fuit. Totus enim
mor præternaturalis diſcuſſus apparuit, & os
preſſum ad proprium locum reductum re-
anſit, ac ſpacio qvadraginta dierum priſtinam
letudinem conſeqvutus fuit, & hodie vivit, be-
q; valet. Unde non ſine magna præmeditatio-
e, etiam reqvirente caſu, ad cutis inciſionem atq;
oſſis perforationem accedendũ eſt. Qvæ enim
ſſunt per pauciora, & tutiora æqve fieri, non
bent per plura, ac periculoſiora adminiſtrari.

...taneum vulnus ex caſu juxta lambdoidem ſuturam ...iculæ, cui & febris, & phlegmonoſum eryſipelas in ...pite ſupervenerant, curandi ratio: nec non & alio-rum ſimiliter vulneratorum hiſtoriæ; & de calvariæ perforatione non-nulla.

OBSERVATIO VII.

QVædam pro ſua ætate ſatis robuſta anus In-
diana, nomine Merdiana dicta, annum (ut
ia mihi retulit) ſexageſimum qvintũ agens, Flo-
ntiæ ex caſu à ſuo parvo aſellſo, vulnus cutis ſo-

lius juxta ſuturam lambdoidem accepit. Ad e-
jus curationem vocatus fuit qvidam chirurg
qvi cum ægrotanti poſt qvartam diem ſuper
niſſet febris, timens (ut conjicere poſſum) ne
hac vulnerata eſſet læſio cum occulta cranii f
ctura, unde perituram judicabat ipſam, ſine
la cauſa ſua ſponte à curatione recedens, a
plius eam viſitare noluit. Qvoniam verò h
vetula erat in domo Caroli Bruſchi tonſoris S
reniſſimi noſtri Domini Ferdinandi Medic
dictus Carolus (me præſente) relulit S. Celſi
dini Merdianam correptam eſſe valida feb
maleq; ſe habere, & derelictam fuiſſe à ſuo medi
chirurgo. Ex qvo Sereniſſ. me juſſit ut accedere
ad eam curandam. Cum igitur eam vidiſſem,
qve ejus pulſum obſervaſſem, inveni eam mag
laborantem febre. Diligenter itaq; ipſam inte
rogavi, an hora caſus ei ſuperveniſſet nauſea v
vomitus. Item vertigo, oculorum occæcatio,
nunqvid in capite dolorem internum, vel gra
tatem aliqvam percepiſſet. Reſpondit mihi nu
lum horum ſymptomatum unqvam poſt caſu
ab aſello ei ſuperveniſſe. Affirmabat utiqve ſe c
gnoviſſe qvando cecidit, & non propter dolore
ſed propter ſangvinis à vulnere effuſionem vu
nus in parte ſui capitis poſteriore ſe accepiſſe,
qve usqve ad qvartam diem ſibi viſam eſſe nu
laborare morbo; qvoniā circa oblata bene ſe h
bebat, bene dormiebat, ac nullo in capite dolo
afficiebatur, præterqvam qvod qvotiescunq; c
rabatur intra vulnus ex doloroſo tactu à chiru
go ſ

o facto, ingenti dolore afficiebatur, qvi ad mi-
us per horam eam cruciabat, poſtea verò ſeda-
atur. Poſt diem qvartam dolor denuo incitatus
chirurgi tactu, permanſit ingens, qvo tempore
igore, ac magno rigore, deinde validiſſima fe-
e correpta fuit. Qvare cum ſiti intolerabili, cum
is amarore, cum vigiliis, necnon cum totius
orporis inqvietudine, ac jactatione manere ſe
cebat. Qvibus â me auditis, vulnus inſpicere
lui, qvod (ut dictum eſt) ſupra ſuturam lam-
doidem erat. Exploravi eſſe id ſine læſione pe-
cranii. Cum verò labia vulneris aliqvantiſper
umida atq; inflammata apparere vidiſſem, atqve
iis & circa vulnus cum ægra ipſa pungitivo do-
ore vexari ſe mihi pronunciaſſet, atq; circa vul-
us tumor aliqvis cum aliqva inflammatione
onſpiceretur; ab omnibus hiſce ſignis, nec non
febre validiſſima, qva correpta fuit, mulierem
anc jam phlegmonoſo eryſipelate in parte ca-
itis externa correptam eſſe judicavi. Et qvia ca-
s hujus vetulæ non fuit ab alto, ſed à propin-
vo loco ſine ullo ſuperveniente ſymptomate
ctus, læſionem vulneris ad partes capitis inter-
as non perveniſſe conjeci, nam ſi læſio fuiſſet
tiam interna, procul dubio delirium vetulæ ſu-
erveniſſet, ut in inflammationib. cerebri mem-
ranarum contingere ſolet. Verum cum ipſa
ente conſtaret, ac diceret ſe ſolum in cute capi-
is malum ſentire, læſionem (ut dixi) eſſe in parte
untaxat externa, pro certo habui.

Sic itaqve ſucceſſit; nam paucis poſt diebus,
totum

totum ægrotantis caput eryſipelatoſum cum t
more factum fuit, deinde frons, oculi, facies, g
la, atqve pectus, ſerpente eryſipelate phlegm
noſo correpta fuerunt: & usqve ad decima
qvartam diem febris, ſitis, vigiliæ, ac tumor c
inflammatione perdurarunt. Cum igitur mul
laboraret vulnere; & eryſipelate; vulnus ve
eſſet parvi fere momenti; paucis remediis cu
ri poterat; at eryſipelas cum ab eo haberent o
ginem tot mala ſymptomata, atqve ab eo pend
rent, tanqvam urgentior affectus præternatu
lis, prius curari debebat.

Cum itaqve eryſipelas eſſe phlegmonoſu
id eſt ortum à flava bile fluente, miſta cum ſa
gvine, comitatum à febre, eſſetqve morbus c
garicus in vitio magnitudinis præternatura
auctæ, & eſſet in fieri, excitatus à cauſa exter
id eſt à vulneris dolore, ſtatui operã dare, qver
admodum ratio poſtulabat, ut augmendum ip
eryſipelatis inhiberetur, deinde qvod jam factu
erat totum removeretur, ut vitium magnitud
nis præternaturalis auctæ emendaretur. Qvib
intentionibus an poſſe ſatisfieri ſperandum eſſ
apud me dubium erat proferre. Nam mor
robur in hoc caſu validius eſſe qvam robur n
turæ apparebat. Qvod demonſtrabat caſu co
tinens ipſius præternaturalis tumoris, videlic
flava bilis & ſangvis. Gravius enim afficiunt n
turam duo humores peccantes, præſertim pr
vi, qvam unus; ideo exqviſitum eryſipelas f
cilius curatur, difficilius verò qvod eſt ſpuriu

Ide

em oſtendebat magnitudo tumoris. Nam agnum eryſipelas periculoſum eſt, præſertim fuerit in capite, qvemadmodum hoc, ubi perilum eſt, ne à partibus externis, ad partes innas convertatur, & ſic vel homo ſtranguletur l ſimul cerebrum afficiatur. Idem ſignificabat ilis mulieris affectæ ætas, in qva morbus mime conſentaneus erat. Unde naturam magis orbo ſuccumbere teſtabatur; & ita morbus ju periculoſior judicandus erat. Nihilominus o executione ſupradictarum intentionum, mpe ut prohiberem augmentum morbi, & moverem qvod jam factum erat, hoc ordine rationem aggredi tentavi. Ne augeretur mors, ſtudui, ne flava bilis, aut fervidus ſangvis in rpore contraherentur; & ne illi humores qvi n contracti erant, peterent locum affectum. vero bilis, & ſangvinis fervidi multitudo non lligatur, & cauſæ removeantur, materia videet, & calor hepatis contemperetur, inſtitutus it victus tenuis, & res omnes non naturales ad giditatem, & humiditatem prout licebat patæ fuere. Pro vino dedi aqvam coctam ſimicem cum vino granatorum. Pro majori conmperatione caliditatis hepatis & pro refrigetione caloris febrilis, mane exhibui jus pulli eratum cum cichorio, acetoſa, meliſſa, capil Veneris, & ſeminibus melonum cum ſyr. de atoſitate citri, atq; de cichorio ſimplici. Veſpe verò exhibebatur ptiſana hordeacea cum lacte ninum melonum, & aqva acetoſæ, & ſyr. de

aceto-

acetoſitate citri. Ne autem humores contrac
ferrentur ad ſedem affectam, ut abundantes ev
cuari,& ut fluentes averti debebant. Iccirco qv
flava bilis, & ſangvis peccabant, atqve in capi
vitium erat, præmiſſo lenienti clyſtere, vena
externam cubiti è regione partis affectæ ſeca
juſſi, habita in misſione ſangvinis ratione vi
um. Deinde deveni ad medicamentum purga
ex diacatholicone, & melle roſato ſolutivo cu
decoctione rerum cordialium. Alternis ve
diebus clyſter injiciebatur. Et hæc facta fueru
qvoad univerſum corpus. Qvod autem ad l
cum affectum attinebat, qvia materia in capi
peccans potius evacuanda,qvam repellenda(m
judicio) erat: iccirco intra vulnus, præſert
cum eſſet irritatum, doloroſum atqve contuſu
applicavi digeſtivum, factum ex reſina terebi
thi compluries lota, & ovi luteo. At circa e
ſipelas, licet in eo eſſent duo præternatural
intemperies ſcilicet calida, & materia reple
partem affectam, ob idqve reqvirerentur
frigeratio atqve evacuatio, nullum tamen m
dicamentum neqve refrigerans, neqve calid
applicare volui; ne ſcilicet ex frigido medi
mento materia à partibus externis ad inter
repelleretur, & ex calido eryſipelas magis a
augeretur; ſed univerſalia tantum ſufficere j
dicavi.

In vulnere vero prout caſus reqvirebat a
medicamenta applicavi. Et ſic(Deo favente
nus hæc liberata fuit eodem tempore à ſuſpic
ne ſ

forſan interni mali capitis, & ab eryſipelate
legmonoſo externo.

Ex qvo caſu (fili mi) percipere poſſumus, vul-
ra qvando à principio diligenter explorata
nt, ſine legitima cauſa non debere in omni vi-
ıtione cum ſpecillo (ut qvidam male agunt)
itari, præſertim in locis nervoſis, acuto ſen-
præditis, ut in articulis, atqve in ſuturis ac-
pta; qvia ſeqvuntur interdum à dolore exci-
o ex uſu ſpecilli, mala qvæ non ſolum ægro-
ıtes graviter lædunt, ut evenit huic vetulæ,
rum ipſos perdunt. Percipere etiam poſſu-
ıs in vulneribus capitis præſertim in ſimplici-
s, ſi ſuperveniat poſt qvartam, vel ſeptimam
m dolor, inde rigor, ac febris valida ſeqvan-
, non apparentibus aliis ſignis, internam ca-
is læſionem ſignificantibus, qvæ ab Hippoc.
alia ſint nobis declarantur, nos non debere
tim ex ſola ſuperveniente febre cutim inci-
re, vulnus dilatare, & calvariam perforare;
ia ex tali operatione non indicata à morbo,
rotantis mortem utplurimum ſeqvi contin-
. Dolor enim, rigor, & febris vulnerato in
pite ſupervenientes, aliam interdum cauſam,
am læſionem capitis internam, habere poſ-
nt; & ſi ſic ſuccedat, aliam reqvirunt curan-
rationem; ut eryſipelas, aut herpes, & ſimi-
inflammatio externa in capite ſuperveniens,
in prædicto caſu evenit, non perforatione cra-
i, ſed ſangvinis miſſione purgante medicamen-
& aliis præſidiis prout opus erit auferuntur.

Qvem-

Qvemadmodum etiam in Civitate Aqv
cuidam puero, nomine Pyrrho, filio Achillis Fo
ticuli Aromatarii accidit; qvi ab alio puero i
ſtrumento, (vulgo Palla maglio dicto) caſu
eum projecto, in cute tantum juxta ſuturam
gittalem vulneratus fuit. Ex qvo parvo vul
re usqve ad ſeptimam diem nullo ſymptom
fuit correptus. Septima verò die valida febris
ſupervenit, parsqve vulnerata aliqvantiſper t
mefieri cœpit. Unde pater talibus accidentib
perterritus, timens de aliqva læſione capitis i
terna, me una cum alio medico accerſivit, cu
qvo multa circa hunc caſum diſcurrendo p
tractavi; videlicet, an læſio in puero vulner
eſſet interna, ob idqve vulnus dilatare, craniu
qve perforare opus eſſet, nec ne. In qvo ca
profecto valde hæſitabatur. Tandem ego n
unica inſpectione, ac vulneris pertractatio
contentus, iterum, atqve iterum ipſum vuln
diligentius explorare volui. Cum verò ex ſpec
lo ſolam cutem diviſam eſſe inveniſſem, atqve
cepiſſem à levi inſtrumento, & à loco non lo
ge diſtanti, atqve ab agente debili, qvi non ani
nocendi inſtrumentum projecerat, tale vuln
factum fuiſſe; ac vulneratum hora percuſſio
nullum ſymptoma, nec ullum fere dolor
paſſum fuiſſe, nullam læſionem in partem ca
tis internam penetraſſe judicavi. Licet verò
lida febris ſuperveniſſet, cum circa vulnus a
qvis tumor præternaturalis apparet, vulne
tusqve mente conſtaret, fui illius ſententiæ, læſ

n

m ſolum externam eſſe. Unde tunc temporis
ram medico ipſe converſus ad vulnerati pa-
em, ſic hilari vultu dixi: Ne dubites, immo
no ſis animo, qvia duntaxat pars externa la-
rat. Et ſic vere ſucceſſit; nam totum caput
eri, eryſipelate magno phlegmonoſo paulo
ſt correptum fuit. Puerum diligenter, pro-
caſus reqvirebat, opportunis remediis curavi
eqve cranii perforatione ſanitati Dei gratia
ſtitui, qvi hodie vivit, artemqve medicam in
ivitate Aqvilæ cum magna Aqvilanorum (ut
cepi) approbatione, honorifice exercet. Sci-
dum eſt poſſe etiam vulnerato in capite, tam
vulnere ſimplici, qvam in vulnere cum cranii
ctura rigorem, vomitum, ac febrem putri-
m ſupervenire, ut dum eram apud Sereniſſi-
am Margaritam Auſtriacam in Civitate Aqvilæ
idam juveni Aqvilano evenit, cui ob fracturam
re contundenti juxta ſuturam obelæam in de-
ro latere acceptam, calvariam usqve ad duram
atrem perforavi, & obſervatis in hoc curatio-
univerſalibus omnibus atqve particularibus,
nnia proſpere, atqve ex animi ſententia ſucceſ-
unt. Dolor, qvi à principio in vulnere adfue-
t, ſedatus omnino fuit. Nulla apparuit in
lnere inflammatio, nec ulla febris ſupervenit,
timum pus à vulnere effluebat, dura mater na-
ralis coloris erat, ac ſuum naturalem motum
vabat. Ægrotans, ut in tempore ſanitatis,
rmire ſe dicebat, bene id eſt, cum optimo gu-
comedebat, atqve omnia ad ſuam ſalutem

attinentia, pro ſalute recuperanda ex meo conſ-
lio ſervabat.

Decima nona tamen die à prandio correpti
fuit rigore, vomitu, & valida febre, cum inge
tiſſima ſiti, & oris amaritudine. Ad qvem veſp
re accedens miratus fui, cum in tali ſtatu ægr
tantem inveniſſem, & vulnus ut ſolebam detex
in qvo cum neqve circa pus, neqve colorem d
ræ matris, ac labiorum vulneris, ullam mutati
nem inveniſſem; neqve aliqvis tumor, neqve u
la inflammatio circa vulnus apparuiſſet, & ægr
tans mente conſtaret, illam febrem aliam ca
ſam, qvam à vulnere habuiſſe exiſtimavi. Ægr
tantem juſſi, ut parce cœnaret. Circa vero a
roram (eramus enim menſe Julii) ægroto ſ
pervenit copioſus, & univerſalis ſudor, p
qvem ad infebricitationem ſe veniſſe mane m
hi retulit, & ſic, ut ipſum reperi, per diem, ac n
ctem febre vacuus fuit. Altera vero die duab
horis, ante primam acceſſionem, denuo corr
ptus fuit rigore, vomitu, & febre, qvæ cum ſud
re ut in prima acceſſione terminavit, & ſerva
typum tertianarium per ſeptem periodos, à q
febre, & à fractura cranii tandem (Dei gratia) l
boratus fuit.

Qvidam Laurentius etiam ipſe Aqvilanus
Civitate Aqvilæ, accepit vulnus à re incide
te in oſſe frontis prope ſuturam coronalem, c
neceſſe fuit os inciſum usqve ad partem interna
dilatare, ut humiditates ichoroſæ non retin
rentur ſupra duram matrem, qvæ aliqvantulu
vuln

lnerata apparuit. In cujus curatione,ſervatis
iiverſalibus pro inhibitione inflammationis
m localibus etiam opportune applicatis, nihi-
minus undecima die hic ægrotans correptus
it febre maligna, ut ex ſymptomatibus poſtea
pervenientibus apparuit. Nam omnia peri-
lis plena fuerunt. Nihil fere aſſumere poterat,
res langvidiſſimas habebat, & pro deplorato
bebatur, nam ad ſanctiſſimam extremam un-
ionem redactus erat. Solo igitur potu vivebat,
erum qvia in vulnere nunqvam mihi viſa fue-
nt apparere ſigna lethalia ratione ipſius vulne-
, ac partium ſibi adjacentium, vulneratum
inqvam derelinqvere volui, imo mane & ve-
ere ipſum curavi, non deſiſtendo ab aliis præſi-
is contra febrem malignam opportunis. Deo
q; favente circa vigeſimam primam diem cœ-
t aliqvanto melius ſe habere, ac tandem à fe-
e & à vulnere convaluit. Ex qvibus duobus
emplis elici poteſt, in fractura cranii cum oſ-
perforatione, poſſe tales ægrotantes corripi
iis morbis, non pendentibus ab ipſa cranii fra-
ura. Qvando igitur vulneratis in capite ſuper-
niunt alii morbi, maxima diligentia uti debe-
us, ut eſſentiam ſupervenientis morbi intelli-
gamus, nam in hac cognitione vera con-
ſiſtit curandi ratio.

De vulnere ad partem fere oppoſitam penetrante, cu fractura coſtarum à plumbeo globulo, magna vi ign inflicto, infra os ſcapulæ dextræ, non longe à ſpinali m dulla, cum plurimis, & ſæviſſimis ſymptomatibus.

OBSERVATIO VIII.

ANno Domini milleſimo qvingenteſimo c ctogeſimo ſecundo vel tertio, dum Sereni ſima Margarita Auſtriaca mea Domina morab tur apud Belgas in Civitate Namurci, Perillu ſtris, ac ſtrenuus Capitaneus (ut dicunt) Geo gius Renaldinus Vicentinus, in expugnatior Endovii, ſic vulgo dicti, accepit vulnus infra c ſcapulæ dextræ, non multum à ſpinali medul diſtans, in cavitatem thoracis penetrans, cu fractura duarum coſtarum, factam à globul plumbeo, projecto ab inſtrumento, qvod vu go dicitur Moſchettone. Hic autem globulu ob armaturam ferream, qvam dictus Capita neus geſtabat, in perforatione dictæ armatur extenſus fuit ad longitudinem dimidii manus d giti, & penetravit usqve ad partem anterioren pectoris, prope & infra jugulum ejusdem lateri & pervenit usqve ad cutem, ex qva ut infra inte liges, inciſione dictum globulum extraxi. Sere niſſima mea Domina per literas rogata à vulne rato, miſit me ad eum curandum. Ad eum igitu octava die poſt acceptum vulnus acceſſi, inve niqve ipſum vehementiſſima febre laborante cum intolerabili ſiti, ſiccitate lingvæ, aſſidua tuſſ

max

ximа difficultate reſpirationis, doloribus in-
ntiſſimis thoracis, continuis vigiliis, cum ru-
line malarum, pulſu duro, inæqvali, freqven-
imo, & parvo. Vulneri autem maximus in-
t fœtor. Cum itaqve illuc adveni, medici qvi
nqve ad ejus curationem aderant, jam jam i-
m periturum judicabant. Præter enim ſupra-
ta, reſpirabat, veluti canis poſt velociſſimum
ſum reſpirare ſolet. Medici igitur nullum a-
d medicamentum ad vulnus applicabant; ni-
qvod extra vulnus in cerviſia calida cum lin-
lis malefactis, ſaniem ſponte â vulnere egre-
ntem detergebant. In toto autem cubiculo,
tor omnium nares ita graviter offendebat ut
t intolerabilis. Ex qvibus ſymptomatibus
hi videbatur unicuiqve patere poſſe, globu-
n partes thoracis internas multum laceraviſſe,
uram ſcilicet membranam tam retro, qvam
e, nec non pulmonis ſubſtantiam: qvod ex
 itineris, id eſt, tranſitus globuli ſic extenſi
icari qvoqve poterat. Inflammationem eti-
 in partibus vulneratis, jam ortam eſſe judica-
m, cum ſuſpicione in partibus internis vulne-
is, ne principium aliqvod gangrænæ adeſſet,
graviſſimus fœtor minabatur. Qvibus ita ſe
entibus, cum jam prognoſticum ad citum in-
itum à tot medicis factum eſſet, ego, qvo me
tere deberem, anceps eram, an videlicet cum
is medicis ægrum omnino prognoſtico dere-
qverem, vel potius aliqvid procuratione ten-
em juxta illud Gal.10.meth.præceptum: Melius

eſt aliqvid faciendo periclitari, qvam omnii
ſine ſpe deſtituere. Interim ægrotans obni
me rogabat, ut ipſum curarem. Qvamqvam
gitur graviſſima eſſent ſymptomata, progn
ſticum jam factum ab ipſis medicis me deterr
ret, timeremqve ne ægrotus in meis manibus
nimam exhalaret, ne tamen omnis ſpes ij
prorſus adimeretur, curarionem aliis non d
ſentientibus aggreſſus ſum. Ad laudem itaq
Dei omnipotentis, intromiſi digitum indice
intra vulnus, & tetigi qvam plurima oſſicu
fracta, aſpera, & pungentia, qvæ qvidem app
rebant à ſe invicem ſeparata; qvod mortific
tionem ad minus perioſtei nobis arguebat. N
verò multa ſeqveretur ſpirituum exhalatio, (qv
ex reſpiratione à vulnere multus flatus efflu
bat) extraxi qvam celerrime potui novem oſ
um fragmenta cum magna copia purulentiſ
mæ, ac fœtidiſſimæ materiæ. Turundam dei
de ſatis craſſam intra vulnus impoſui, ut be
clauderet ipſum vulneris orificium, ne flatus
cavitate thoracis erumperet. Hæc turunda fi
convenienti longitudine à me conformata,
imbuta oleo terebinthinæ, cujus dolor, & ſapo
ſtatim intromiſſa turunda in vulnus, ad nar
& fauces ægrotantis permanare viſi fuerunt
Hoc vero arguebat apud me pulmonis ſubſta
tiam vulneratam eſſe, cum ex ſimplici contac
medicamenti in turunda impoſiti, odor, & ſ
por illico penetraſſet. Poſtea, ut convenieb
vulnus faſcia ligavi. Ex hac igitur operatio

ſtati

-ctim ſibi viſus fuit Dominus Georgius melius
-bere. Alii autem medici curationem deſe-
erunt, concordi ſententia prædicantes poſt ex-
tos duos dies videlicet ad undecimam ad ſum-
um eum moriturum eſſe. In curatione igitur
lus relictus à rationabili cura non deſtiti, lotio-
bus intra ipſum vulnus mane & veſpere proje-
is, diligenter abſtergens. Qvoniam vero pro
niverſalibus aſſeqvendis nulla commoditas no-
s ſuppetebat, cum ibi non adeſſent ſeplaſiarii,
ab inimicis circumdati eſſemus, neqve habere-
us inſtrumentum pro injiciendis clyſteribus,
ec ullum medicamentum, ſolum ptiſanam ei ex-
bebam mane & veſperi, cum convenienti vitæ
gimine. Deo ergo favente, ſpacio qvinqva-
inta dierum non ſolùm vulneratus à morte li-
eratus fuit, ſed omnino vulnus ſanatum fuit,
ec ut ſolent perſæpè hujusmodi vulnera pene-
antia in fiſtulam degeneravit. Hic itaqve ſtre-
uus miles in poſterum denuo bellum exercuit,
ipſe ex tali cura multos honores, magnamqve
tilitatem recepi. Ex qvo caſu (fili mi) mone-
ur, ægrotantes nunqvam eſſe ſine congruis
uxiliis derelinqvendos, imo facto prius progno-
ico de periculo vitæ ſemper tentanda eſſe, qvæ
ex arte, & ſecundum rationem fieri poſ-
ſunt. Qvod ſit ad laudem Dei
omnipotentis.

De oculo à vulnere perforato cum effuſione humorum & viſione deperdita, cui adjuncta inflammatio cum dolore & tumore maximo: quod à medicis ut ſuper creſcens ulcus, cum ægrotantis calamitoſa pernicie curabatur.

OBSERVATIO IX.

PErilluſtris Dominus Don Gaſtonus Spinol Nobilis Siculus in eodem loco, ac tempor qvo Dominus Capitaneus Georgius Renaldinu Vicentinus, vulneratus fuit, accepit in dextr oculo vulnus cum haſta, ſive ſariſſa, qvæ vulg dicitur picca. Unde tota oculi ſubſtantia ade valide perforata fuit, ut omnes oculi humore ſtatim effluxerint, & ſic viſus privatio eoden momento ſubſeqvuta fuit. Palpebra ſuperio ab eodem vulnere per medium omnino fuit diviſa. Dolor magnus, & febris valida ſupervenerunt, unde inflammatio in tota oculi capſula e concurſu humorum ſuborta eſt, & ſic magna tumefactio inibi apparuit. Medici qvi Nobilen ægrotantem præ manibus habebant, videntes i parte vulnerata maximam extuberantiam, crediderunt non eſſe tumidam, ſed ſupercreſcenten in vulnere carnem judicarunt; unde ſolum intenti erant in remotione carnis (ut ipſi dicebant ſuperfluæ.

Applicabant igitur in illo tumore medicamenta vim habentia carnem ſuperfluam corrodendi, qvale eſt ungventum Apoſtolorum, Ægyptiacum, pulvis viridis aëris, aluminis rocchæ, & ſimi-

nilia, qvare dolores ingentiores qvotidie effi-
ebantur, ac tumor in dies major apparebat. Ex
vo diri cruciatus miſerum ægrotantem conti-
e, ac ſemper magis infeſtabant. Poſt primam
ſitationem Renaldini ad eum accerſitus, videns
pſulam oculi vulnerati valde tumefactam,
ibram, inflammatam atqve prominentem, &
telligens ab ejus medicis hiſtoriam morbi, &
media qvæ ipſi applicaverant, atqve ea, qvæ
nc temporis cum maxima ægrotantis jactura
pplicabant, me continere non valui qvin ſi-
nificarem ipſis medicis, ſed qva maxima mode-
ia potui, nullo pacto talia eorum medicamen-
in præſenti caſu convenire. Atqve addidi: Si
on deſtiteritis à talium medicamentorum ap-
licatione, cum pars vulnerata ſit exqviſitiſſimi
nſus, ſit inflammata, habeat conſenſum cum
erebro, dolore continuo, ac ingenti vexetur,
ericulum magnum imminet, ne cerebrum in-
ammatio invadat, ob idqve delirium atqve con-
ulſio concitetur; verendumqve eſt, ne ab iſtis
ræternaturalibus affectibus interitus tandem
ccidat. Partes enim iſtæ adeo acuto ſenſu præ-
itæ ſunt, ut nullo modo poſſint perferre, niſi
um maximo ægrotantis detrimento, medica-
nenta moleſta, & acria, qvalia ſunt qvæ modo
pplicantur, etiam ſi à morbo reqvirerentur. Sed
is partibus conveniunt medicamenta blanda,
enia, anodina, & qvæ inflammationem futuram
nhibeant, factamqve tollant. Et hæc ſunt qvæ
d conditionem hujus partis affectæ ſpectare

convenit. Qvod vero attinet ad morbos in parte affecta conſiſtentes, nulla adeſt indicatio reqvirens corrodentium medicamentorum uſum, qvia tam brevi tempore, nempe octo dierum ſpacio, in vulnere recenti caro ſupercreſcens, ut in vulneribus antiqvis interdum fieri ſolet, gigni minime poteſt, & ex conſeqventi ſui ablationem indicare non valet. Mea igitur ſententia nullo pacto talia corroſiva medicamenta applicari debent, videlicet nec ratione partis affectæ, nec morbi ratione, ut ex recto curandi ordine in præſenti caſu clarius patebit, cum talis ægrotans non ſolum unitate ſoluta recenter facta laboret, ſed à continuo, ac ingentiſſimo dolore crucietur, ut ipſemet ait, ob idqve ab humorum calidorum influxu vexetur, ut incrementum tumoris oſtendit, atqve ab inflammatione cum tumore magno præternaturali in parte vulnerata correptus ſit, ut ad noſtrum ſenſum viſus, ac tactus patet. Soluta unitas non ſola & ſimplex eſt, ſed aliis præternaturalibus affectibus comitata. Cum vero non poſſit ad unionem à natura reſtitui, niſi ipſa à nobis prius amoveantur, ac propulſentur, qvæ in vulnere ſupervenire poſſunt; qvia natura in efficienda unione, operatur mediante proprio ſuo naturali partis affectæ temperamento; iccirco naturalis temperies partis affectæ à nobis procuranda eſt; qvam aſſeqvi poterimus curando prius omnia ſupradicta mala, qvæ in parte vulnerata verſantur, videlicet palpebram diviſam

ſuerī

hendo, humorum affluxum inhibendo, dolo-
em leniendo, atqve inflammationem tollendo.
Qvibus indicationibus an ſatisfacere poſſimus
ubium eſt: qvia ut diximus, caſus eſt valde pe-
iculoſus. nihilominus ex rationali arte hanc
urationem hoc modo aggregiendam eſſe judi-
o. Præſcribendus eſt victus exqviſite tenuis,
 uſus vini omnino interdicendus, licet hoc
t contra conſvetudinem hujus regionis. Se-
etur vena humeralis lateris affecti, qvia jam
nflammatio eſt facta. Ex eodem enim latere
niſſio ſangvinis derivabit, & revellet à loco affe-
to. De clyſtere non loqvor, qvia caremus in-
trumento, & medicamentis. Poſt ſectionem
enæ, mane & veſpere una hora ante cibum, lau-
lo ut fiant frictiones univerſales. Laudo uſum
tiſanæ, & circa locum inflammatum laudo un-
gventum album, qvod (ut dicitis) apud vos eſt,
um linteo applicatum. Supra verò inflamma-
ionem, id eſt, in parte inflammata, & in vulnere
audo fomentum ex decocto foliorum malva-
um, hordei, & roſarum, deinde emplaſtrum fa-
ctum ex lacte, & ex pomis decoctis, ex ovi luteo,
& ex hordei farina. Laudo etiam uſum lactis
mulieris cum linteolis applicatum; & laudo ut
æger lucem effugiat; ac in tenebris degat; &
omnes res non naturales pro utilitate ægro-
tantis parentur, qvæ cuncta præſidia omnes
ſupradictos affectus præternaturales reſpici-
ent. Sic igitur factum fuit, Deiqve gratia
ex ſupradictis auxiliis atqve ex remotione

corro-

corrodentium medicamentorum dolor miteſce-re cœpit, inflammatio remitti, tumorqve paulò poſt diminutus. Hoc habito colloqvio, medici omnes abierunt, nec amplius ad ægrotantem acceſſerunt. Ipſe vero qvam optime potui, totam hanc curationem perfeci; qvia eramus ab hoſtibus circumdati, & in loco, ubi omnia medicinalia deerant. Attamen vulnus oculi capſulæ conſolidatum fuit, & palpebra bene unita remanſit. Inde oculum arte factum ex diverſa materia in cavitate oculi ita juſte aptavi, ut verus, & naturalis videretur. Ex qvo caſu intelligimus, qvantum referat ex arte procedere in morborum curationibus. Qvod ad laudem ſit omnipotentis Dei, à qvo bonum omne procedit, &c.

Excellentisſimo Philoſopho, ac Medico Franciſco Gavazio Mutinenſi Bononiæ utramqve Medicinam maxima cum laude exercenti

Victorius Roſſius Philoſophus & Medicus S. D.

VEra Batrachi curatio (præclariſſime Franciſce) ab eruditis viris ſemper adeo difficilis habita fuit, tum ob loci præſtantiam, & ſitum partis in qva oriri ſolet, tum ob recidivam, qvæ ſæpius accidere conſvevit, ut in magnam admirationem præſtantiſſimos Medicos qvandoqve adduxerit. Scis, qvoties, & qvam longi ſermones à nobis, & inter nos, & cum excellentiſſimo Victorio

orio Pellinio, Chirurgiæ atqve Anatomes pu-
lico Profeſſore, Bononiæ habiti fuerint; præ-
rtim, cum poſt exactam ejus curationem, ab e-
regio viro adhibitam, recidivam rurſus videri-
us. Hac de cauſa Florentiam reverſus, nihil
ntiqvius habui, qvam ut inter ſcripta patris
ei, certam ipſius curandi rationem perqvire-
m: Hanc igitur inventam tibi mitto exiſti-
ans, munuſculum nec omnino fore ingratum
ec amoris erga te mei levem penitus recorda-
onem. Vale, & me ut facis ama. Florentiæ Idib.
ecembris M. DC. VI.

De Ranulæ vulgo appellatæ recidiva.

OBSERVATIO X.

NObiliſſimus puer, ætatis ſuæ anno circiter nono, Franciſcus nomine, Domini Alexan-ri Guadagnii Patricii Florentini filius, in ea oris arte molli & laxa, qvæ ſub lingva eſt, in latere extro correptus fuit tumore præternaturali, vi batrachus Græcis, vulgo vero Rana appella-ır. Tumor hic non phlegmones, ut excellentis-mus ejus Phyſicus medicus mihi retulit, ſed œ-ematis non ſine aliqvo ſuperficiali rubore, & olore levi, mollis, & laxi ſpeciem exhibebat, qvi abſceſſum degeneravit. Pro cujus curatione ccerſitus fuit chirurgus, qvi talem abſceſſum a-eruit, atqve eum curavit, ut videbatur ei con-enire. Tandem ulcus ex tali abſceſſu factum, onſolidatum eſſe videbatur. Poſt exactos dein-e qvatuor menſes pars eadem ſcilicet nuper

cura-

curata, rurſus intumuit, & in abſceſſum ut priu
degeneravit. Rurſus igitur vocatus eſt idem chi
rurgus, ac denuo aperuit abſceſſum, curavitqve
ac ut antea conſolidatum ulcus apparebat. No
multo poſt tertio comparuit tumor, & in abſce
ſum ut prius in eodem loco degeneravit. Tun
prudentiſſimus ejus medicus phyſicus conſide
rans tot tumoris jam dicti recidivas non poſ
provenire niſi ex relictis in morbo, cum ben
providiſſet cauſæ (ut dicunt) antecedenti, cu
optima victus ratione, tum præparatione, atqv
evacuatione hnmoris peccantis; juſſit me acce
ſiri. Cum itaqve totam morbi hiſtoriam elegan
ter, ut ſolitus erat, mihi expoſuiſſet, devenimu
ad inſpectionem tumoris, in qvo jam appare
bat collectio materiæ mucoſæ, ovi albo perſ
milis, ut ex colore tumoris habebatur. Cu
verò morbus eſſet organicus in vitio magnitu
dinis præternaturalis auctæ, genitæ à materia ex
tranea replente, ac diſtendente partem, fieb
indicatio, ut materia illa tota evacuaretur. Qvo
niam verò in tali caſu id effici non poterat n
per ſectionem abſceſſus, iccirco propoſita à n
fuit ſectio. Sed prius danda erat opera, ut abſce
ſus eſſet bene ſuppuratus, ut partes ejus effic
rentur tenuiores. Unde ordinata fuit per qvi
qve aut ſex dies ablutio oris, ex rebus ſuppura
tibus, ut eſt decoctio malvarum, ficuum ſicc
rum, dactylorum, uvarum paſſularum, & ſim
lium. Poſt qvem uſum ego aperui abſceſſu
ſectione exqviſita, id eſt ab una, usqve ad alt

ra

m abſceſſus extremitatem. Ex qvo aperto, ſta-
n mucus proſilivit, albumini perſimilis, non
rens aliqva flavitie, ut & ſemper antea, qva-
ex meliceride; copia vero ipſius non fuit mi-
ma. Poſtea cavitatem ulceris totam replevi le-
ſſimis filamentis ſiccis, & aliud gargariſma, ſeu
ris collutionem ordinavimus ad prohibendum
umorum affluxum atqve ad arcendam inflam-
ationem, ut eſt decoctum ex reb. frigidis, ſiccis,
adſtringentibus qvales ſunt roſæ, plantago,
lauſtia, folia mirthillorum, hordeum, violæ, &
milia. In qvo decocto adjiciebatur ſyrupus roſ.
roſis ſiccis, & ſyrupus violaceus atqve ſimilia.
qventi verò die poſt abſceſſus apertionem
o vera remotione cauſæ tot recidivarum, vi-
elicet pro ablatione carnis flaccidæ, & cyſtis
ulcere exiſtentis replevi cavitatem totam fi-
mentis leviter intinctis in mea aqva alumino-
ſtillatitia. Semel verò tantum in die, vi-
elicet mane tali aqva utebar, ne ex nimio u-
concitaretur aliqvis dolor, Reliqvo autem
mpore, puer utebatur collutione ſupradi-
a. Aliqvando etiam nempe ad ſuum libitum
tebatur, in ore detinendo, ſupradictis ſyrupis
ſqve decoctione ſupraſcripta. Dictum fuit
t abſtineret à vino, & comederet res molles,
e ex duritie ciborum lacerarentur labia ulce-
s, & incitaretur dolor. Veſpere vero remotis
lamentis in ulcus mane appoſitis, replebatur
avitas filamentis ſiccis cum pauco ſyrupo roſa-
eo. Hac itaqve ratione per qvatuor dies pro-
ceſſi-

ceſſimus; in qvo tempore ab ulcere extraheba
qvandam materiam albam membranoſam, q
erat materia cyſtis, deinde per tres, aut qvatu
dies mundificavi totam ulceris cavitatem pulv
re meo angelico præparato in dieb. canicula
bus. Poſt qvem uſum, qvia pus laudabile, &
pauca qvantitate apparebat, contentus fui
ſyrupo roſaceo ſupradicto cum pulvere maſti
& parum aqvæ ardentis cum filamentis ſicc
Tunc devenimus ad oris ablutiones factas cu
vino, in qvo prius decoctæ erant roſæ, horde
& maſtices cum aliqva qvantitate ſupra ſcripti
rupi. Hac igitur curatione (Deo favente) p
er perfecte ſanatus fuit, & nunqvam amplius
cus recidivam fecit. Ex qvo caſu (fili mi) h
bes veram batrachi œdematoſi facti curatione
qvam ſtudioſius deſcribere ſtudui, qvia non ita
omnibus exercetur.

Multos alios hic Florentiæ curavi, qvi jam
aliis curati fuerant, nec eis perfecta ſanitas re
tuta fuerat, inter qvos fuit Andreas Sereniſſi
Magni Ducis Magiſtero Abaci, vulgo Creden
ero dictus, poſt multas pluribus vicibus abſc
ſuum apertiones factas, pro ſingulari præſid
propoſitum fuit decoctum ſalſæ pariliæ, &
gni ſancti; qvod ſane ſine ulla utilitate ſu
pſiſſet, cum cauſa tot recidivorum abſceſſuu
eſſet cyſtis in parte affecta exiſtens, ut ab effec
meæ curationis manifeſte apparuit. Ego en
abſceſſum convenienti ſectione aperui, loca
busqve ut ſupra medicamentis intra ulcus a
hi

ibitis, ægrotantem perfecte (Dei gratia) ſanavi. bſceſſus verò in poſterum nunqvam amplius ecidivam paſſus fuit. In Caſtro etiam Cerreti Gvi-i, dum eram ibi apud Sereniſſ. Magnum Ducem neum Dominum, cauſa venationum primis illis emporibus, qvibus inſervire cœperam, alius qvi-am laborabat ſimili abſceſſu, qvem oſtendit Me-ico chirurgiam apud Sereniſſimum mecum pro-tenti. Hic abſceſſu inſpecto, ſtatim mihi dixit; ſpice tumorem canceroſum, & incurabilem, jux-a Hip. ſententiam dicentis: Cancros occultos on curare melius; curari enim citius intereunt, &c. Qvē abſceſſum ego reſpiciens, & contrectans, nveniensq; eum mollem, pellucidum, & ſine ullo olore, reſpondi veram eſſe utiqve Hip. ſententi-m; verum abſceſſum qvo præſens ægrotus labo-at, nullo modo ad cancri naturam vergere vide-i. Ut autem verum eſſe appareat, ex mea ope-atione (dixi) luce clarius conſtabit. Et ſic præſen-e medico abſceſſum aperui, ex qvo multa mate-ia albumini ſimilis proſilivit. Hoc à me pera-to, paucis poſt diebus adhibitis aliis medica-nentis, integre ægrotus ſanitatem recuperavit. imilis fere fuit caſus ille Anno Domini 1580. lum Sereniſſima Margarita Auſtriaca mea Domi-na proficiſcebatur ex Civitate Aqvilæ, in Flan-lriam. Cum enim eſſemus in Civitate Placen-iæ, Nobilis Pompejus à Petra Alba, Illuſtriſſimum Dominum Comitem Julium Angoſciolam Pla-entinum ad me perduxit, qvi laborabat in inter-na, & ſiniſtra labii inferioris parte ſimili pi-

 tuito-

tuitoſo abſceſſu,nempe ſine ullo dolore molli, & ſplendido. Cum verò ob talem abſceſſum fuiſſet Mediolani, ut curaretur à multis medicis ibi ob hanc cauſam congregatis, decretum fuit, talem abſceſſum ad cancri naturam omnino vergere. Atqve iccirco monebant illi Medici Illuſtriſſ. ægrotantem, ut nullo pacto ad chirurgicam operationem deveniret. Qvibus per literas medicorum, & referente ipſo ægroto à me viſis, & auditis, valde miratus fui,cum in re tangibili, & viſibili, ſic tot conſultores hallucinati fuiſſent. Dixiq; D. Pompejo: Si Sereniſſ.mea Domina in hac Civitate Placentiæ octo tantum dies permanſura eſſet; Illuſtriſſ. priſtinæ ſuæ ſanitati procul dubio reſtitui poſſe ſperarem. Die igitur ſeqventi talem curationem aggreſſus fui,ab ipſis rogatus. Et ſic in Dei nomine,cum talis morbus nõ eſſet in fieri, ſed (ut dicitur)in facto eſſe (ex qvo unus tantum curationis proveniebat ſcopus, nempe materiæ in parte affecta collectæ præter naturam evacuatio, qvam opere chirurgico,non alio modo perficiendam eſſe exiſtimaveram)monito ægrotante ut veſpere parce cœnaret,nec non toto curationis tempore abſtineret à vino, & à valde nutrientibus, mane poſteri diei tribus horis ante prandium abſceſſum cum lanceola totali ſectione diligenter aperui. Ex qva ſectione tanta copia materiæ pituitoſæ, & viſcidæ albumini ſimilis emanavit, ut ovi gallinacei putamine vix tota contineri, ſeu recipi poſſet. In qvo caſu tandem adhibui curationem ut ſupra, ſcilicet applicationem meæ, a-

qvæ ſtillatitiæ, & mei pulveris angelici, unde ſpa-
io qvinqve dierum abſolutam habui mundifica-
ionem tum à cyſti, tum à carne flaccida, & molli
otius abſceſſus ulcere relicto. Paucis vero poſt
liebus, tale ulcus (ut accepi) conſolidatum fuit.
Ex qvibus caſibus elicere potes, duo à qvibusdam
hirurgis omitti, qvæ in cauſa ſunt, ut ulcus ex ab-
ceſſu relictum, ſanari non poſſit, ac recidivam fa-
ciat. Unum eſt, qvod aliqvi curantes hunc abſceſ-
ſum, parvam in eo faciant apertionem videlicet
qvantum ſufficit ad evacuandam materiam mu-
coſam. Alterum verò qvod non applicant me-
dicamenta, qvæ abſumant membranulam conti-
nentem mucoſitatem. In his igitur caſibus ſectio
debet eſſe longa ſecundum totalem longitudinem
totius abſceſſus, deinde tota cyſtis medicamentis
abſumenda eſt. Pro cujus executione, nullum
præſtantius, atqve efficacius remedium, mea aqva
aluminoſa excogitari poteſt, cujus uſus in ore tu-
tiſſimus eſt, & ſtatim ob penetrationem qvam ac-
qvirit ex ſublimatione, totam cyſtim erodit, & ex-
ſiccat. Qvod minimo dolore efficit, & propter
facultatem validam aſtringentem qva prædita eſt,
prohibet, ne ad ulcus concurrant humores ſuper-
flui, & ex conſeqventi, ne fiat ulla inflammatio;
Unde feliciter operatur, videlicet cito, tuto, & ci-
tra dolorem. Qvod ſit ſemper ad
laudem omnipotentis
DEI.

Ulceris calloſi feminis à gangrenæ curatione ibidem relicti, per qvod tota urina etiam involuntarie diffluebat, omni jam ſpe ſanitatis adempta curatio.

OBSERVATIO XI.

ALexanderBarbadorusNobilisFlorentinus ætatis qvadraginta trium annorum plus minus, decem annos, ut ipſe mihi retulit, paſſus fuit difficultatem, atqve ardorem urinæ, effectum ab ulcere cervicis veſicæ, à longo gonorrheæ fluxu excitato. Deinde verò ex magno in venatione labore, urina fere omnino fuit ſuppreſſa; qvia cervix veſicæ magna inflammatione correpta erat, tumore magno exterius apparente, tum circa penem, tum etiam circa femem, ac totum ſcrotum usqve ad podicem, ingentiſſimo cum dolore, ac validiſſima febre. Mox licet à doctiſſimis viris diligentiſſimè curatus fuiſſet, nihilominus vel qvia copia inflammationis calorem naturalem cervicis veſicæ ſuffocaverit; vel qvia venenata qvalitas humoris contenti in dicta inflammatione, eum infecerit; vel potius qvia utrumq; ipſum calorē naturalē extinxerit, pars tota feminis, videlicet à ſcroto, uſq; ad anū emortua fuit. Oportuit igitur venire ad inciſionē, atq; ad ablationē carnis corruptæ & emortuæ, deinde ad medicamēta valde cauſtica, qvalia in tali caſu reqviruntur, nempe removentia partes corruptas, ut partes circū vicinæ à putredine, atq; corruptione intactæ redderētur. In hoc v. tempore tota urina egrediebatur per ulcus in toto femine factum. Nec gutta qvidem

per

per membrum virile, id eſt per tranſitum natura-lem egrediebatur. Meatus n. urinarius in femi-ne jam totus conſumptus erat. Tandem facta ul-ceris mundificatione ab omni carnis immunditie, atqve celebrata ulceris incarnatione dictæ par-tis ulceratæ pro conſolidatione ulceris, remanſit in eo loco orificium calloſum, rotundum, & adeo amplum, ut tota urina etiam involuntariæ per idem calloſum orificium efflueret. Et qvamvis multa à doctiſſimis viris adhibita fuiſſent auxilia, ut id orificium anguſtius redderetur, & ſic aliqva pars urinæ per naturalem meatum efflueret, nihil-ominus in tali caſu, illi medici, & chirurgi nun-qvam voti compotes eſſe potuerunt. Itaq; omni ſpe in hac curatione deſtituti, ſignificarunt ægro-tanti artem medicam in eo caſu non poſſe amplius præſtare, atq; ipſi tentaverint: ſe enim nihil inten-tatum reliqviſſe. Oportere igitur ægrotantem qvo ad viverat patienter tolerare totalem urinæ exi-tum per orificium ulceris. Qvibus ab ipſo cogni-tis, non deſtitit qvin per qvinqve aut ſex menſes etiam atq; etiam peritiſſimos Flor. medicos conſu-leret; nec ullus ipſi qvidpiam profuit. Poſt hoc tempus ego rogatus, acceſſi ad eum videndum u-na cum uno ex ſuis chirurgis, & cognoſcens caſum admodum difficilem, atq; audiens ab ipſo ægro-tante, & à chirurgo totam morbi hiſtoriam, velu-ti à me ſupra breviter ex ægrotantis relatione narrata eſt; conſiderans autem ægroto poſſe ali-qvid auxilii præſtari, ut ſaltem urina majori ex parte, ſi non in totum, per locum naturalem edu-

ceretur, dixi me ſperare tale incommodum poſſe multum ab arte diminui; ſed anteqvam ulterius procederem, velle me communicare conſilium meum cum aliis ejus medicis & chirurgis. Poſtero igitur die, congregatis omnibus & intellecta totius morbi hiſtoria, perceptoq; prognoſtico de difficultate, imo de impoſſibilitate conſolidationis orificii ulceris, cum affirmarent qvicqvid in tali curatione fieri ab arte poſſet à ſeipſis jam factum fuiſſe, & nihilominus orificium ulceris ſemper eodem modo ſe habuiſſe, dixi ego, etſi omnino ulceris orificium conſolidari non poſſet, me tamen ſperare poſſe redigi ad talem anguſtiam, ut minimam urinæ partem reciperet. Nam ſperabam cerato aliqvo extra applicato ſupra orificium ulceris, urinam majori ex parte fluxuram per meatum urinarium naturalem, ſcilicet per orificium glandis. Qvod ſi mea curatio ægrotanti omnino prodeſſe non poſſet, ſaltem nulla ratione ei poſſe nocere. Qvoniam verò tunc temporis valde occupatus eram apud meum Sereniſs. Coſmum Medicem Hetruriæ Principem, cujus ſaluti die noctuq; aſſiſtere cogebar, ac propterea non mihi licebat mane, ac veſpere ad eum curandum accedere; iccirco ſtatui, unum ex illis chirurgis qvotidie proficiſci debere ad ægrotantem, & me abſente, ex meo ordine, qvæ applicanda erant, applicare ratione, ac tempore, prout reqviri videbatur. Curatio verò talis fuit. In primis levis purgatio facta eſt. Ordinata fuit proba victus ratio, ipſiqve injunctum, ut nullo modo ambularet; ſed

ſed continue in lecto qvieſceret, ac qvotidie ſi non ſponte, ſaltem ex arte alvum mollem haberet.

Qvibus ita præſcriptis, cœpi orificium calloſum aliqvantulum ſcarificare, deinde appoſui cum filamentis ſiccis meum pulverem angelicum præparatum, & circum circa orificium applicavi ungventum ex litargirio aureo camphoratum, ſecundum meam deſcriptionem, & in mortario plumbeo factum. Super filamentis autem appoſui ungventum de tutia camphoratum; & ſic per qvatuor, aut qvinqve dies totum callum removere conatus fui. Qvoniam verò valde durum erat, & in magna qvantitate auctum, ad validius medicamentum deveniendum fuit; ſed prius ordinavi, ut fierent qvædam fiſtulæ plumbeæ, craſſitie differentes, ad hoc ut continue minor ex illis detineretur intra meatum urinarium. Fiſtula autem erat tantæ longitudinis, ut intromiſſa in meatum urinarum penetraret ultra orificium ulceris calloſum, verſus collum veſicæ, qvæ à principio minores intromittebantur, deinde gradatim deveni ad majores. Qvando verò cogebatur urinam reddere, monui ægrotantem, ut procuraret ipſam reddere per dictam fiſtulam plumbeam, qvod ipſe fecit. Unde urina per dictam fiſtulam egredi cœpit, licet fere continue aliqva urinæ portio per ulceris orificium involuntarie deſtillaret. Ad removendā poſtea duram calloſitatem orificii, denuo ſcarificavi profundius totum orificiū calloſum, poſtea appoſui mediam partē mei pulveris angelici, & me-

diam aluminis rocchæ adufti, omnibus ad inv-
cem benè commiſtis, ſupra verò ſtupam imbuta
in albumine ovi benè agitato. Sic igitur tali præſ-
dii genere, tali ſcilicet pulvere totam calloſitate
mortificavi, & fere ſine dolore. Pro ſeparatio
autem calloſitatis à pulvere dicto in forma
eſcharæ redactæ, appoſui digeſtivum (ut vocan
factum ex therebinthina clara, cum parva qvant
tate lutei ovi. Facta remotione calloſitatis, p
tres, aut qvatuor dies mundificavi ulcus melle r
ſaceo ſimplici, poſito intra ulcus cum filament
Sed tertio qvoqve die, qvia caro nova ulceris ir
ficiebatur ab humiditate urinæ, applicabam cu
filamentis ſiccis parum pulveris angelici. Qvo
facere perſeveravi usqve ad perfectam ulceri
conſolidationem, qvia in hujusmodi ulceribu
etiamſi intentio ſit carnem gignendi, caro ulceri
cum ſit tenella, facillime alteratur. Ideo hæc de-
bet leviter removeri, qvod feliciſſime præſtat uſu
hujusmodi pulveris, tertio qvoqvo die ulceri i
minima qvantitate admoti. Veni deinde ad me-
dicamentum (ut dicunt) ſarcoticum, factun
ex melle roſaceo ſimplici aqva ardenti, cum pul-
veribus aloes myrrhæ, ſarcocolle, olibani & ma-
ſticis. Semper verò circa ulcus applicavi un-
gventum ſupra dictum ex litargirio factum, &
ſupra orificium ulceris ungventum de tutia cam-
phoratum. Verum qvia in incarnatione ulce-
ris circa ejus orificium continue calloſitas de no-
vo contrahebatur, idcircò ſemper ſtudui ipſam
removere cum pulvere ſupradicto, videli-
cet

t angelico, & aluminis rocchæ aduſti, ac mane
veſpere cœpi viſitare ægrotantem, ut ei atqve
ihi magis ſatisfacerem; & ſic mane, & veſpere
minuebam filamenta qvæ intra ulcus applica-
ntur, ut carnis novæ ortus non impediretur
nimia filamentorum qvantitate. Tali igitur di-
gentia (Dei gratia) orificium ulceris ad qvanti-
tem minimam pervenit. Et qvia denuo callo-
as aliqva in orificio regenerabatur, denuo à me
arificando removebatur, ut in orificio, ulcus
cens ſemper conſervatur, ad hoc ut conglu-
nari in totum poſſet. Qvod optimè ſucceſ-
t. nam facta à me ultima levi ſcarificatione, in-
a ulcus nullum filamentum apponere volui, ut
bia ulceris ad invicem conjungerentur, & con-
utinarentur. Unde paulo poſt ex toto conſo-
datum orificium ulceris apparuit. Ex qva cu-
tione ægrotans nec impedimentum, nec ul-
ım ardorem urinæ amplius paſſus eſt, & hodie
ivit, ac benè valet, præter omnium expectatio-
em. In qvo caſu (fili mi) habemus qvod licet
vidam morbi ex eorum, ac partis affectæ natu-
a, judicari qvodammodo poſſint incurabiles,
on ob id derelinqvendi ſunt absqve rationabi-
ibus auxiliis ægrotantes. Qvandoqve enim
ſumma diligentia rectè adhibita, morbos
fere incurabiles ſuperare
valet.

De parvo glandis ulcere corrodente, & præputii tub
culo, longo tempore infeliciter curatis, & jam
ferro, & igni deſtinatis.

OBSERVATIO XII.

QVidam perilluſtris Eqves S. Stephani, Ser niſſimorum Franciſci ac Ferdinandi Magn rum Hetruriæ Ducum principalis Aulicus, c jus nomen pluribus de cauſis taceo, Florenti laborabat ulcere qvodam parvo corroſivo in glandis parte, qvæ vulgo dicitur glandis cor na. Qvod ulcus non pertingebat ad profundi res partes, ſed ſummam tantum cutem inibi ex debat. Habebat etiam in præputio tuberculu non valde durum, indolens, ad magnitudine nucis auctum, rotundum, & concolor, hoc ſine ulla alteratione coloris pellis præputii. A cujus curationem aderant duo medici phyſici, unus chirurgus, viri in arte medica Florenti ſatis laudati, qvi Nobilem ægrotantem per plu res hebdomadas præ manibus habuerunt, ac plu ra medicamenta tam univerſalia, qvam partic laria in eo experti fuerunt, nec ullo modo in crementum tuberculi prohibere potuerunt qvod à principio parvum erat, nec parvæ avella næ magnitudinem æqvabat. Ulcus verò null modo ipſorum medicamentis cedebat, imo po tius videbatur augeri, atqve irritari, qvoniar ſæpius, dum tale ulcus curabatur, profluvio ſan gvinis in qvantitate notabili ab ulcere emanan te, ægrotus correptus fuit, atqve in application

med

edicaminum, mordicante dolore continue
ıciabatur. Qvare curantes nova auxilia pro
ute ægrotantis excogitare cœperunt. Alter ex
edicis, & chirurgus venerunt in ſententiam,
ciſione totum auferre tuberculum, deinde in-
umentis ferreis ignitis locum totum inciſum,
ulcus in corona glandis exiſtens valde caute-
zare. Alter vero in hanc ſententiam non ita li-
re deſcendebat. nihilominus prior medicus,
chirurgus in determinatione futuræ curatio-
s prævaluerunt. At ægrotus, qvia valde timi-
ıs erat, dicebat vereri ſe non poſſe præ timore
lerare, niſi cum periculo vitæ talem operatio-
em,& qvodammodo eam penitus renuebat. Phy-
cus verò, & chirurgus multa mala prædicebant
grotanti, ſi non deveniret ad præſcriptam ab eis
perationem, aſſerentes tuberculum mali moris
ſe, nempe canceroſum, atqve totum colem brevi
mpore fore à morbo corroſum, cum ingen-
ſſimis doloribus & cum vitæ tandem privatio-
e. Ægrotus deterritus tali ſermone dixit ſe velle
ıbjicere omni operationi, & ſic, licet ægro ani-
ıo præſtare decreverat, Medicos tamen ſuos an-
e rogatos voluit, ut in hac curatione ego qvoqve
ſſem una, ac denuo ab omnibus invicem ſumma
um diligentia de ſua ſalute conſultaretur. Acceſſi,
idi ac pertractavi partẽ affectã. Poſtea ut medico-
ım mos eſt, chirurgus proponens tuberculum eſſe
anceroſum, maliq; moris, opus eſſe affirmabat ut
otũ tuberculũ radicitꝰ abſcinderetur, deinde igne
ctuali, locum inciſum, & ulcus in corona glandis
exi-

exiſtens, benè cauterizare neceſſe eſſe judicab
Idem propoſitum, & approbatum fuit ab un
aſſerente ſecus fieri non poſſe. Ego verò & al
diximus neqve tuberculum, neqve ulcus eſſe t
malæ conditionis ut ipſi judicabant. In tuberc
lo licet adeſſet aliqva durities, non aderat in
qvalitas in duritie, non dolor, non color li
dus, neqve in eo venæ ſangvine atrabilario p
næ apparebant, ut in materia canceroſa conti
gere ſolet. Ergò nec remedia propoſita reqv
rebantur; nam veluti mitis erat morbus, ſ
morbi, ita mitioribus medicamentis pertracta
debebant. Tuberculum enim ex ſupradictis n
tis judicabam pertinere ad illa tria abſceſſuu
genera, qvæ à ſimilitudine eorum, qvæ in ip
continentur, nomen accipiunt, & vergere ad n
turam meliceridis conjiciebam; Licet ex to
cognoſci, niſi cum ejecta ſit materia ab abſceſ
non poſſit. Atqve id conjiciebam ex figura a
ſceſſus, & ſubſtantia ejus tenuiori. Nam figu
rotunda erat, & ſubſtantia tenuior; qvia preſſ
digitorum celerrime cedebat, & celerrime r
vertebatur, ut in vera meliceride continge
ſcribunt. Contra vero ſteatoma planum, ſol
dum eſt, tactui renititur, adeo ut digitis preme
tibus minime cedat. Atheroma oblongum e
& ſublatum, digitis preſſum ob craſſitiem,
lentorem humoris tarde revertitur. Qvia ver
tuberculum, ſeu ut dicunt abſceſſus mobilis
à cute fere ſeparatus apparebat, materiam abſce
ſum facientem, in velamento contineri judica
bat

n. Et, cum abſceſſus jam factus eſſet, dixi indi-
i ex Galeno, ut, qvod præter naturam in par-
ıla continetur, & eam in tumorem attollit, to-
n cum tunica humorem continente, vacuetur;
od vel obſcure cum præſidiis digerentibus fie-
poterat; vel manifeſte cum ſuppurantibus,
ando aperitur locus, ut in præſenti caſu con-
nire judicabam; qvia tuberculum erat invete-
um, & in ſublimiori ejus parte, aliqva licet ob-
ıra inundatio à me digitis jam percipiebatur;
de vel totum abſceſſum, vel majorem ejus par-
n ad ſuppurationem tendere exiſtimandum e-
t, atqve iccirco ad ſuppurantia medicamenta
cedendum eſſe. Idem verò agendum, alter
edicus affirmavit. Unde conſtitutum fuit, ut
pplicaremus ceratum mollitivum. Qvod ve-
ſpectabat ad ulcus, cum in eo adeſſet ſubſtantiæ
rroſio, atqve ob id aliqva levis cavitas, atqve u-
tas ſoluta, duo principalia (meo judicio) indi-
abantur, repletio videlicet cavitatis, & ſolutæ u-
itatis unitio. Verum cum neqve cavitatis im-
letio, neqve ſolutæ unitatis unitio recte un-
vam ſuccedant, niſi pro naturali modo ſubje-
tæ ulceris partes ſe habeant, ideo aſſerui à no-
is inveſtigandum eſſe qvid conſolidationem ul-
eris impediret, ut inde removeri poſſet. Di-
tum fuit ulcus in ſua ſpecie corroſivum eſſe, &
non eſſe profundum, non ſordidum, non
um fœtidiſſimo odore. Et cum labia non ha-
beret prætumida, craſſa, livida, eroſa, aſpe-
ctu horrida, & maxime dolentia; neqve ad can-
crum,

crum, neqve ad phagedænam vergere judicavi. Sed cum potius partes ſuperficiales afficeret, a naturam herpetis exedentis declinare mihi videbatur. Excitantur autem ejuſmodi ulcera à pravis humoribus, ac præſertim bilioſis, acribus, & mordacibus, qvi propter aduſtionem malignitatem qvandam acqvirunt, & ut plurimum ex malo viſceris alicujus affectu alibi generantur & poſtea ad membrum ulceratum impulſi illi negotium faceſſunt. Rariſſime in parte affecta naſcuntur, niſi ex diuturnitate ulceris partis ulceratæ temperies propria transmutata ſit. Ex qvo præſuppoſita convenienti victus ratione, ne hujuſmodi humores coacervarentur, ac purgatione idonea, ut tales humores in corpore contracti evacuarentur, ne ferrentur ad ulcus (qvæ cuncta ab ipſis medicis jam præſcripta erant) localia duntaxat pro ulcere curando excogitanda eſſe & applicanda ſupererat. Cum ipſis igitur hoc pacto egi. Licet hi morbi, ſcilicet tumor præter naturam in præputio, & ulcus in corona glandis proximi ſint, non ob id mea qvidem ſententia connexi ſunt; qvia non alter ab altero dependet; ſed cum diverſæ naturæ appareant, eodem tempore ſeorſum ſanari debent. Jam qvid agendum ſit in abſceſſu expoſui, mox qvid in ulcere applicare conveniat, paucis proferam. Cum in præſenti ulcere complicata ſit intemperies calida & ſicca cum materia aliunde fluente, ut patet ex rubore, & aliqvo tumore partis ulceratæ, unde caro exulcerata, & partium

vici

narum adeò corrupta eſt, ut alimentum etiam
bum in ſuccum malignum vertat, nec ſperan-
n ſit, ut alterantibus auxiliis ſuperari poſſit,
o eodem tempore corrigenda eſt intemperies
ıtrariis, repellendo fluentes ad ulcus humores,
qvi jam fluxerunt diſcutiendo. Inſuper ulce-
caro mala abſumenda, removendaqve eſt, ut
ſtea ulceris exigua cavitas repleri, atqve unitas
ıta, paulatim uniri poſſit. Qvæ paucis reme-
s localibus aſſeqvi nobis ſperandum eſſe puto.
tur pro his omnibus aſſeqvendis, laudo un-
entum diapompholygos camphoratum, vel un-
entum ex plumbo cum camphora in parte ex-
na, in linteolo extenſum applicatum. Nam
ı frigiditate fluentes humores repellunt, & in-
nperiem calidam corrigunt, ſuaqꝫ ſiccitate ſine
orſu humores qvi fluxerunt diſcutiunt, atqve
ıtredinem prohibent. In parte verò ulceris in-
rna, laudo uſum mei pulveris angelici præpara-
cum filamentis ſiccis applicati, cujus bina, aut
na ad ſummum applicatio, absqve dolore totam
ceris malignitatem auferet. Qvod approba-
m ab omnibus fuit. Itaqve in DEI omnipo-
ntis nomine Nobilem ægrotantem continuo cu-
re cœpi. Pollicitus autem fui toto curationis
mpore me ſine ullo dolore tractaturum, ac
riſtinæ ſanitati cito ipſum eſſe reſtituturum.
vod ſuperni numinis gratia ita ſucceſſit.
elebrata enim ulceris mundificatione ſo-
m cum filamentis ſiccis in ulcus appoſitis,
atqve

atqve ſupradicto ungvento in parte externa a|plicato, ulcus perfecte ſanatum fuit. Abſceſſ| verò præputii ſolum auxilio cerati mollitivi ejus parte, in qva obſcuram inundationem e|gitis perceperam, ſponte aliqvantulum apert fuit, in qvo parvo orificio cœpi apponere fil|menta ſicca cum meo pulvere angelico. Ex q| paucis poſt diebus absqve ullo dolore orificiu| abſceſſus ſatis amplum evaſit. Proceſſu verò ter|poris partim mea aqva aluminoſa, & partim dic| pulvere angelico, paulatim ſine ægrotantis m|leſtia totam materiam exiſtentem in abſceſſu ur| cum tunica, ſeu ut dicunt, cyſti ipſam materia| continente conſumpſi, & evacuavi. Veni dei|de ad ſimplicem uſum mellis roſacei per aliqv| dies, donec totum ulcus purum eſſe apparuit.

Poſtea mel roſaceum mixtum cum pulver|bus ſarcoticis, & parum aqvæ ardentis applic|vi. Qvo præſidio tandem ulcus omnino ſan|tum fuit. Mirabatur ægrotans (ſine jactantia d|ctum ſit) qvomodo ſub meis manibus in toto cu|rationis curſu, nunqvam dolore aliqvo affectu| eſſet: dum vero ab aliis curaretur, ſemper dolo| afficiebatur. Sic igitur nobilis eqves absqve fe|ro, & ſine igne, imo jucunde à me (Dei gratiâ| perfecte ſanatus fuit.

Ex qvo caſu, fili mi, elici poteſt, expedire, cu| leviora ſufficiũt, abſtinere à validioribus, neq; ve|niendũ eſſe ad chirurgiã, ubi ſatisfaciant medica|menta. Et hoc juxta illud Hippocratis v. Aph. |

Qvæ

Qvæcunqve ulcera medicamentis non curantur, ferrum curat: Qvæ vero ferro non curantur, ignis curat. Qvaſi Hippocrates voluerit præter propriam Aphoriſmi ſententiam nobis etiam ſignificare, in ulceribus prius utendum eſſe medicamentis, deinde ſi opus fuerit ferro, tandem igne. Qvalis enim eſt morbi conditio, talis remedii contrarietas morbo reſpondere debet.

ADAMO BRUXIO SPROTTAVI-
ENSI SILESIO, Medico Excellentiſſimo
VICTORIUS ROSSIUS, Philoſophus
ac Medicus

S. P. D.

*DE amputandis membris corruptis (chariſſ. Ada-
me) multa ab antiqvis memoriæ prodita ſunt, u
parti mortuæ qvam celerrime ſuccurratur, ne pa
ſincera ob contactum putridæ putreſcat: atqve ut i
la ſævisſima ſymptomata, qvæ ſæpius accidunt, in ip
amputatione vitentur. Sed certe nimis laborioſa
periculoſa eſt hæc Chirurgia. Qvia in hac præſtan
da duo gravia pericula occurrunt, ſangvinis profuſ
& dolor intolerabilis, qvæ peritisſimis medicis max
mum faceſſunt negotium. Ex qvo multi hujuſmo
operationem cum maximo ægrotantium detrimen
reſpuere ſolent. Ut igitur hæc incommoda facili
vitarentur, modum non contemnendum excogitav
pater meus, qvo in hac curatione admodum felicit
uſus fuit. Ego verò tibi & omnibus Chirurgiæ ſtud
oſis idem in ſimili occaſione ſuccedere cupiens, ha
obſervationem cum aliis in publicum emittendam c
ravi. Inſcripſi autem tuo nomini, ut non ſolum m
mor ſis mei, ſed ut ille immenſus amor, qvi à ſimilib
ſtudiis Patavii excitatus inter nos intercedit, hoc pa
vo mei in te amoris monumento conſervetur at-
qve augeatur. Vale. Piſis, Nonis
Jan. M. DC. VI.*

De vulnere in humero ſiniſtro recepto vi ignis à pila [pl]umbea prope caput ipſius, cum oſſis transverſa fractura, & omnium adjacentium partium attritione, & ſphacelo ſubjecti brachii.

OBSERVATIO XIII.

DOritius Mammocius Nobilis juvenis Aqvilanus, Anno Domini milleſimo qvingenteſ[i]mo (ſi recte memini) octogeſimo ſexto, [pr]oficiſcens extra Civitatem Aqvilæ arma[tu]s, cum maximo Aqvilanorum numero con[tr]a qvosdam graſſatores, qvi vulgo Banditi ap[pe]llantur, in conflictu percuſſus fuit globu[lo] plumbeo vi ſclopeti ejecto in humore ſiniſtro [pr]ope caput ipſius humeri, nempe in parte per [tr]es digitos diſtanti à capite humeri. In ea [ig]itur parte maximum vulnus recepit, cum fra[ct]ura totaliter transverſali ipſius oſſis humeri, cum attritione magna venarum, arteria[ru]m, atqve aliarum partium ibi conſiſtentium. [E]qvo ſecunda die totum brachium infra vul[nu]s denigratum, emortuum, & ſphacelatum [re]manſit: unde jam adeo fœtidus vapor ex[ha]labat, ut omnes aſſiſtentes, & præſertim æ[gr]otans ab eo graviter offenderetur, qvi ſupra [ſu]um pectus brachium ſphacelatum detinere co[ge]batur. Obnixè itaqve omnes ſuos Medicos [tu]m Phyſicos, tum Chirurgos rogabat, ut ab eo [tan]tam abominabilis fœtoris cauſam removere [co]narentur, qvi removere nonnunqvam auſi fue[ru]nt. Tertia die ego ad eũ accerſitus videns caſum

Mmmm 2 ſane

ſane miſerabilem, miſericordia motus, nec no
magnis precibus ægrotantis impulſus, conven
tres ipſius medicos, ac duos chirurgos, à qvibu
intelligere volens, qvid de ægroto pertractaſſen
mihi pronunciaverunt, ſe nullo modo brachiur
ſyderatum removendum eſſe, judicaviſſe; qvi
in reſectione brachii, ut tota pars corrupta re
moveretur, ut fieri debebat, in parte ſana ſectio
nem facere opus erat, & jam ſphacelus incipie
bat occupare partes humeri ſupernas, unde no
multum à junctura humeri diſtabat corruptio
qvemadmodum color niger, & mortificatio i
lius partis nobis demonſtrabat. Qvare ex tali bra
chii amputatione propter inſignia vaſa, & propte
nervoſas partes, qvæ ibi adſunt, duo moleſti
ſima & periculoſiſſima ſymptomata neceſſari
ſeqvebantur; Primum qvidem ingentiſſimu
dolor: deinde verò copioſum ſangvinis proflu
vium. Itaq; certum vitæ ægrotantis immineba
periculum, ob ſymptomata in ipſa operatione ſu
pervenientia. Qvia verò ſervari non poteſt,
Celſi L. 5. ſententia attingi minime debet. His re
ſpondi, licet caſus evidenter eſſet periculoſu
præſtare tamen aliqvid faciendo periclitari, qva
ſinere ægrotantem ſine ulla ſpe perire, ex Gale
10. mot. ſententia; Præſertim cum in tali ca
membrum totum ſphacelo infectum, absqve ul
dolore, ac ſine ulla ſangvinis profuſione aufer
poſſit, & cum remotione totius corruptioni
unde partes ſanæ à putredine vindicabuntur,
ſic intactæ ob hanc operationem conſervari pot

ru

runt. Qvando v. (addidi) minime ſuccedat ſalus, qvo ad vitam conſervandam nos removendo totam partem ſphacelatam, abominabilis fœtoris cauſam auferemur, & ſic absq; ullo detrimento ægrotantis, ei ſaltem cum aliqva utilitate ſatisfaciemus. Verum cum operatio, qvã vobis proponam, ſit ſecundum artis canones à me excogitata, non deſpero, qvin (Deo favente) ægrotanti etiam vita conſervari poſſit. Qvod à me dictum, tanqvam impoſſibile ab illis auditum fuit, qvibus paucis verbis hoc pacto ſatisfeci. Nos vidimus, ac tetigimus, vulnus adeo magnum eſſe factum ex ingreſſu, ac exitu globuli in ipſo humero, & cum tanta oſſis humeri attritione tangitur, ut absq; ſerra facile nobis ſit in ipſa parte vulnerata, & emortua ſectionem moliri, qvæ ſine dolore, & ſine ſangvinis effuſione fiet, nam in parte mortua fiet ſectio, & ſic auferetur totum brachium corruptum & fœtidũ, deinde ferris candentibus comburi atq; exiccari tota pars emortua poterit; qvibus ignitis ferris non ſolum totam carnem emortuam adhæreſcentem parti ſanæ auferendam eſſe cenſeo, verum etiam aliqvid carnis bonæ comburendũ exiſtimo. Hoc enim modo eſchara craſſa, & firma fiet, qvæ (ut ait Galen.) erit veluti operculum profluentis ſangvinis, unde non timebitur ſangvinis profuſio. Præterea omnis malignitas citiſſimè auferetur, qvia ab igne omnis putredo conſumitur, & omnes malæ humiditates exiccantur. Qvare pars ſana ſicca reddetur, & proinde natura partis corroborationem acqvirent, unde validior facta, magis malignitati

reſiſtet, ac citius carnem emortuam à viva & ſana ſeparabit. His ex me auditis, meam ſententiam omnes comprobarunt. Igitur facto cum affinibus ægrotantis prognoſtico de difficultate operationis, ac de eminentiſſimo vitæ periculo hanc curationem hoc modo aggreſſus fui. Conſtitui uni Chirurgo, ut manibus arcte amplexaretur totum articulum humeri, & cutem, & carnem articuli, id eſt, capitis humeri qvantum poſſet, ad ſe attraheret, ac firmiter & arcte teneret, ut inde diſſecta pars cutis & carnis muſculorum relaxationem facilius tegeretur. Eodem verò tempore alter Chirurgus elevavit, atq; ad ſe adduxit, extenditq; totum brachium ſyderatum, qvo tempore ego cum cultro raſorio totum brachium in vulnere, ubi tota caro mortua, & os comminutum erat, amputavi, & ſic ablatum fuit ſine ullo dolore, & ſine ulla ſangvinis effuſione. Qvoniam verò remanebat multa caro mortua adhæreſcens parti ſanæ, cum ferramentis latis, craſſis, & benè ignitis, cœpi carnem illam denigratam paulatim conſumere, donec ad partem ſanam perveni, in qva etiam aliqva ferramenta ignita appoſui, donec mihi viſa fuit tota eſſe ablata corruptio, & inducta eſchara in parte ſana. Qvod licet cum aliqvo ægrotantis levi dolore factum fuit, tuto tamen ac dedita opera feci, ſcilicet ut omnis partis affectæ malitiæ demeretur (qvod ex ſenſu ægrotantis in appoſitione ignis mihi magis comprobabatur) deinde ut ſangvinis profluvii timor ab eſchara firma in parte ſana inducta certius tolleretur,

ɛtur, ac tandem parti ſanæ robur,ut Albucaſis ait, ldderetur: Qvod citiſſime exiguo dolore, ac tu- ɔ ab igne præſtitum fuit. Poſt hanc operationem artem ſanam ungvento(ut ajunt)defenſivo mu- ivimus. Supra eſcharam ut ea craſſior efficere- ır, pulverem chalcanthi cum ſarcocolla impoſui- ıus, deinde ſtupam bene pexam & mundam, at- ve imbutam ovorum candido liqvore bene agi- ıto, cui bolum armenam ſuperaddidimus. Inte- ım qvæ ad diæteticam, & pharmaceuticam perti- ere videbantur, diligenter obſervata fuere. Pro- ırata fuit lenitio doloris, prohibitio inflamma- onis caſus eſcharæ, abſterſio, ac ulceris incarna- o, & tandem cicatricis inductio. Qvæ cuncta vibus medicamentis aſſeqvamur, cum ab omni- us Doctoribus tractentur, tanqvam omnibus ota, & brevitatis cauſa recenſere nolui. In hoc aſu profecto valde laboravimus. Deniqve ve- ɔ (Dei gratia) poſt multos dies ulcus ab amputa- one brachii relictum ubiqve conſolidatum fuit. nde percipitur in amputatione alicujus membri erus amputandi modus: nam ſi ſeqvuti fuiſſe- ıus alios deſcriptos amputandi modos, in dubio ita talis ægrotantis procul dubio verſata fuiſſet. Qvod ad laudem ſit ſemper omnipotentis Dei.

INDEX

Rerum Notabilium in hoc Libro contentarum locupletiſſimus.

AB Hippocrate vulnera capitis ſemper pericu- loſa exiſtimata. 10[illegible]

Ab ulceris diuturnitate pars affecta redditur imbecillis. 8[illegible]

Achillis Fonticuli Aromatarii filius inſtrumento qvopiam ab altero forte fortuna læſus, ſanatur. 12[illegible]

Affectuum numero medendi indicationes reſpondere ſemper debent. 4[illegible]

Ad ulcus vinum pravorum humorum vehiculum. 8[illegible]

Alexander Farneſius Cardinalis viſitat Margaritham Auſtriacam, qvidq; comiti Pitiliani Nicolao Urſino (uni ex Cardinalis Comitibus) dum feras ſectaretur acciderit. 97

Alexander Barbadorus Nobilis Florentinus à difficultate atq; ardore urinæ, qvibus ſanatus remediis? 148. 149. 150 & ſeqq.

Anus Indiana, Merdiana nomine, ex caſu à parvo ſuo aſello liberatur, & ope Medicorum vires amiſſas recuperat. 121 122. & ſeqq.

Apoſtema qvatenus eſt Apoſtema, cum ſit repletio rei præternaturalis, nil aliud curando reqvirit, niſi extractionem iſtius materiæ, qvæ Apoſtema efficit. 55

Aqvilani Pompeji Sarcinatoris fractura cruris; qvibus ſanate remediis. 93. 94. 95. & ſeqq.

Ars ſi malo victa fuerit, qva de cauſa, ægroti propinqvis imminens vitæ periculum indicandum ſit. 42

C.

CAlor & dolor duæ cauſæ, ut humores in vulnere confluant. 37

Cancri occulti non ſanantur melius; Curati enim cito interimuntur. 145

Caro-

arolus Bruſchius à Tonſoribus Sereniſſimi Ferdinandi Medicis. 122
aro ulceris abſumenda & removenda eſt, ut poſtea exigua ulceris cavitas repleri, atqve unitas ſoluta paulatim poſſit uniri. 159
auſis remotis Mortificatio non conſiſtit. 55
auſa fluxionis duplex, vel pars transmittens, vel recipiens. 2
onſultatio pro vera phlegmone. 1
erebrum qvibus fuerit, occaſione aliqva, vehementer concuſſum, protinus mutos fieri neceſſe eſt. 114
onſultatio pro ulcere ſordido. 58. & 59
ujusdam Militis Cremonenſis vulnus femoris; Ejusdemve curatio ac ſanatio. 96
urationis modus in ſanando Eryſipelatis genere. 30
uratio ægroti imprimis ulceroſi tempore hyemali difficilior æſtivali. 63
uratio & ſanatio perilluſtris Nobilis Marini Antonellii Aqvilani. 100.101. & ſeqq.
uratio Laurentii Aqvilani vulnerati in oſſe frontis. 136
utaneum vulnus ex caſu, juxta lambdoidem ſuturam aniculæ, cui & febris & phlegmonoſum Eryſipelas in capite ſupervenerant, curandi ratio: nec non & aliorum ſimiliter vulneratorum hiſtoriæ, ut & de perforatione calvariæ nonnulla. 121

D.

De abſceſſu profundo circa caput femoris, falſo Iſchiadico dolore credito, & ſimiliter curato. 105
De capite percuſſo ab alto, cum pravis ſymptomatibus. 107
De capite percuſſo cujusdam præcipitati, ex ſublimi, ſine vulnere cum accidentibus ſæviſſimis. 111
De cruris fractura cum vulnere â re contundente, prope juncturam pedis. 93
De fractura dextri crucis cum vulnere, cui multa & prava accidentia ſupervenerant. 100
De juvene ægroto etiam Cacochymo, Medico tamen obediente, qvid ſperandum. 83
De oculo à vulnere perforato, cum effuſione humorũ, & viſione deperdita, cui adjuncta inflammatio cũ dolore & tumo-

te maximo: qvod à Medicis ut ſupercreſcens ulcus, cu ægrotantis calamitoſa pernicie curabatur. 13

De parvo glandis ulcere corrodente, & præputii tubercul longo tempore infeliciter curatis,& jam ferro & igni de ſtinatis. 15

De punctura medii digiti dextræ manus,circa articulum,qv in ulcus diuturnum & contumax degeneraverat. 9

De ranulæ vulgo appellatæ recidiva. 14

Deſperati etiam interdum ſanantur. 11

Deus & Natura aliqvando faciunt,qvæ Medico ſunt impoſ ſibilia. 4

De vulnere ad partem fere oppoſitam penetrante,cum fractu ra coſtarum à plumbeo globulo, magna vi ignis inflicto infra os ſcapulæ dextræ non longe à ſpinali medulla cum plurimis & ſæviſſimis ſymptomatibus 13

De vulnere in humero ſiniſtro accepto,vi ignis à pila plum bea prope caput ipſius, cum oſſis transverſa fractura, & o mnium adjacentium partium attritione, & ſphacelo ſubje cti brachii. 16

Diæta in ſingulos dies vulnerato obſervanda. 43.& 44

Dilatio ulceris qvomodo inceptanda, ſi ægrotus à ferro ab horreat. 8

Diverſa diverſorũ Medicorũ judicia in ſanando ulcere qvod corroſivo,Nobiliſſ.cujusd. Eqvitis S.Stephani. 154. & 15

Dolor penes alia incommoda,plerumqve etiam cauſa & co mes inflammationis. 3

Doritius Mammocius Nobilis juvenis Aqvilanus globulo plumbeo percuſſus,ſanatur. 162.& 16

E.

ECchymoſis curatio. 51.& 5

Eqves qvidam S.Stephani Sereniſſ.Franciſci ac Ferdinan di ducum Hetruriæ Aulicus principalis ab ulcere qvodam corroſivo (in glandis corona ſito) qvib. medicamentis ſit reſtitutus. 154

Eryſipelas ubi & in qva potiſſimum parte corporis morbus periculoſus. 12

Ex ſuppuratione tumoris etiam curationis ratio aliter inſti tuenda & mutanda. 1

travenatus ſangvis in venas redire neqvit, ſed relictus in grumum vertitur. 49
ger ulceroſus in ſex rebus non naturalibus, ſi proba victus ratione utatur, humores malos evitare poterat. 83

F.

Allopius Medicus. 97
Franciſcus Alexandri Gvadragrii filius & patricius Florentinus rana correptus, reſtituitur. 141
igidum nervis inimicum. 44

G.

GEorgius Renaldinus Vicentinus Capitaneus vulneratus ſanatur. 132. 133. & ſeqq.

H.

HIeronymi Florentini filii Laurentii Gondii caſus, per ſcalas lapideas, ſanatus. 120. & 121
ieronymus Laslus de Reguardatis, Nobilis Romanus ac Medicus Excellentiſſimus. 107
umidum ulcera reddit ſordida: Frigidum verò ulceribus eſt inimicum. 84
umoris abſceſſus qvomodo & qvando aperiendus. 12
umores, qvi fluere ſolent ad vulnus, ut plurimum ſangvinei & bilioſi eſſe ſolent. 36
umores ubi multi ſunt, ſi per ætatem & vires liceat, ſangvinis miſſione evacuentur; Sin autem pravi, purgentur. 51
umores ab ulcere, ut divertãtur, loco mot9, qvid ſiet opus. 85

I.

Mpetus ex ulcere diſſecto, profluentis ſangvinis, qvomodo qveat à Medico compeſci. 89
npoſſibile eſt, ſanari poſſe ulcus, niſi prius fuerit purum redditum. 100
n corpore ægro to qvot reqvirantur. 73
n CURANDO ÆGROTO cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur. 97
n curatione phlegmonis ſive inflamationis qvid faciendũ. 15
n curatione ægrotantis perpetuo obſervari debet, ut videlicet morbi & partis affectæ habeatur certa cognitio. 39
ndicationes curativæ qvæ. 40

Inflammatio accendit febrem.
In omnibus morbis, imprimis autem in concurſionibus ca[pi]tis diligentiſſime cur inſiſtendum. 1
In partis nervoſis vulneratis qvæ applicanda remedia.
In rebus extra corpus ægrotantis conſiderentur.
In ſomno & vigiliis habendus vulnerato modus. 4
In tumoribus præternaturalibus non unus duntaxat eſt fini[s] ſed triplex.
In ulceribus variis ex cauſis gigni poſſunt ſordes. 6
In ulcere fieri non poteſt, ut carnis productio, vel ſinus impl[e]tio, vel cicatricis inductio recte unqvam cedat, niſi ſubjec[ta] caro pro naturali modo ſe habeat. 6
Inter vulnera partium nervoſarum, & alia, non eſt parva diff[e]rentia.
In vulneribus omnia medicamenta ſunt calide imponend[a] non frigide aut tepide; nam frigidum vulneribus morda[x] tepida vero laxant, & putrefactionem promovent. 4
In vulnere partis nervoſæ conſideretur cauſa efficiens. 3
Johannes Baptiſta Romanus famulus illuſtris D. Æneæ Va[...]næ, per qvæ remedia à Medicis applicata, ſanatus ſit. 1
Joannes Paulus Alegrus Chirurgus Verzellenſis. 11
Juli9 Angoſciola, Comes Placentin9 ſanatur. 145 146. & ſeq[q].
Juvenis ægrotus, ſi Medico obediet, licet ſit Cacochymus, [&] mali habitus, aliqvid boni tamen de eo ſperandum erit. 8
Juventus ſemper bona pollicetur. 8

L.

LAngvor ventriculi continuus, ac hepatis refrigerati[o] qvid denotent. 6
Leviora cum ſufficiunt, expedit abſtinere à validioribus, ne[c] qve veniendum eſt ad Chirurgiam, ubi medicamenta ſuf[-]ficiunt. 16

M.

MEdicamentum expurgans ſaniem & ſangvinem ab ul[-]cere. 8
Medicamentum temperate calidum, qvalem habeat virtuten[m] & efficaciam. 37. & 3
Melius eſt aliqvid faciendo periclitari, qvam omnino ſine ſpe[...] deſtituere. 13

llis roſacei mixti cum pulveribus Sarcoticis fructus & utilitas. 160
dus ſalutis eſt, ut humor tumorem faciens, vel digeratur, vel ſuppuretur. 15
dus ſanandi vulnus partium nervoſarum. 32
dus in curando ulcere obſervandus. 62
odus curationis cum præſcriptione diætæ, in Spinola vulnerato, obſervatus. 139
orbi omnes in hyeme diuturni. 63
orbi externi cum ſubjaceant ſenſibus, viſus ſcilicet ac tactus, debent & adſpici, & manibus pertractari. 104
orbus qvo mitior, eo mitioribus tractetur medicamentis. 156
otus calorem, calor vero ſecundũ Hipp. humorẽ evocat. 20
otus curationi ulceris adverſatur. 85
overi & ambulare omnibus, niſi ſanis alienum eſt. 44

N.

Natura ubi videtur eſſe validior, ſalutem pollicetur. 5
Natura partis affectæ qvæ. 40
aturam humorum redundantium nihil adeo oſtendit, niſi eorundem color. 63
eq; cavitatis impletio, neq; ſolutæ unitatis unitio recte unqvam ſuccedunt, niſi pro naturali modo, ſubjectæ ulceris partes ſe habeant. 157
icolaus Urſinus Pitiliani Comes, in venatione læſus, & demum Medicorũ opera priſtinæ ſanitati reſtitutus. 97.98.87
ihil actu frigidum partibus nervoſis ac vulneratis admovendum. 34

O.

Operationes qvæ fiunt in corporibus humanis, magna præmeditione fieri debent, ne ſi prodeſſe ægroto non poterimus, ullo pacto ei noceamus. 110
Optimum medicamentum vulneratis qvies. 44
Oſtracoſum Medicorum qvid. 82
Ova non frixa atq; dura, ſed recentia nutrimenti optimi. 84

P.

Pars affecta qvæ. 49
Pars ulcerata cujus temperamenti. 69

Par-

Partes nervoſæ vulneratæ facile putreſcunt, atq; partes proximas putredine inficiunt. 3
Partes nervoſæ vulneratæ in genere periculoſa hinc redduntur vulnera. 3
Partis recipientis officium.
Partes capitis internæ per conſenſum ſæpe læduntur. 11
Phagedæna ulcus. 7
Phagadænæ ulceris qvæ origo. ibid. Ejusdem ulceris curatio & remediorum denominatio. ibid. & fol. 71. &
Pharmacum pro vulneratis. 4
Phlegmo à Latinis inflammatio.
Pompejus à Petra Alba. 14
Pro Ecchymate, Abſceſſu & Gangræna conſultatio. 4
Prognoſticum à parte ulceroſi affecta ſumptum. 8
Pro inflammatione conſultatio. 1
Pro recta curandi ratione non ſatis eſt noviſſe morbi genus ſed in eo genere usq; ad ultimas ejus differentias deveniendum eſt. 3
Pro ulcere corroſivo conſultatio. 69
Pro vulnere partium nervoſarum conſultatio. 3

Q.

QValis eſt morbi conditio, talis remedii contrarietas morbor. ſpondere debet. 16
Qvæcunqve ulcera medicamentis non curantur, ferrum curat. Qvæ ferro non curantur, ignis curat. 16
Qvædam ciborum genera ægroto ulceroſo convenientia. 84
Qvi ſervari non poteſt, attingi etiam non debet. 162. 16
Qvod præter naturam in particula continetur, & eam in tumorem attollit, totum cum tunica humorem continente vacuatur. 157

R.

REmedia ne ſangvinis multitudo colligatur. 17
Remedium ab univerſo corpore bilem educendi. 28
Remedium pro contractis humoribus. 35. & 36

S.

SAngvis ſubter cutem extra venas effuſus, Græcis Ecchymoma ſeu Ecchymoſis. 45
Scirrhus neq; ſanatur, neq; hominem intetficit. 5

Signa

Signa curationis in curando ægroto. 5.& 6
Somnus meridianus vitandus. 18
Sordis generatio duplex exiſtimatur cauſa. 60
Spinola Nobilis Siculus vulneratus ſariſſâ, in oculo dextero, ſanatur. 136
Stupæ ovi albumine ſubactæ vis & efficacia. 13

T.

Tempus hyemale & humidum ulceri curando adverſatur. 83

V.

Victorii Roſſii Matthæi filii, Medici ac Philoſophi ſolum Natale. 107
Victorius Pellinius Chirurgiæ atqve Anatomes Profeſſor in Academia Bononienſi. 141
Vidus Vidius Junior, Reginæ Galliæ Medicus. 116
Vinum non ſolummodo valde nutrit, ſed inſito ſuo calore humores exacuit, & fluxiones accerſit. 7
Vinum qvando & qvale ægroto ulceroſo præbendum. 85
Ulcera ad naturam Herpetis declinantia unde proveniant, ſive excitentur. 158
Ulceri, propter amplas altasq; cavitates oris vero anguſtiam qvomodo occurrendum, ni grave periculum immineat. 82
Ulceris calloſi fœminis à Gangrænæ curatione ibidẽ relicti, per qvod tota urina, etiam involuntarie diffluebat, omni jam ſpe ſanitatis adempta, curatio. 148
Ulcus cum ſerpat à materia acri, & erodente neceſſario fieri, tendum eſt. 69
Ulcus cum ſit complicatum, cum intemperie frigida humidaqve materia & ſordicie, &c. qvid Medico curanti hic ſit faciendum. 66
Ulcus qvomodo ſanetur. 76
Ungventi ex plumbo cum camphora in parte externa in linteolo extenſi, & in ulcere applicati, vis & efficacia. 159
Ungventi Ægyptiaci virtus. 56
Uni ri qvæ debent, qvietem reqvirunt: 85
Vulnera partium nervoſarum difficilius aliis curantur. 31

F I N I S.